




FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

HISTORIAE DIPLOMATICAE

PARS SECUNDA.

A MENSE NOVEMBRI 1220 AD MENSEM MARTIUM 1227.



Sigillum Friderici secundi. Vide privilegium mensis septembris 1224, p. 459.

TOMI SECUNDI PARS PRIMA.

HISTORIA DIPLOMATICA

FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUÆ SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES.

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS II.

PARS I.

PARISIIS
EXCUDEBANT PLON FRATRES,
36, VIA DICTA VAUGIRARD.
MDCCCLII.

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

ANNO 1220. — INDICTIONE 9.

Fridericus rex . . . . cum consorte sua Constantia in principis Apostolorum basilica mense novembri in festo beatae Ceciliae magnifice satis cum omnium Romanorum gratia et honore (1) sunt imperiali diademate insigniti. Quorum coronationi Stephanus Cassinensis abbas necnon comes Rogerius de Aquila, comes Jacobus de Sancto Severino, comes Richardus de Celano et nonnulli de regno barones interfuerunt, occurrentes ipsi imperatori ut ipsius sibi gratiam compararent (2); eidemque dederunt liberaliter dextrarios

Romae, in basilica Sancti Petri, 22 novembris.

---

(1) « Fridericus rex tendens in Siciliam papam per manum validam Romam introduxit jam » ab ea per septem menses exclusum, a quo in imperatorem consecratus in octava Sancti » Martini Romanos eidem reconciliavit. » ALBERICI, *Chronic.* ad ann. 1220. Dicit autem Reinerus Leodiensis : « [Fridericum] Romani plus timore quam amore cum magna gloria et tri» pudio pacifice susceperunt. »

(2) Qua severitate erga barones regni imperator usus fuerit tam ex Riccardo de S. Germano *passim* quam ex Conrado Urspergensi, p. 245, et anonymo Saxon. (ap. MENCKEN, III, 121) comperimus. Addendum autem duximus hoc fragmentum ineditum e Cod. 8316 Biblioth.

quos habebant : quos redeuntibus in Alemanniam Theutonicis ipse largitus est imperator (1). . . . . Tunc ipse imperator per manus Ostiensis episcopi qui postmodum in papam Gregorium est promotus, resumpsit crucem, votum publice innovavit, multosque qui interant nobiles idem facere animavit. Riccard. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Romae, in basilica Sancti Petri, 22 novembris.

Fridericus secundus, Romanorum imperator, constitutionem generalem publicat et ab omnibus jubet observari qua vetat ne quis contra privilegia ecclesiastica attemptare praesumat, haereticos omnes proscribit et haereticorum fautores, personas et bona naufragantium et advenarum tuetur, atque agricultores cum instrumentis eorum rusticis contra invasores protegit.

(Edit. ap. Pertz, *Monum. Germ. histor.*, t. IV, p. 243-245, ex regest. Honorii in tabul. Vatic. vol. III, fol. 95-96, ann. V, num. 483, ubi in margine codicis hæc leguntur : *Diligens diligenter nota. Hec est nova sanctio Friderici secundi*

Paris., f. 389 verso : « En tant comme il estoit a Rome il envoia ses messages en Puille et a » plusieurs des haus homes dou regne et ses letres. Ne de tous ceux dou regne ne vint a lui » nul riche home fors le conte Berart Gentil qui estoit quens de Conversan. Celui ala a lui a » Rome moult richement et a grant compaignie. Et en sa route se mirent chastelains, va- » vassours, et tant que il furent o lui bien CCC chevaliers. Et poi valut ce service et ceste » honor; car tout ausi le desireta li empereres comme il fist les autres. Et ensi fist tous ceus » dou regne igaus amis et anemis; car tuit furent desirete. Li quens Macé d'Alesne (?) ne » les vault atendre, ains atorna VIII galies et se mist ens a tout grant avoir et bele compaignie » et s'en ala en l'ost devant Damiete ou il fu longuement et richement. Li quens Reniers qui » grant terre tenoit en Cesile se mist en sa merci. Il le fist vestir de plonc et metre en prison » ou il morut. » Cf. *Contin. Guill. Tyr.*, p. 392, edit. Guizot.

(1) « Et ipsa die [coronationis] multa munera equorum fere ad duo millia de Apulia et de » Sicilia et de Calabria et aliis terris ei subjectis sunt missa, de quibus eodem die plus quam » sexcenta donavit. » Reiner. Leod., ap. Boehmer, *Fontes*, II, 386.

imperatoris Romanorum edictaliter edita et publicata in basilica principis apostolorum in die qua imperiali diadema coronavit eum Romana Ecclesia mater sua, etc., quod testantur RAYNALDUS, *Annal. eccles.*, ad ann. 1220, § 24, et litterae ipsae Honorii, dat. Laterani, II nonas januarii, pontificatus anno quinto, *ibid.*, § 23. Extat praeterea in duobus codic. sec. XIV Halensi et Francofurtano, in quibus constitutio ab Honorio confirmata post libros feudorum habetur. Collata est praeterea a Pertz cum codicib. bibl. Palat. Vindob.: *Salisb.* 343 — *juris civ.* 4 — *juris canon.* 127. Edidit quoque RIED, *Cod. diplom. Ratispon.*, p. 331, ex copia anno 1294, 1° octobris, vidimata, sed cum notis chronologicis variantibus et omisso exordio. Vide notam ad calcem hujus documenti. Numeros quos adjecit Pertz ad majorem lucem servavimus. — Memorat. etiam a RICC. DE S. GERM., ad ann. 1220.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, ducibus, marchionibus, comitibus, cunctisque populis quos clementie nostre regit imperium salutem et gratiam. In die qua de manu sacratissimi patris nostri summi pontificis recepimus imperii diadema, curavimus ad Dei et Ecclesie sue honorem edere quasdam leges quas presenti pagine jussimus annotari per totum nostrum imperium publicandas, per imperialia vobis scripta precipiendo mandantes quatinus eas quisque in suo districtu irrefragabiliter et inconcusse servetis. Sunt autem hae leges :

1. Ad decus et decorem imperii et ad laudem Romani principis nichil magis videtur accedere quam ut expurgatis quorumdam erroribus et iniquis quorumdam statutis penitus destitutis, de cetero Ecclesia plena quiete vigeat et secura gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorumdam et perversorum iniquitas abundavit ut non dubitent contra apostolicam disciplinam et sacros canones sua statuta confingere adversus ecclesiasticas personas et Ecclesie libertatem. Cum ergo Ecclesia que nichil debet preter bonum appetere dispositione divina faciente (a) nichil velit quod nobis eodem cursu voluntatum non placeat, nos Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus hac edictali lege irritamus et precipimus irrita nuntiari omnia statuta et consuetudines que civitates vel loca, potestates, consules vel quecumque alie persone contra libertates Ecclesie ac

(a) Alias *favente*.

personas ecclesiasticas edere vel servare temptarunt adversus canonicas vel imperiales sanctiones, et ea de capitularibus suis mandamus infra duos menses post hujusmodi publicationem edicti penitus aboleri, et si de cetero similia attemptaverint, ipso jure decernimus esse nulla et eos sua jurisdictione privatos, necnon locum ubi deinceps talia presumpta fuerint banno mille marcarum precipimus subjacere. Potestates vero, consules, rectores, statutarii et scriptores dictorum statutorum nec non consiliarii locorum ipsorum qui secundum statuta vel consuetudines memoratas judicaverint, sint ex tunc ipso jure infames, quorum sententias et actus alias legitimos statuimus aliquatenus non tenere. Qui si per annum hujus nostre constitutionis inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium mandamus impune ab omnibus occupari, salvis nichilominus aliis penis contra tales in generali concilio promulgatis.

2. Item nulla communitas vel persona publica vel privata collectas sive exactiones, angarias vel perangarias ecclesiis aliisque piis locis aut ecclesiasticis personis imponant aut invadere ecclesiastica bona presumant; quod si fecerint et requisiti ab Ecclesia vel imperio emendare contempserint, triplum refundant et nichilominus banno imperiali subjaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.

3. Item quecumque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem Ecclesie facta perstiterit, ipso jure imperiali banno subjaceat a quo nullatenus extrahatur nisi prius ab Ecclesia beneficio absolutionis obtento.

4. Statuimus autem ut nullus ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad judicium seculare presumat contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones. Quod si fecerit actor a jure suo cadat, judicatum non teneat, et judex sit ex tunc judicandi potestate privatus. Sanccimus etiam ut si qui clericis vel personis ecclesiasticis justitiam denegare presumpserint, tertio requisiti suam jurisdictionem amittant.

5. Porro Chataros, Paterenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos et omnes hereticos utriusque sexus quocumque nomine censeantur perpetua dampnamus infamia, diffidamus atque bannimus. Cen-

sentes ut bona talium confiscentur nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii ad successionem eorum pervenire non possint, cum longe sit gravius eternam quam temporalem offendere majestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesie juxta considerationem suspicionis qualitatemque persone propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tanquam infames et banniti ab omnibus habeantur. Ita quod si sic per annum permanserint, ex tunc eos sicut hereticos condempnamus.

6. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro ut potestates et consules seu rectores quibuscumque fungantur officiis pro defensione fidei prestent publice juramentum quod de terris sue jurisdictioni subjectis universos hereticos ab ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod amodo quandocumque quis fuerit in potestatem perpetuam vel temporalem assumptus hoc teneatur capitulum juramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus neque pro consulibus habeantur eorumque sententias ex tunc decernimus irritas et inanes. Si vero dominus temporalis requisitus et monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab heretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsum terram ipsius exponimus catholicis occupandam qui eam exterminatis hereticis absque ulla contradictione possideant et in fidei puritate conservent; salvo jure domini principalis, dummodo super hoc nullum prestet obstaculum nec aliquod impedimentum opponat, eadem nichilominus lege servata contra eos qui non habent dominos principales. Credentes preterea, receptatores, defensores et fautores hereticorum bannimus firmiter statuentes ut, si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso jure sit factus infamis nec ad publica officia seu consilia vel ad eligendos aliquos ad hujusmodi (*sic*) nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis ut nec testamenti liberam habeat factionem nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus ei preterea super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam optineat firmitatem nec cause alique ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si

tabellio, instrumenta confecta per illum nullius penitus sint momenti.

7. Navigia quocumque locorum perveniant si quo casu contingente rupta fuerint vel alias ad terram perveniant, tam navigia ipsa qūam navigantium bona illis integre reserventur ad quos spectabant antequam navigium hujusmodi periculum incurrisset, sublata penitus omni consuetudine locorum que huic adversatur sanctioni; nisi talia sint navigia que piraticam exerceant aut sint nobis vel christiano nomini inimica. Transgressores autem hujus nostre constitutionis bonorum publicatione multentur, et si res exegerit, eorum audacia juxta mandatum nostrum modis aliis compescatur.

8. Omnes vero peregrini et advene libere hospitentur ubi voluerint, et hospitati si testari voluerint de rebus suis ordinandi liberam habeant facultatem, quorum ordinatio inconcussa servetur; si vero intestati decesserint, ad hospitem nichil perveniat, sed bona ipsorum per manus episcopi loci tradantur si fieri potest heredibus vel in pias causas erogentur. Hospes vero si aliquid de bonis talium contra hanc nostram constitutionem habuerit, triplum episcopo restituat quibus visum fuerit assignandum; non obstante statuto aliquo aut consuetudine seu etiam privilegio que hactenus contrarium inducebant. Si qui autem contra presumpserint, eis de rebus suis testandi interdicimus facultatem ut in eo puniantur in quo deliquerunt; alias prout culpe qualitas exegerit puniendi.

9. Agricultores et circa rem rusticam occupati dum villis insident, dum agros colunt, securi sint quacumque parte terrarum, ita ut nullus inveniatur tam audax ut personam, boves, agrorum instrumenta aut si quid aliud sit quod ad operam rusticanam pertineat invadere, capere aut violenter auferre presumat. Si quis autem statutum hujusmodi ausu temerario violare presumpserit, in quadruplum ablata restituat, infamie notam ipso jure incurrat, imperiali animadversione nichilominus puniendus (1).

---

(1) Legitur constitutio eadem ap. Ried, loc. supr. citato, sic incipiens :
« Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et » rex Sicilie. Ad decus et decorem imperii........ nichilominus puniendus. *Datum anno dominice incarnationis MCCXXI, mense decembris, indictionis none;* » quas notas similiter

---

Fridericus Romanorum imperator doctoribus et scolaribus Bononiae mittit leges quas in die coronationis suae edidit, mandans ut eas in ipsorum codicibus scribi faciant et legant.

(Edider. SARTI, *De clar. Bonon. profess.*, pars Iª, p. 60. — SAVIOLI, *Annal. Bolognesi*, II, 449. — PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, IV, 245.)

Fridericus Romanorum [imperator] et semper augustus, universis sacrarum legum doctoribus et scolaribus Bononie commorantibus salutem et gratiam suam. Ad honorem omnipotentis Dei et Ecclesie sancte sue, in die quo de manu sacratissimi patris nostri H. summi pontificis suscepimus imperii diadema, edidimus quasdam leges quas presenti pagina fecimus adnotari, per imperialia vobis scripta mandantes quatenus eas faciatis in vestris scribi codicibus et de cetero legatis solempniter tanquam perpetuis temporibus valituras.

---

indicat cod. Vindob. *jur. canon.* 127. Nil vero obstat quin reipsa imperator constitutionem istam exeunte anno 1220, apud Capuam vel Neapolim, denuo sub hac forma promulgaverit; et notatio anni 1221 ad hanc opinionem refellendam non viget, quum notarius imperialis paulo accuratius annum Incarnationis pro anno Nativitatis ad 25 decemb. incipiente inscribere potuerit, ut rem pluries jam supra vidimus. Notandum quoque BZOVIUM, *Annal. Eccl.*, t. XIII, ad ann. 1221, § 2, hanc novam promulgationem memorasse, his verbis : *Dato diplomate cujus initium est : in die qua de sanctissimi patris nostri*, etc. Editores autem *Monumentorum Boicorum* qui hanc constitutionem ex bulla Gregorii X papae, data Lugduni, 18 augusti 1274, exhibuerunt (tom. XXXI, pars Iª, p. 504, nº 265) non ab editione Riedana discrepant; monent tantum in fine more quorumdam notariorum medii aevi omnes kalendas praecedentis mensis ad sequentem trahi consuevisse, ita ut pro *X kalendas decembris*, mensis december notari potuerit. At opinionem nostram potiorem arbitramur.

In castris apud urbem, 23 novembris.

Fridericus Romanorum imperator Symeoni archiepiscopo Ravennati confirmat privilegium huic ecclesiae mense praecedente a se ipso indultum, hoc addito ut si quid detrimenti jurisdictioni Ravennatis ecclesiae privilegium comitis Uberti (1) irrogasset, abrogaretur.

(Memorat. et extr. ap. RUBEIS, *Hist. Ravenn.*, lib. VI, p. 383. — Cf. PERTZ, *Archiv der Gesellschaft*, etc., t. VII, p. 28 ex archivo Vaticano.)

Datum in castris apud Urbem, anno dominice incarnationis M. CC. XX, nono kalendas decembris, indictione IX.

In castris apud urbem, 24 novembris.

Fridericus Romanorum imperator dominis de Revigliasco et de Truffarello fodrum, poderium et districtum de loco Cellarum juxta Dertonam confert, illosque sub sua protectione recipit.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 113, n° 392, ex copia seculi decimi octavi a Bethmanno communicata.)

Testes hujus rei sunt Wilhelmus marchio Montisferrati, Jacobus Taurinensis episcopus, Obertus et Gotefridus comites de Blandrate, Obertus Iporegiensis episcopus.........

Datum in castris apud Urbem, anno dominice incarnationis M. CC. XX, octavo kalendas decembris, indictione nona.

---

(1) Cf. supra privilegium datum apud S. Archangelum, 30 octobris hujus anni.

Fridericus, Romanorum imperator, conventiones inter dominos de Plozascho, homines de Bagnolio, Caburo, Bargiis, etc., et civitatem Taurinensem de eorum habitaculo in eadem civitate confirmat, et plenam libertatem universis imperii fidelibus concedit ut ibidem cum omnibus rebus suis ad habitandum veniant. Apud urbem, 24 novembris.

(Edit. in *Monum. Hist. Patr.*, leg. municipales, statuta Taurini, p. 517, e transumpto ann. 1271. Cf. Pingonius, *Augusta Taurinorum*, p. 43.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, in perpetuum. Cum de nostra voluntate processerit et mandato quod fideles nostri domini de Plozascho et homines item de Bagnolio, Caburo et de Bargiis, de Publiciis, de Scalengis atque de valle Matii fecerint in Thaurino eorum habitaculum, pacta et conventiones inter ipsos et civitatem Thaurinensem initas imperiali auctoritate ex certa scientia universaliter confirmamus, dantes licentiam et plenariam libertatem universis imperii nostri fidelibus ut eamdem civitatem libere veniant habitare cum omnibus rebus suis sine conditione cujusquam seu eodem modo ibidem facere habitaculum, sicut fecerunt domini et homines supradicti. Si quis autem huic pagine nostre presumpserit contraire in aliquo, preter nostram indignationem et iram, penam mille marcharum auri persolvat, cujus medietas nobis applicetur, residua civitati predicte, nullis literis vel privilegiis impetratis obstantibus vel etiam impetrandis.

Data apud Urbem, [anno] millesimo ducentesimo vigesimo, octavo (a) kalendas decembris, indictione nona.

(a) Male in impresso ponitur virgula; unde notarum chronologicarum confusio oritur.

Apud urbem, 24 novembris.

Fridericus Romanorum imperator Oberto Iporegiensi episcopo omnes possessiones omniaque privilegia istius ecclesiae confirmat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 113, nº 393, ex copia coaeva apud Iporegiam a Bethmanno communicata.)

Datum apud Urbem, anno dominice incarnationis M. CC. XX, octavo kalendas decembris, indictione nona.

In castris apud urbem, novembri.

Fridericus Romanorum imperator ad interventum fidelis sui Azzonis abbatis monasterii Sancti Benedicti super Padum monasterium istud cum omnibus possessionibus et pertinentiis ejus in sua protectione recipit eique concessiones praedecessorum suorum, libertates et privilegia ibidem expressa confirmat.

(Edider. Mittarelli et Costadoni, *Annal. Camaldul.*, t. IV, Append. p. 396-399, ex autogr. S. Pontiani de Luca. — Camici, *Notizie istor., supplem. de vicar. imper.*, t. VI, p. 32.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Ad eterni regni premium et temporalis imperii incrementum apud regem regum nobis proficere non ambigimus si ad pacem et profectum ecclesiarum studium prebere curaverimus et operam diligentem. Quare ad imitationem antecessorum nostrorum illustrium imperatorum et regum, interventu quoque dilecti fidelis nostri Azzonis abbatis monasterii Sancti Benedicti desuper Padum (1) et omnium fratrum suorum de quorum

---

(1) Scilicet *de Polirone*, non procul a Mantua versus meridiem et orientem.

orationibus multum confidimus et quorum fraternitatem habentes (*sic*) diligimus, ipsum monasterium Sancti Benedicti super Padum quod nobis specialiter pertinet cum omnibus suis possessionibus et monasterium de Gunczaga et monasterium de Lecto Paludano et monasterium Sextense positum in comitatu Lucano et monasterium Sancti Pontiani et Sancti Martini in colle cum omnibus eorum possessionibus et omnia alia monasteria et ecclesias ubicumque sint predicto monasterio Sancti Benedicti pertinentes cum omnibus possessionibus, predicti abbatis personam et omnes monachos, clericos et conversos suos, familiam quoque et omnes habitatores suos, omnia etiam bona mobilia et immobilia ipsius monasterii et omnium ecclesiarum suarum et hominum suorum ubicumque sint in tutelam nostre defensionis et protectionis recipimus, et ea omnia predicta ab omni imperiali exactione et jurisdictione cujuscumque potestatis, civitatis vel communis et omnium nuntiorum nostrorum et ministrorum nostrorum presentium et futurorum et ab omnibus insuper albergariis, arimaniis, angariis et perangariis, fodris, collectis, bannis, gualdimoniis exempta omnino, libera, absoluta esse volumus atque precipimus pro anime nostre remedio et parentum nostrorum; que omnia in integrum predicto monasterio Sancti Benedicti super Padum in perpetuum donamus, concedimus et confirmamus et lege semper valitura corroboramus. Specialiter autem omnia bona mobilia et immobilia que ab Henrico tertio et quarto, Lothario et Friderico et Henrico imperatoribus [tenent] et quecumque imperatores eidem monasterio et suis ecclesiis largiti sunt, videlicet quatuor mansos in Lecto Paludano ab Henrico sexto et octo ab inclito rege Conrado bone memorie datos, concessos et confirmatos, et que a marchione Tethaldo et a progenitoribus suis Bonifacio et Alberto marchionibus et nobilissima comitissa Matilda et duce Guelphone et ab aliis viris nobilibus, capitaneis, valvasoribus et ab aliis vassallis et hominibus nostris cujuscumque conditionis sepedicto monasterio et omnibus aliis suis ecclesiis donata, collata, concessa sunt et confirmata; omnia etiam bona et possessiones quas Hermannus Faber de Pigognaga pro remedio anime sue eidem monasterio contulit et concessit, necnon et possessiones quas a filiis quondam Preytolini de Castellarano idem monasterium emit et omnes de

quibus dictum monasterium et ecclesie privilegia vel chartas authenticatas habent ad jamdicti monasterii et omnium ecclesiarum suarum pacem et quietem et firmitudinem, utilitatem et corroborationem, precipue omnes boscos de Pigognaga, videlicet Carpenetam, Spinetam, saccam de Petreta et saccam de Razeta et Savetam et omnia quecumque habet idem monasterium in curte de Pigognaga, sicut continetur in privilegiis suis et in carta Johannis notarii et alia que in antea Deo dante adipisci et acquirere poterit donamus, concedimus et confirmamus et per hanc divalem paginam corroboramus in perpetuum. Preterea omnes possessiones, omnes terras et omnes paludes que tempore Friderici et Henrici imperatorum et nostro tempore predicto monasterio et omnibus suis ecclesiis et suis hominibus a (*a*) nunciis nostris intromisse seu impedite vel saisite fuerint vel sunt, eidem monasterio et ejus ecclesiis et omnibus suis hominibus restituimus, reddimus, donamus et confirmamus et presenti privilegio corroboramus. Insuper omnes possessiones quas Albertus abbas Gualterio de Gunzaga in beneficio feudi sine licentia nostrorum antecessorum dedit, que possessiones in dampnum et detrimentum ipsius monasterii vertuntur, quod nequaquam pati possumus nec debemus, Azzoni abbati monasterii Sancti Benedicti suisque successoribus nomine prefati monasterii imperiali auctoritate reddimus et restituimus et eorum datum si quid fuerit in irritum reducimus et in perpetuum cassamus; et de predictis possessionibus, videlicet Braida monasterio Gunzage adjacente cum burgo in ea posito et aliis quibusdam possessionibus monasterii de Gunzaga in Lecto Paludano positis et in curte Gunzage de consilio curie nostre vice monasterii predicti quod ad nos specialiter pertinet lege semper valitura ipsum investimus, et cum omni honore et districtu et jurisdictione ipsi abbati corroboravimus suisque successoribus in perpetuum. Statuentes et districte sub debito fidelitatis nostre precipientes ut nullus dux, marchio, comes, nullus gastaldio, nullus nunciorum vel fidelium nostrorum nec nullus etiam ipsius Gualterii heredum vel proheredum, nulla denique persona prefatum monasterium de jamdictis possessionibus de cetero molestare aut perturbare

(*a*) In impressis *et*, male.

presumat. Ad indicium autem majoris nostre gratie quam habemus in idem monasterium pro pace ipsius et tranquillitate, si quid questionis in presentiarum moveri potest aut in antea ullo tempore poterit super bonis mobilibus et immobilibus predicti monasterii et omnium ecclesiarum suarum que modo habent et suorum hominum, aut in antea Deo dante habebunt, de mera liberalitate nostra omni juri renunciantes penitus cassamus atque dimittimus pro stabilitate imperii nostri et remedio anime nostre et parentum nostrorum. Statuimus insuper et districte sub debito fidelitatis precipimus ut nullus archiepiscopus, episcopus, etc., dictum monasterium Sancti Benedicti super Padum, monasterium de Gunzaga et de Lecto Paludano et monasterium Sextense et Sancti Martini in colle et omnes ecclesias suas, etc., predictum abbatem cum omnibus subjectis suis clericis et laicis, etc., ledere, perturbare vel molestare seu impedire et invadere per quodvis ingenium audeat, vel huic nostre largitioni, concessioni et confirmationi et restitutioni contradicere presumat, sed idem monasterium, etc. (*sic*), volumus esse libera et penitus ab omni exactione exempta. Si quis, etc. (*sic*).

Hujus rei testes sunt Bertholdus Aquilegensis patriarcha, Siffridus Augustensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Bertholdus Brixiensis episcopus, Ludovicus dux Bavarie comes palatinus Reni, Guillielmus marchio Montisferrati, Azzo marchio Estensis, Anselmus de Justingen marescalcus, Warnerus dapifer de Bollandia, aliique plures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius [vice domini Coloniensis archiepiscopi] totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M.CC.XX, mense novembri, indictione IX, regnante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto et rege Sicilie, anno vero imperii ejus I, regni autem Sicilie vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Datum in castris apud Urbem, anno et mense et indictione prescriptis.

[In castris apud urbem, 24 novembris.]

Fridericus Romanorum imperator Gratianum abbatem burgi Sancti Sepulcri in comitatu Castelli, burgum ipsum et burgenses in sua protectione et dominio recipit, omnes eorum libertates et jura confirmans, praecipitque consulibus et populo Aretii et Castelli ut abbatiae et burgo consilium et adjutorium tribuant.

(Edider. MITTARELLI et COSTADONI, *Annal. Camaldul.*, t. IV, Append. p. 406-410, ex veteri exemplo Burgensi anni 1243, 9 aprilis.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie. Imperialem decet solertiam ecclesiam et religiosos et loca specialiter imperio pertinentia in sua justitia manutenere ac defendere eisque bona ipsorum ac possessiones que a ducibus, imperatoribus et regibus predecessoribus nostris sive a quibuslibet aliis personis eis tradite et confirmate fuere et liberaliter augmentare ac privilegia firmare perpetuo ac corroborare. Hoc enim ad presentis vite cursum feliciorem et ad eterne vite retributionem nobis profuturum non dubitamus. Ad notitiam itaque universorum imperii nostrorum fidelium tam presentis etatis quam successure posteritatis pervenire volumus quod nos burgum Sancti Sepulchri situm in comitatu Castelli et burgenses necnon cetera ejusdem loci et abbatem Gratianum suosque successores, omnes quoque fratres et res ac possessiones predicto loco pertinentes sub tuitionem dominiumque nostrum specialiter accepimus, confirmantes omnia privilegia a predecessoribus nostris eisdem collata, precipientes quoque firmissime ac perenni edicto irrefragabiliter sancientes ut nullus unquam archiepiscopus vel episcopus, dux vel marchio et nulla unquam major minorve persona in abbatia illa et burgo predicto aut in aliquibus eorum personis seu pertinentiis aliquid sibi juris audeat ascribere (a) vel fodrum aliquod seu dationem aut ali-

(a) In impresso *et scribere*, male.

quam aliam publicam functionem ab eis exigere vel recipere, nec alicui hominum sit licitum ab imperii dominicatu ea tollere et sub alicujus potestate collocare; et si aliquando sub alio constituta fuerit et in aliquo publico instrumento injuste recepit, inritum totum revocamus, quia non decet ut specialis domus et res monasterii indebitum aliene servitutis jugum sustineat, sed abbatia illa et burgus ejus ac burgenses nulli mortalium infra burgum vel fines burgi teneatur respondere nisi nostre majestati imperiali aut nostro certo nuntio vel abbati illius burgi, et per universum nostrum imperium eundo et redeundo cum omnibus rebus suis salvi sint et securi et neque in personis neque in rebus suis eos injuste audeat aliquis inquietare vel molestare. Idem dicimus de lib............. .... infra fines burgi habentibus, quamvis in burgo non habitent. Statuimus etiam inviolabiliter ut capitanei qui sunt habitatores ejusdem burgi et ipsorum mansnadarii et aliibet homines ea que juraverunt huic abbatie et burgo prenominato et fines et pactiones quas fecerunt firma perpetuo teneant et illibata, ipsi et eorum heredes. Castella quoque que sua voluntate destruxerunt de cetero non reedificent nec aliquod edificium deinceps faciant nec fieri permittant infra terminos in hac conventione denotatos. Quicumque autem liber homo in burgo illo nunc habitat vel habitare voluerit, omnia sua rata et justitia in omni loco sibi salva sint et secura. Preter ea que dicta sunt, predicto abbati et monasterio Sancti Sepulchri concedimus, damus et largimur esse......... placitum atque districtum totamque jurisdictionem burgi Sancti Sepulchri et omnium pertinentiarum ejus quam de jure tenere debet et ut justitiam faciat in burgo illo toto et in omnibus pertinentiis ejus ipsius abbatie ac sepedicti burgi per se vel per alium, et consules eligantur ibi vel statuantur de voluntate et consensu abbatis supradicti, et nulla unquam ecclesiastica secularisve persona de cetero ecclesiam aliquam vel hospitale in burgo supradicto vel ejus districtu sine voluntate sepedicti abbatis edificet. Preterea universas ecclesias, possessiones et tenimenta atque justitias, massaritias quoque, aliosve homines et generaliter............ vel bona que ecclesie illi Sancti Sepulchri ab imperatoribus vel regibus vel apostolicis aliisve personis collata sive confirmata sunt aut in futuro Deo dante con-

ferentur, et nominatim ecclesiam illam que est juxta claustrum monasterii et juxta plateam burgi et aquam illam regalem quam habent in flumine Tiberis, sicut illi ecclesie antiquitus concessa fuit et massaritias de Casaprati sicut eidem monasterio concessa sunt et auctoritate nostre celsitudinis perpetuo confirmamus, firmiterque precipiendo sancimus ut nulla magna parvave persona ex omnibus supradictis aliquid audeat violenter auferre vel mutare aut injuste detinere. Res quoque ac possessiones omnes burgensium quas nunc juste habent aut in futuro legaliter et cum voluntate abbatis acquisierint ac similiter omnes ejusdem monasterii res ac possessiones rationabiliter acquisitas seu acquirendas ab omni mala usaria liberas et absolutas esse decernimus. Si quis vero de rebus seu pertinentiis supradicte ecclesie nunc aliquid injuste tenet et infra XL dies postquam fuerit tertio requisitus a supradicto abbate ejusque successoribus non satisfecerit, ad justitie bannum jure subjaceat et abbati liceat in tenimentum intrare nostra auctoritate quousque plenam consequatur justitiam, nihil obnoxius. Precipimus ut burgus ille non crescat unquam nec extendatur nisi in allodium abbatie Sancti Sepulchri et burgus ille quantumcumque potest et voluerit augmentetur et protendatur infra allodium prenominate abbatie ex omni parte. Voluntas insuper et preceptum nostrum est ut si quis burgensem aliquem Sancti Sepulchri in burgo illo vel ejus districtu super aliqua re impetierit et securitatem in manu abbatis Sancti Sepulchri protestari noluerit, burgensis non teneatur illi sub aliquo respondere. Hec omnia supradicta de abbate et abbatia Sancti Sepulchri et burgi et burgensium et omnium pertinentiarum suarum rata semper et firma permanere precipimus, salva in omnibus imperiali nostra justitia. Si quis autem, quod absit, magnus vel parvus contra hujus nostri augustalis edicti statutum venire presumpserit vel ipse burgum a nostra speciali proprietate aut ab hac Sancti Sepulchri attemptaverit removere, pene centum mille (*a*) librarum argenti puri subjaceat....... earum medietatem camere imperiali et alteram medietatem abbatie prenominate persolvat, et hoc preceptum in sua stabili-

(*a*) In impresso *ille*, male.

tate permaneat. Ad hec sub eadem pena et sub debito fidelitatis et sacramenti quo nobis tenentur firmissime precipimus consulibus Aretine civitatis et Castellane presentibus et futuris et toti populo earumdem civitatum Aretii et Castelli habitantibus quatenus abbati et abbatie burgi Sancti Sepulchri et burgo et burgensibus bona fide fortiam et adjutorium et consilium ad se defendendum tribuant et nullam eis guerram vel malum faciant. Ut autem hec omnia verius credantur a cunctis et ab universis omni tempore hoc nostre serenitatis preceptum diligentius observetur, presentem hujus sacre et perpetue jussionis paginam majestatis nostre munimine (*a*) jussimus insigniri.

Hujus rei testes sunt Bertoldus Aquilejensis patriarcha, Sifridus Au[gustensis] episcopus, Uldericus Patavensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Bertholdus Brixi[n]ensis episcopus, Ludovicus dux Bavarie comes palatinus Reni, Willelmus marchio Montisferrati, Azo marchio Estensis, Anselmus de Justingen marescalcus, Wernerus dapifer de [B]olandia et alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XX, XIII kalendas decembris (1), indictione nona, regnante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus primo, regni autem Sicilie XXIII, feliciter. Amen (2).

. . . .

(*a*) In impresso *precepto;* sed ad finem transumpti notarius se ipsum corrigit.

---

(1) Quum evidenter tam ex titulo imperatoris quam ex testium nominibus hoc privilegium post coronationem editum fuerit, pro *XIII kalendas* legendum arbitramur *VIII kalendas*. Mittarelli ad idem privilegium in Annalibus se referens, p. 262, his tamen utitur verbis, qua nescimus auctoritate : « *septem dies post coronationem.* »

(2) Ita in transumpto, deficiente notatione loci.

In castris apud urbem, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, commune Pistorii sub speciali sua protectione recipit, districtum, jurisdictionem et bona ejus confirmat, et Ugolinum Paganelli potestatem ipsius communis de his omnibus investit.

(Edid. ZACHARIA, *Anecdot. med. aevi*, p. 245, ex libro censuum, fol. 64.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Regalis eminentie celsitudo preclara fidelium suorum obsequia tenere ante majestatis sue oculos consuevit et eos potius honorare ac dignis gratie beneficiis prevenire pro quibus in conspectu suo et sincera devotio supplicat et servitia grata perorant. Eapropter notum esse volumus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes puram fidem et sinceram devotionem dilectorum fidelium nostrorum communis civitatis Pistorii quam erga imperium et nos laudabiliter habuisse noscuntur, intuitu etiam servitiorum que divis augustis predecessoribus nostris memorie recolende exhibuerunt fideliter et devote atque majestati nostre de bono in melius exhibebunt, memoratum comune Pistorii cum omnibus bonis suis sub speciali protectione nostra recipimus, concedentes et confirmantes eis in perpetuum districtum et jurisdictionem et omnia eorum bona que a temporibus predecessorum nostrorum predictorum ab eis et imperio juste tenuerunt et rationabiliter habuerunt, et de his omnibus juxta morem imperii investimus Ugolinum Paganelli potestatem dicte civitatis pro parte totius comunis civitatis ipsius, jure et honore imperii in omnibus conservato. Mandantes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut quecumque persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, civitas seu comune contra hanc receptionem, concessionem et confirmationem nostram venire presumpserit centum libras auri componat, quarum medietas camere nostre,

altera vero passis injuriam persolvatur. Ad cujus rei memoriam presens privilegium inde fieri et bulla aurea typario majestatis nostre impressa fecimus communiri.

Hujus rei [testes] sunt Bertholdus Aquilegiensis patriarcha, Ulricus Pataviensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Bertoldus Brixi[n]ensis episcopus, Ludewicus dux Bavarie comes palatinus Reni, Willelmus marchio Montisferrati, Azzo marchio Hestensis, Anselmus de Justingen marescalcus, Wernerus dapifer de Bollandia et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini ... Dei gratia Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XX, [mense] novembris, indictione nona, regnante domino nostro Frederico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus primo, regni autem Sicilie vigesimo tertio, feliciter. Amen.

Datum in castris apud Urbem, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, potestati et communi Pisarum concedit et confirmat, nominibus specialiter expressis, omnia quae ab imperio tenent cum jurisdictione et districtu, necnon et Massam cum pertinentiis suis; potestatem donat faciendi justitiam et negotiandi secure per terram et per aquam, confertque in feudum littus maris a civitate Vecla usque ad portum Veneris cum privilegio portuum.

In Montemalo prope urbem, 24 novembris.

(Edid. FLAMINIO DAL BORGO, *Raccolta di diplomi Pisani*, ex arch. Reformat. civ. Florent., p. 42 et seqq.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et Sicilie rex. Decet imperialem excellentiam votis omnium et petitionibus fidelium suorum clementer annuere, illorum precipue quorum fides et devotio circa sublimationem imperii et nostram ita liquido resplenduit quod ipsorum preclara et honesta servitia pro sui magnitudine et multitudine aliis imitanda proponunt. Congruum enim et rationabile videtur nos eorum fidelibus obsequiis ex nostra imperiali largitione et beneficiorum gratuita collatione ita gratanter respondere quod hujus nostre pietatis exemplo omnium fidelium animos ad serviendum fideliter imperio alacrius provocemus. Quanto enim potiora benemerentes de nobis beneficia recipiunt, tanto majorem corone nostre gloriam accrescere credimus et provenire. Unde quia Pisani cives universi nostri fidelissimi et imperio semper devotissimi pro suis magnificis et multiplicibus servitiis, que ad probationem et commendationem fidei sue et inclite memorie avo nostro Federico et patri nostro Henrico divis imperatoribus nobisque et imperio frequentius exhibuerunt, ampliorem dilectionis et gratie favorem apud nostram majestatem sibi thesaurizaverunt, omnium fidelium tam futurorum quam presentium etas cognoscat quanta benignitate, quam largiflua imperiali munificentia Pisanorum merita merito respeximus, presertim cum per suam industriam et virium potentiam honorem et gloriam imperii atque reipublice ipsi pre ceteris gloriose semper adauxerint et semper augere proposuerint. Quanta enim fidelitate et probitate Pisana civitas a prima sui fundatione caput suum inter alias civitates extulerit, quanta enim constantia divis omnibus antecessoribus nostris regibus Romanorum et imperatoribus fidelissime serviendo perseveranter adheserit, nos per multa scripta et relationes sepius audivimus et ex ipsorum operum attestatione id ipsum luce clarius constat. Placet igitur nostre clementie ut Pisanus populus pro sua fide et devotione honestissimum semper a nobis recipiat emolumentum ut eo ferventiores ad promovendum honorem imperii semper existant, quo fidem et strenuitatem patrum suorum honestis moribus et perspicuis virtutum operibus emulantur. Inde est quod nos Federicus secundus Dei gratia Romanorum imperator et Sicilie

rex damus et concedimus tibi Bonacursio de Tahenriciis de Cane Pisanorum potestati recipienti pro civitate Pisana totum quod prefata civitas et quelibet persona habet et tenet de rebus imperii et totum quod imperio pertinet sive de marchia vel alio modo quoquo jure vel consuetudine vel pertinuit retro a nonaginta annis vel pertinebit in civitate Pisana et ejus districtu per terras et insulas. Concedimus quoque vobis, damus et confirmamus in feudum comitatum vestro districtui, sicut tenet turris Benni ad Arnum et ad Cannetum et inde ad Barbiallam et sicut trahit ab Ebula ad montem Tignosum, et ipsum montem Tignosum cum pertinentiis suis et ad Burianum et Quercetum cum pertinentiis suis et ad castrum Cornie cum pertinentiis suis, inde ad Scarlinum et sicut trahit marina ad portum Herculis. Ab alia parte fluminis Arni sicut trahit Planesule et comprehendit Cintorie curiam et sicut trahunt confinia inter Pisanos et Lucenses usque ad Pontem Mongione et inde sicut sunt confinia districtus Pisane civitatis, infra quos terminos hec loca continentur: castrum Pecciuli cum omnibus suis pertinentiis, castrum montis Chuccheri cum pertinentiis suis, Ghizanum, castellum Falfi, Camporena, Vignale, Leguli, Petraraminga, Lajaticum, Chianni, Agnianum, Pava, Petra Cassia, Gabretum, Gellum, Casalia, Saxa, Caselle, Cannetum, Mons Viridis, Castillione Bernardi, Sassetta, Tojanum, Tempianum, Palaria, Sanctus Gervasius, Mons de Castello, Mons Taupari, Marti, Collegarli, Concarelli, Pratilionum, Uxilianum, Cerretum, Tregiaria, Forculi, Alica, Petriolum, mons Bicchieri et cumulum, Stibium, mons Altus, Comugnole, Pinochium, Pons here, Appianum, Gellum, Pessianum, Rapida, Tavelle, Schetocculi, Travalda et Cisanum et omnia predicta cum suis pertinentiis; et preterea Vignale, Campilia, Rocca Biserni, Rocca Palmeri, Donoraticum, Castagnetum, Segalari, Bulgari, Bibboni cum omnibus eorum pertinentiis, abbatia de Fango cum omnibus suis pertinentiis, Castellione de Piscaria cum omnibus pertinentiis suis, Ilba, Capraria, Gorgonia, Planusia et Corsica. Et in omnibus prenominatis locis jurisdictionem et districtum vobis concedimus et confirmamus, et quidquid aliqua persona habet ibi ab imperio et quidquid ibi imperio pertinet et quecumque alia intra predictos confines et terminos continentur tam in

castris quam in locis, villis et habitationibus, terris, aquis, fluminibus, stagnis, paludibus, pasculis, piscariis, argentifodinis et omnibus venis metallorum et salinis et silvis cum omni plenitudine et integritate vobis concedimus. Concedimus etiam vobis castrum Masse et ipsam Massam cum omnibus suis pertinentiis. Insuper indulgemus et concedimus vobis ut nulli persone vel hominibus vel alii civitati vel loco de cetero liceat edificare aliquod edificium vel munitionem aliquam a loco dicto Corbo usque ad fauces Arni vel in plagia juxta mare vel infra terram a pede montis usque ad mare per jamdictos fines. Volumus ad hec ut Pisani et qui de eorum districtu sunt et eorum res sint liberi etiam sub consulatu et judicibus et potestatibus de se ipsis, sicut eis placuerit. Et Pisana civitas habeat plenam jurisdictionem et potestatem faciendi justitiam et etiam vindictam et dandi tutores et mundualdos et alia que judex ordinarius vel quilibet potestate preditus ab imperatore vel rege habere debet ex sua jurisdictione in suo districtu et in suos quos concessimus eis et concedimus. Et Pisani et qui de eorum districtu sunt a nulla persona debeant foderari neque hospitari. Et Pisani potestatem habeant ducendi eos in expeditionem et ad omnem districtum suum, et quicumque negotiatores voluerint transire ad eos causa negotiandi sive per terram sive per aquam secure vadant et a nullo aliquo ingenio impediantur, nisi sint in banno domini imperatoris. Negotiatores autem Pisani per totum imperium nostrum liberi sint et vadant per terram et aquam absque omni pedagio et directura nec cogantur emere vel vendere ultra suum velle, nec alius quilibet aliquo ingenio prohibeatur a Pisanis emere. Et concedimus et damus vobis in feudum littus maris et tantum juxta hoc quod libere Pisani in eo facere naves et galeas et exercere suas mercationes possint, et quod in eo nobis pertinet a civitate Vecla (1) usque ad portum Veneris, et quod nullus possit in eo vel faucibus aquarum infra terminum comprehensis facere portum vel applicare cum navibus et mercibus contra voluntatem Pisanorum. Et si Pisani pro his vel de iis concessionibus in

---

(1) Verisimiliter *Civita Vecchia.*

toto vel in parte obtinendis vel recuperandis aliquem gravaverint vel possessionem abstulerint sive habuerint, non cogemus civitatem Pisanam et potestatem Pisanum seu rectorem vel consilium qui pro tempore fuerint ad justitiam faciendum. Si quis autem de predictis concessionibus quidquid Pisane civitati abstulerit vel inquietaverit, citabimus eum precipientes ut desistat et restitui faciemus. Quod si non fecerit, per sententiam nostram eum banno supponemus nec extrahemus a banno nisi prius satisfecerit Pisane civitati. Hec suprascripta omnia damus in feudum et concedimus communi Pisanorum et per presentem privilegii paginam confirmamus et etiam imperiali auctoritate omnia suprascripta bulla nostra jussimus insigniri. Et de suprascriptis investi[vi]mus Pisanos per ensem quem in manu tenebamus. Predictam autem concessionem seu dationem ratam esse volumus et firmam, non obstante aliquo privilegio vel rescripto vel litteris a predictis progenitoribus nostris vel a nostra majestate impetratis vel impetrandis, et si que talia privilegia seu scripta fuerint inventa ea imperiali auctoritate cassamus. Confirmamus etiam ipsi civitati Pisarum omnia privilegia et que in ipsis continentur que a progenitoribus et aliis antecessoribus nostris Romanis imperatoribus seu regibus eidem civitati Pisarum sunt indulta. Statuentes et imperiali auctoritate stricte precipientes ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes nullaque civitas nullaque potestas nullumve commune vel locus, nulla denique persona ecclesiastica vel secularis hanc nostre concessionis seu confirmationis paginam divalem presumat infringere seu aliquo ei temeritatis ausu obviare. Quod qui facere presumpserit mille libras auri puri in sue presumptionis penam componat, quarum medietas fisco nostro, reliqua vero medietas injuriam passis persolvatur.

Hujus rei testes sunt Bertholdus Aquilejensis patriarcha, Syfridus archiepiscopus Maguntensis, Ulricus Pataviensis, Sifridus Augustanus, Bertoldus [Brixinensis] episcopi, Albertus Tridentinus electus, Ludovicus dux Bavarie et comes Reni palatinus, Guilelmus marchio Montis Ferrati, Guido, Tigrinus, Rogerius, Aginolfus comites Tuscie palatini, Azzolinus Estensis marchio, [Wernerus] de Bolanda imperialis aule dapifer, An-

selmus de Justingen imperialis aule marescalcus, et alii quamplures (*a*).

Signum domini Frederici secundi Romanorum imperatoris et Sicilie regis.

Acta sunt hec omnia anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo vigesimo, indictione VIII (1), imperante gloriosissimo domino nostro Federico imperatore Romanorum, semper augusto, et invictissimo rege Sicilie, anno imperii ejus primo, regni vero [Sicilie] vigesimo secundo (*b*), in monte Malo (2) prope Urbem, VIII kalendas decembris.

In castris in Montemalo, 24 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, civitati Dertonensi confirmat privilegium eidem ab avo et patre suo indultum cum gladii potestate et omnimoda jurisdictione.

(Edit. ap. Costa, *Cronaca di Tortona*, p. 62-67. Cum originale inter transcripta non habeamus, privilegium istud saltem sub ea forma et versione quas in his chronicis quarto decimo saeculo exaratis invenimus, exhibendum censemus. — Cf. Bottazzi, *Antich. di Tortona*, p. 309 et seqq., et Montemerlo, *Hist. di Tortona*, lib. I, p. 36.)

Fedrico II ad intercessione de Dertonesi conferma gli privilegi concessi già a la detta città et la pace fatasi per il Barbarossa suo avolo como per Henrico suo padre, et non solo la conferma sia di novo dà, concede et reintegra a la detta città tute le giurisdicione, honori, pedagi, dazii, tholonei, daptioni, strate cum il resto dil concesso per deti Fedrico et

(*a*) Nomina testium ex collatione documentorum quae praeeunt et sequuntur correximus.

(*b*) Recte autem *tertio*.

(1) Hic calculo Pisano notarius utitur et indictione pontificia.

(2) Scilicet *Monte Mario*, ad dextram Tiberis ripam, extra Romae ambitum versus septentrionem; unde urbs tota ad maximam oculorum voluptatem circumspicitur.

Henrico cum espressa derogatione et cessamento di tuti li altri privilegi et indulti concessi contra detta città di Dertona et sua giurisdicione così per detti predecessori como per lui istesso a favore de qual si vogli luoco, cuorpo, comune, persona, collegio et università; cum la restitucione di ogni possesso, di ogni luoco e giurisdicione che li potesse essere stato abdicato et tolto, et che essi Dertonesi possedeano et haveano posseduto dal tempo di la fedeltà giurata al deto Fedrico Barbarossa in mano di Everardo di Cutri (*sic*) legato imperiale in quà et per anni 60 innanti a la detta fedeltà, che se intende di tuti li luochi, casteli et giurisdicione che essa città tenea innanti le ruvine date dal Barbarossa suo avolo (1), se bene si calcula, et questo non obstante a qual si vogli privilegio per lui o suoi precessori concessi per deto tempo a qual si vogli persona de qual si vogli stato, grado et condicione et di qual si vogli luoco et a qual si vogli comune, cuorpo et università, a quali tuti deroga; di più li dà la piena potestà cum ogni giurisdicione et pena di coltello et mera autorità cum la total animadversione ne li facinorosi et cum la total cognitione di le cause così civile et criminale como mixte et così nella città como fori ne li luochi dil suo distreto et territorio, cum le ferracicie, ferro, piscagioni, pischere, aque, aqueduti di dentro et di fori, cum la confirmatione di tuti li privilegi et cum la translatione dil dominio de li luochi, castelli, giurisdicione et possessione piena et meri honori de li luochi infrascriti cioè: di Puozol dil gropo, Montemersino, Bagnara, Blignano, Fabrica, Dernice, Brusamonica, Grondona, Montealto, Cassano, Bosco, Castelaro, Cagnano, Puozol Formigaro, Volpedo, Monleale, Monpelone, Gremiasco, Merlassino, Aliprando, Publeto, Percipiano, Brionte, Avolasca, Cupara, Aciano, Vegale, Montemerlo, Busseto, Montelebore, Mongiardino, Percio, Montecucco, Stazano, Villa, Pontecurone, Calvenzana, Catorba, Grugnano, Brugnano, Banci, Monteacuto, Borgo, Savignone, Arquata, Sarravalle, Novi, Sarzano, Bagnolo, Rusiano, Lugagnano, la Rocca et Montelario cum la clausula cioè: et si intra predictas choerentias aliquid est, tanquam si esset nominatum, perpetuo damus, con-

(1) Scilicet anno 1174, quo Fridericus primus ad petitionem Papiensium Dertonam vastavit.

cedimus et confirmamus. Di più dà, conferma et concede a la detta città di proprio moto et di certa scientia et de plenaria imperial potestà et auctorità il luoco di Castelnovo et sua villa cum tutta la curia et sua giurisdizione plenaria et mera, cum gli honori, distreto et huomini che habitano et per lo avenire habiterano in deto luoco et villa et cum le sue pertinentie, et di più dà et conferma, defensa et mette in ogni possesso la detta città di Dertona et suoi cittadini in quasi prescriptione et signoria di detto luoco, villa et huomini cum la translatione di ogni ragione, dominio et actione, volendo che possano Dertonesi usare, godere et fruire esso luoco, villa et giurisdicione in tute le pertinencie et huomini, et che di essi ne possino disponere de auctorità imperiale como esso imperatore (1), non obstante a qual si voglia privilegio indulto et concesso a qual si vogli persona, cuorpo, comune et università, a quali tuti deroga et specialmente deroga al privilegio et indulto da Averardo de Lutri. In-

---

(1) « Dell' anno 1221 a 13 febbrajo, Conrado vescovo e legato generale per l'imperadore » Federico riceve da Guiglelmo Aliate podestà di Tortona, da Rubaldo Malpassuto, da Gui- » dotto Fellavello ed Henrico notario, deputati di Tortona, L marche d'argento per il privilegio » che l'imperadore concesse a detta città di Tortona della giurisdictione della terra di Castel- » nuovo, e commandò detto legato imperiale che omniamente Castelnuovo obedisse a Tortona » e suo podestà. » MONTEMERLO, *Histor. di Tortona*, lib. I, p. 37.

« A la qual legatione segue una subdelegatione fata per il detto Corrado in Gioanni Lupo suo » camerlengo et etiamdio procurator intorno a quanto sopra speciale imperiale, a metter detta » città nel possesso di deto luoco di Castelnovo, villa et giurisdicione, et cum expressa auctorità » di comandare agli huomini di esso luoco di Castelnovo ad ciò ubediscano a le jussioni et suoi » magistrati, soto la pena di doe mille marche di oro : como per carta rogata per Giuliano cangiliero del detto Corrado, posta ne lo archivio.

» Qual Lupo exequendo la sua delegatione si transferì a Dertona et de indi al deto luoco di » Castelnovo, dove dete et transferse lo actual et corporal possesso dil detto luoco, villa, giu- » risdicione et pertinentie a Giacobo da Sexto alhora giudice et vicario di Galino (*sic*) di Aliate » alhora podestà di detta città di Dertona et ad Henrico Torto, nuntii et sindici eletti per detta » città.... Detto Lupo comanda agli huomini dil detto luoco che obediscano et obedir debbano » alla città, suoi podestà et magistrati, conforme a li privilegi et confirmatione concesse et fate » a la detta città per il detto Fedrico, soto le pene in esse cominate, cioè di le due mile marche » di oro, aggiunte ad una altra declaratione et cominatoria che se non obedirano se intendino » esser incorsi ne la stessa pena, et il simile dove facessero alcuna innovatione di non lasciar » la città in quieto et pacifico possesso. » COSTA, *Cronaca di Tort.*, p. 68-69.

noltre di plenaria imperial potestà et autorità un altra volta deroga et cassa tutti li privilegi indulti, concessi et confirmati a qual si vogli persona, cuorpo, collegio et università contra et in pregiudicio di la città suddetta di Dertona, cum la cominatione che alcuno vescovo, duca, marchese, conte nè viceconte, nuntio, nè alcuna persona ecclesiastica nè seculare nè di qual stato, grado et condicione esser si vogli che osi nè presumi violare il suddetto privilegio, concessione et confirmatione, contradirli nè contravenirli nè molestare la città suddetta per alcuno de li sopranominati luochi et in esse choerentie siti et existenti, nè meno osano nè presumano dar riceto, favore nè aiuto agli huomini di essi luochi che osano contravenire al suddetto indulto contra detta città, sotto pena di cento marche di puro oro et de la refectione de dani et indignatione di sua maiestà. . . . .

Hujus rei testes sunt Bertholdus patriarcha Aquilegensis, Ludovicus dux Bavarie comes palatinus Reni, Gulielmus marchio Montisferrati, Azzo marchio Estensis, Conradus et Obizo marchiones Malaspine (1). . . . . .

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XX. . . . . . .

Datum in castris in Montemalo per manum Henrici protonotarii imperialis aule, octavo kalendas decembris, indictione nona.

Fridericus, Romanorum imperator, Henrico Bononiensi episcopo et ecclesiae ejus bonos usus et consuetudines concedit et confirmat cum plena jurisdictione locorum ibidem expressorum, variaque ejusdem ecclesiae privilegia et immunitates memorat et renovat. In Montemalo, prope urbem, 25 novembris.

(Edider. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. II, 19. — Savioli, *Annali Bolognesi*, pars IIa, p. 451, sed perperam ad primum decembris diem apud hunc ultimum editorem.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, et Sicilie rex gloriosus

(1) Hos testes addimus ex Muratori, *Antich. Estensi*, I, 126.

in perpetuum. Imperialis majestatis decet eminentiam justis fidelium servorum desideriis benignam se prebere et commodam, illorum propensius vocibus aures serenitatis sue accommodans quorum devotionem lucidam et fidem preclaram in dies commendant obsequia. Inter quos dilectum fidelem principem nostrum Henricum venerabilem Bononie episcopum precipuum reputamus cum sue honestatis et conspicue devotionis certa nobis clarescant indicia. Ideo propter ea preclara servitia que nobis et imperio intrepide exhibuit et in posterum creditur exhibiturus, imperiali magnificentia concedimus et confirmamus eidem episcopo et ecclesie Bononiensi suisque successoribus in perpetuum bonos usus et consuetudines quos et quas ecclesia Bononiensis habuit. Concedimus quoque, damus et confirmamus eidem episcopo et ecclesie Bononiensi suisque successoribus plenam jurisdictionem omnium castrorum et locorum ejusdem episcopii et ecclesie Bononiensis, et nominatim castri Sancti Johannis in Persiceto et ejus curtis et pertinentie, castri episcopi et ejus curtis, montis Caballorii et ejus curtis, castri Unciole et ejus curtis et pertinentie, Rocce Badali et ejus curtis, Argillis et ejus pertinentie, castri Maxumatici et ejus curtis et podii de Maxumatico, castri Puglioli et ejus curtis, castri Flexi et ejus curtis, castri Ungiani (a) et ejus curtis. Item concedimus et confirmamus quod idem episcopus Bononiensis et successores sui terram Centi cum curte et pertinentiis suis liberam et exemptam integram de cetero habeant, teneant et possideant cum omni jurisdictione civili et criminali districtus et honore, sicut eam nunc habet, tenet et possidet liberam et exemptam et predecessores sui habere et tenere consueverunt; ita quod nulla persona vel civitas Bononie seu quecumque alia civitas vel commune fodrum vel collectam vel aliquam exactionem ibi facere vel imponere presumant in ea. In omnibus siquidem castris et locis predictis ac terris et earum pertinentiis et habitationibus per prefatum Bononiensem episcopum ejusque successores haberi et exerceri volumus et sancimus plenam jurisdictionem in placitis bonis et ceteris que pertinent ad jurisdictionem civilem et criminalem, non obstante privilegio a nobis communi Bononie concesso, cum per illud non

(a) Apud Savioli *Ulgiani*, rectius.

intelleximus auferre vel diminuere jura Bononiensis ecclesie; nec obstare volumus privilegium a serenissimo avo nostro Friderico invictissimo Romanorum imperatore civitatibus societatis Lombardie apud Constantiam concessum, nec etiam statuta communis Bononie obstare volumus supradictis. Concedimus episcopo et ecclesie Bononiensi portum Laveratici (*a*) cum portunatico et decursus aquarum et alveos fluminum in omnibus locis et terris predictis, specialiter regalia et armarias que et quas in castellis et locis suis et in eorum pertinentiis habet, et ut liceat ei suisque successoribus causas Bononiensis ecclesie omnes per syndicum peragere non prestito juramento calumnie ab ipso episcopo, ita quod alius contra eum hoc jure uti non possit nec adversarius nulla lege obstante. Adjicientes etiam concedimus sancte Bononiensi ecclesie ut nulla preteriti temporis prescriptio ab hoc nostre concessionis decreto eidem ecclesie objici possit nisi centum annorum, et deinceps possessiones, actiones et jura seu jurisdictiones ejusdem ecclesie non nisi spatio centum annorum prescribantur, et ecclesiastice persone et ecclesie Bononie diocesis plena gaudeant atque fruantur libertate et pace, vel ut nec ad angarias vel perangarias vel alias operas sed nec ad collectam vel exactionem aliquam quovis nomine censeantur nec per aliquem nostrum missum aliamve majorem vel minorem laicalem personam seu per commune Bononie compellantur curare ad breve communis Bononie vel sequimentum potestatis aut in cavalcatam vel exercitum ire, cum oporteat eas circa servitia dominorum suorum intendere. Statuimus insuper quod secularis judex de ecclesiis et clericis et ecclesiasticis personis predicte diocesis ac rebus eorum judicare vel disponere non presumat civiliter vel criminaliter, nisi quatenus canones sacri permittunt. Preterea privilegia et concessiones et quodcumque antecessores nostri reges sive Romanorum imperatores, etiam summi pontifices seu alia ecclesiastica vel secularis persona seu terrarum communia prefate Bononiensi ecclesie ejusque presulibus [per] donationem, venditionem, concessionem aut alio quovis titulo contulerunt, imperiali magnificentia confirmamus et privilegii nostri auctoritate com-

(*a*) Apud Savioli *Siviratici*.

munimus. Alienationes vero, venditiones et alias concessiones factas a predecessoribus prefati episcopi de rebus predicte ecclesie contra legitimas et canonicas sanctiones in damnum et prejudicium Bononiensis ecclesie irritamus et decernimus non valere. Concedimus quoque et mandamus quod potestas et commune Bononie in eorum districtu pro bannitis habeant quos episcopus Bononiensis de suis terris bannierit nec eis alii aliquam defensionem prestent donec in banno episcopi erunt. Insuper episcopum prefatum et ecclesiam Bononiensem cum omnibus ad episcopatum Bononie pertinentibus sub nostra imperiali protectione suscipimus. Statuimus ergo et nostra imperiali auctoritate sancimus quod nulla omnino persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, nullumque commune hoc nostre majestatis privilegium audeat violare nec aliquibus calumniarum injuriis seu damnis occasione statuti vel consuetudinis civitatis attentare presumat. Quod qui fecerit, in ultionem temeritatis sue componat CC libras puri auri, medietatem camere nostre, reliquam partem episcopo et ecclesie Bononiensi. Ad cujus rei certam in posterum evidentiam presentem exinde paginam conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Bertholdus Aquilejensis patriarcha, Sigifridus Moguntinensis sedis archiepiscopus..... (1).

Signum invictissimi domini nostri Friderici II Romanorum imperatoris divi (*sic*) augusti et regis Sicilie (*Monogramma*).

Ego Conradus Spirensis et Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Engemberti Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XX, imperante domino nostro glorioso Friderico Romanorum imperatore, semper augusto, anno imperii ejus I.

Datum per manum Henrici de Tanna imperialis prothonotarii in Montemalo prope Urbem, VII kalendas decembris, indictione IX.

---

(1) Sic in duobus, caeteris testibus non expressis.

Fridericus, Romanorum imperator, propter dilectionem quam in se habuerunt Guillelmus de Pusterla Bononiensis potestas et ejusdem civitatis commune, praedictae universitati concedit et confirmat quodcumque habuit in jurisdictionibus causarum civilium et criminalium, in creatione officialium et in caeteris bonis consuetudinibus. In Montemalo prope urbem, 25 (1) novembris.

(Edid. SAVIOLI, *Annali Bolognesi,* pars IIª, p. 454.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Consuevit imperialis excellentia fidelium suorum affectum pariter [et] sinceram devotionem provida metiri considerationis actione et justis ipsorum inclinata postulationibus multimoda ejus et preclara sue liberalitatis (a) beneficia cum plenitudine gratie favorabiliter impertiri. Ea propter universis imperii fidelibus tam presentis evi quam futuri duximus innotescendum quod nos pre oculis habentes pure fidei constantiam et dilectionis fervorem quem erga nos semper habuerunt fideles nostri Guillelmus de Pusterla Bononiensis potestas et ejusdem civitatis commune, animadvertentes quoque magnifica que pro commodo et honore imperii nobis possunt prestare obsequia, de imperiali clementia predicte universitati damus, concedimus et confirmamus quodcumque habuit et tenuit in jurisdictionibus tam civilium causarum quam criminalium, tam ordinariarum quam extraordinariarum et in officialium creatione et ceteris bonis consuetudinibus tenutis, habitis vel detentis temporibus progenitorum nostrorum Frederici et Henrici Romanorum imperatorum que nunc habet et tenet dicta universitas in civitate Bononie vel ejus episcopatu, salvis in ceteris non concessis justitiis et rationibus tam imperii

(a) In impresso *libertatis*, male.

quam ipsius civitatis. Statuimus itaque et imperiali firmiter sancimus edicto ut nulla unquam persona, humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis ausa sit contra hanc majestatis nostre donationem, concessionem atque confirmationem venire vel predictam universitatem Bononiensem in tenutis suis aliquatenus molestare; quod si quis ausu temerario facere presumpserit, in vindictam sue transgressionis auri examinati libras centum componat, dimidium camere nostre, reliquum passis injuriam. Ad cujus rei in posterum evidentiam presens exinde privilegium conscriptum sigilli nostri impressione jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Bertholdus Aquilejensis patriarcha, Ulricus Pataviensis episcopus, Sifredus Augustensis episcopus, Bertholdus Brixinensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Ludovicus dux Bawerie et palatinus comes Rheni, Wilhelmus Montisferrati marchio, Azzolinus marchio Estensis, Wido, Tigrimus, Rogerius et Aginulfus fratres palatini comites Tuscie, Warnherus dapifer, Anselmus marescalcus, et alii quamplures.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Engelberti Coloniensis archiepiscopi et totius Italie [archi]cancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo CC. XX, regnante invictissimo domino nostro Frederico secundo Romanorum imperatore et rege Sicilie, anno imperii ejus primo.

Datum in Montemalo prope Urbem per manum Henrici (*a*) protonotarii imperialis aule, [VII] kalendas decembris (1).

(*a*) In impresso *Conradi*, male.

---

(1) Cum Savioli sicut in praecedenti notationem mensis ita exhibeat : *Kal. decembris*, numerum supplendum duximus quem Ughellius admisit, praesertim cum imperator in privilegio pro ecclesia Bononiensi his utatur verbis : *non obstante privilegio a nobis communi Bononie concesso;* unde liquet istud eodem die quo praecedens vel etiam pridie aut antea fuisse datum.

Fridericus, Romanorum imperator, Ugolinum Albizonis et nepotes ejus Ugolinum et Albizonem fratres de Mugello (ex Ubaldinorum gente) in suam protectionem suscipit cum bonis eorum omnibus quae ibidem recensentur, multaque et ampla eis privilegia concedit, scilicet de fodro imperiali, de jure aedificandi, de jurisdictione civili et criminali, etc.

In Montemalo prope urbem, 25 novembris.

(Edider. Eug. Gamurrini, *Histor. genealog. Tusc.*, tom. IV, p. 60. — Moctius, *Hist. gentis Ubaldin.*, p. 52 et 128. — Lami, *Monum. eccles. Florent.*, t. I, p. 596.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, [et rex Sicilie]. Imperatorie benignitatis clementia devota fidelium suorum obsequia discreta circumspectione attendere consuevit, ipsisque pro benemeritis digna munificentie sue beneficia liberaliter impertiri. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus presentibus et venturis quod nos ad imitationem preclari antecessoris nostri Henrici sexti tunc Romanorum regis, intuitu sincere fidelitatis et obsequiorum que fideles nostri Ugulinus Albizonis et nepotes ejus Ugulinus et Albizo fratres de Mugello imperio et nobis devote exhibuerunt, ipsos et eorum heredes cum bonis suis ubicumque sitis mobilibus et immobilibus in specialem majestatis nostre protectionem recipimus ac defensionem promittimus omnibus bonis que nunc habent vel in posterum, concedente Deo, poterunt obtinere. Bona autem ipsa ad majorem fecimus cautelam propriis suis vocabulis presenti privilegio annotari: inprimis castrum, curiam, alloderios montis Accianichi, castrum, curiam, alloderios Pile, villam, curiam, districtum Policanti, castrum, curiam, alloderios Olivete, et quicquid ipsi habent vel eorum antecessores juste habuerunt et tenuerunt in castro et curia Sancti Crisci de Valcava de Mugello, et quicquid ipsi habent in villa de Rabatta,

castrum, curiam, alloderios Risantari, castrum, curiam, alloderios Puliciani, castrum, curiam et alloderios Luci, castrum, curiam et alloderios Poce, et quicquid ipsi habent vel eorum antecessores in Marsana curia, castrum, curiam et alloderios Campiani, castrum et alloderios Rivi Cornaclarii, castrum, curiam et alloderios Castri, loca que dicuntur Poggialto et Friena, curiam et alloderios eorumdem, castrum, curiam et alloderios Santerii, castrum, curiam, alloderios Raperii, Bientum vicariam cum curia et districtu, castrum Vallis cum curia, alloderiis et districtu ejusdem, castrum, curiam, alloderios Capitini, curiam et alloderios Petramale, castrum, curiam, alloderios Pellii, castrum, curiam, alloderios Colette, curiam et alloderios Monteodorii, castrum, curiam, alloderios Burdegni, castrum, curiam, alloderios Petramore cum vallibus, montibus, planitiis, collibus, silvis, venationibus, molendinis, aquis, aquarum decursionibus, insulis, fluminibus, ripis, piscationibus, pedagiis, teloneis, mercatis, curaticis, datiis et acattis et aliis pertinentiis eorumdem cum jure constituendi forum et mercata. Damus etiam et permittimus presenti pagina et de novo concedimus predictis fidelibus nostris Ugolino Albizonis et Ugolino et Albizo[ni] ejus nepotibus eorumdemque heredibus masculis fodrum nostrum imperiale quod homines eorum ubicumque fuerint et sint in civitate videlicet vel castris vel villis vel alibi nobis et nuntio nostro debent solvere, quatenus illud Ugulinus Albizonis et Ugulinus et Albizo et eorum heredes quiete habeant et plene possideant, nullo unquam nuntio nostro vel legato vel aliquo alio contradicente vel impediente. De speciali quoque gratia ipsos Ugulinum Albizonis et Ugulinum et Albizonem (*a*).... intuitu sincere devotionis et obsequiorum que ipsi nobis et imperio exhibuerunt, ipsis et heredibus eorum masculis concedimus et plenam damus facultatem in solo suo tam in civitatibus Florentie et Bononie quam extra et specialiter in predictis et quolibet predictorum ubi voluerint edificandi et reedificandi in eorum curiis novis et antiquis nulla, unquam propria potestate, consule vel consulibus vel communi, collegio vel universitate, nullo nuntio nostro vel legato contradicente vel impediente. Ex abun-

(*a*) Deest aliquid in impressis.

danti etiam benignitate ipsos Ugulinum Albizonis et Ugulinum et Albizonem ejus nepotes et heredes eorum masculos ampliare volentes, damus et concedimus eis et imperiali auctoritate donamus omne jus, usum sive consuetudinem, districtum, curiam, honorem et universas species cujuscumque gradus, conditionis vel sexus existant, tam alloderios quam alios quoscumque, omnemque jurisdictionem civilem et criminalem et que ad merum et mixtum imperium pertinent; ita quod deinceps in facinorosos animadvertere valeant ultimumque inferre supplicium, ac utilitatem et servitia que nos in predictis locis sive castris ac hominibus utriusque sexus ex dignitate Romani imperii possemus vel deberemus vel imperium antiquis temporibus in eis consuevit habere. Volentes et plenam dantes eis licentiam atque libertatem quatenus universos homines cujuscumque gradus vel sexus in eisdem castris locisque morantes et qui in antea morabuntur ibidem cum omnibus rebus et bonis eorum mobilibus et immobilibus presentibus et futuris retineant, omnesque illos qui in eis aliquando morari consueverunt a civitate Florentia et Bononia vel aliacumque civitate sive aliis castris vel locis ubi eos invenerint repetant libere, nullusque eos contra ipsorum Ugulini Albizonis et Ugulini et Albizonis et heredum suorum masculorum voluntatem audeat retinere, et ita cum omnibus bonis et rebus eorum ipsos eis adhibeat quod ad eorum consuetudinem vel habitationem revertantur antiquam absque omni cujuslibet persone sive rei impedimento, ipsaque castra prenominata et species utriusque sexus cum omni jurisdictione et omnibus curiis novis et antiquis, sicut esse consueverunt et si aliqua de novo utilitas seu usantia in eis potuit pervenire, ipsi in perpetuum quiete teneant et possideant et fruantur, et ipsorum heredes, nullo obstante privilegio quantumcumque de nostra predecessorumque nostrorum scientia certa concesso vel consuetudine facta vel facienda, nulla temporis legitimi minorisque LXXX annorum prescriptione que contra eos objici possit, nullaque civitatis, alieni castri, burgi, oppidi seu unius situs vel loci vel persone cujuslibet constitutione nova vel antiqua vel quacumque consuetudine temporis longevi. Volumus quoque et districte precipimus ut nulla civitas et castrum vel locus quilibet et nullus episcopus, abbas vel prior, nullusque marchio,

capitaneus vel procurator aliquis nullaque omnino persona secularis vel ecclesiastica sive nuncius sive legatus noster dictum Ugulinum Albizonis et Ugulinum et Albizonem nepotes ejus et heredes suos hominesque omnes ipsorum, ubicumque in predictis castris vel locis vel alibi ubicumque vel in quibuscumque civitatibus vel locis morantes, aliquo modo gravare presumat vel audeat ullo modo molestare vel aliquos dacios, angarias, perangarias vel alia quecumque alicujus provincie vel dominationis onera vel quecumque gravamina imponere ipsis vel aliquo modo ab eis exigere presumat, videlicet ipsi in perpetuum ab omnibus predictis liberi sint et quieti et absoluti cum omnibus eorum bonis et rebus presentibus et futuris. Quecumque vero persona, parva vel magna, secularis vel ecclesiastica, ex predictis contra hanc majestatis nostre concessionem eosdem fideles nostros Ugulinum Albizonis et Ugulinum et Albizonem vel alios eorum heredes in aliquo gravare presumpserit, centum libras auri puri pro pena componat, dimidium camere nostre et reliquum passis injuriam. Ad cujus etiam in posterum evidentiam paginam hanc conscriptam celsitudinis nostre sigillo jussimus insigniri.

Hujus rei sunt testes Bertoldus patriarcha Aquilegiensis, Ulricus Patavensis episcopus, Sifridus Augustensis episcopus, Bertoldus Brixinensis, Albertus Tridentinus electus, Lodoicus dux Bavarie, Wernerius de Bolanda dapifer, Anselmus de Justingen marescalcus, Everardus de Sutri (1) Tuscie preses.

Signum domini Friderici secundi, Romanorum imperatoris invictissimi et regis Sicilie.

Et ego Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Henghilberti Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo CCXX, indictione nona, imperante domino nostro invictissimo Friderico Romanorum imperatore et glorioso rege Sicilie, anno imperii ejus primo, regni vero Sicilie XXII.

---

(1) Non dubitandum quin ibi sit legendum *Everardus de Lutra* qui multoties in documentis hujus temporis memoratur. Nomina caeterorum testium ex praecedentibus correximus.

Data in Montemalo prope Urbem per manum Henrici imperialis aule prothonotarii, VII kalendas decembris, prefata indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, communi Podii Bonitii consules eligendi facultatem impertitur, plura jura sua sub certis conditionibus eis remittit, traditionemque octavae partis Podii Bonitii factam Senensibus primum et postea Florentinis irritam pronuntiat.

In castris prope Romam, 26 novembris.

(Inedit. ex exempl. authenticato ap. *Arch. commun. Senense*, *Pergam.*, tom. III, n° 141.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Imperialis eminentie spectat ad gloriam et honorem devota fidelium suorum obsequia clementer attendere et eorum commoditatibus et quieti cura propensiori providere. Inde est quod nos considerantes sinceram fidem et devotionem fidelium nostrorum hominum de Podio Bonitio, eos in gratiam et favorem celsitudinis nostre recipimus benigne et eis de nostra liberalitate concedimus electionem consulatus et consulibus plenam jurisdictionem in castro Podii Bonitii et ejus districtu, tam scilicet de districtu quam de universis personis et rebus preterquam de Stagia, monte Acutulo et Mortenano. Preterea memoratis hominibus de Podio Boniti nostris fidelibus concedimus, tradimus atque remittimus banna omnia atque pedagia et placita nec non et consuetudines venditionis domorum omnesque possessiones et jura que habemus in predicto castro et ejus curia atque districtu; consuetudines quoque et jus eis concedimus et remittimus quousque nunc apud eos habere consuevimus in successionibus mortuorum. Pro quibus omnibus jamdicti fideles nostri homines de Podio Boniti quingentas libras denariorum Pisanorum camere nostre persolverunt, pepigentes quod nomine nostro annuatim per totum mensem madii apud Sanctum Miniatum castellano qui pro tempore ibidem fuerit con-

stitutus octoginta marcas optimi argenti ad pondus Colonie persolvent. Ad hec etiam sepedicti homines (a) pepigerunt quod si contingerit nos vel dilectam consortem nostram imperatricem per partes illas transitum facere et in jamdicto castro de Podio Boniti hospitari, nobis semel in anno cum intertransitum fecerimus albergariam prestabunt. Si vero nobis personaliter in Tuscia existentibus ibidem exercitus congregare voluerimus in Tuscia vel infra Tusciam, nobis exercitus facere convenerunt. Unde de benignitate nostra ab omnibus eos servitii alii (*sic*) gravaminibus penitus absolutos perpetuo favore decernimus et censemus. Insuper fidelem nostrum Lambertum et domum ejus ad manus nostras retinemus taliter ut non solvat datium neque cogatur laborare. Statuimus igitur et imperiali auctoritate nostra firmiter et districte precipimus ut predicta omnia eisdem hominibus Podii Boniti illibata serventur. Quia vero in mutatione regum ubique imperii discordie percreverunt pro quibus multa in prejudicium imperii perperam gesta sunt, que preterite perturbationes nos investigare prohibuerunt, nunc collocati in sede imperiali pacifice divina clementia disponente statum et augmentum imperii volumus promovere. Ea propter ex certa scientia et imperiali edicto cassamus et penitus irritamus atque non tenere pronunptiamus deliberato consilio datum vel venditionem seu donationem aut alienationem factam aliquo modo vel ingenio a quondam comite Guidone Tusce (*sic*) in comune Senense et ab ipso comuni Senensi Florentie de octava parte predicti castri Podii Boniti et specialiter de contrata illa que Senensa dicitur, tamquam ea que in fraudem et detrimentum imperii decernimus perperam esse facta cum dicta loca Podii Boniti cum ejus districtu ad imperium nullo pertineant mediante. Unde volentes ipsum locum cum tota ejus curia et districtu ac etiam castellanis et personis et rebus omnibus ad ipsum locum pertinentibus applicare et conservare solummodo ad manus nostras et imperii, eximimus et amovemus penitus dicta loca cum omnibus pertinentiis suis a comitatu et districtu ac jurisdictione Florentie et omnium civitatum Tusce, ita quod alicui nec respondeant in aliquo nisi imperio nec aggra-

(a) In transumpto *sepedictis hominibus*, male.

ventur vel requirantur ab aliqua civitate, cassantes penitus et in irritum deducentes quidquid factum est in ipsorum prejudicium vel gravamen a comuni Sene versus comune Florentie. Preterea ex nostra imperiali munificentia concedimus eisdem hominibus Podii Boniti octavam Podii Boniti que Senensis dicitur, ut de cetero quiete teneant et possideant ex imperiali concessione, inducentes ipsum comune in corporalem possessionem ipsius rei. Statuimus quoque et imperiali auctoritate nostra districte precipimus ut nullus dux, nullus marchio, comes, vicecomes, capitaneus, nulli consules, nulla civitas, nullum comune, nulla denique persona, humilis vel alta, ecclesiastica vel secularis, contra hanc nostre majestatis donationem et concessionem venire audeat vel predictos fideles nostros de Podio Boniti in ea aliquatenus disturbare. Quum hec et singula volumus in perpetuum nulla lege nulloque privilegio impetrato vel impetrando obstante firmiter valitura, ut omnis ambiguitas et disputatio penitus cessent, expresse et specialiter iterum cassamus dationem, concessionem et alienationem quam fecit comes Guido comuni Senensi et quam posmodum fecit idem comune Senense comuni Florentie occasione guerre et discordie que fuerat inter eos de predicta octava parte que Senensis dicitur, et si qua inter istrumenta apparuerint ea cassa et irrita judicamus. Confirmantes eisdem hominibus Podii Boniti predictam concessionem quam eis facimus de dicta octava parte. Si quis autem contra hec sua (*sic*) temeritate venire presumpserit, mille libras auri pro pena componat, dimidium camere nostre et reliquum passis injuriam. Ad cujus rei certam evidentiam in posterum presentem inde (*a*) paginam conscribi jussimus et nostre majestatis bulla comuniri.

Hujus rei testes sunt Bertoldus patriarcha Aquilegensis, Sifridus archiepiscopus Maguntinus, Symon archiepiscopus Ravenas, Ulricus episcopus Pataviensis, Lodoicus dux Baviarie, Guillelmus marchio Montisferrati, Guarnerius de Bollanda dapifer, Anselmus de Justingen (*b*) marescalcus imperii, Conradus marchio Malaspina, Otto marchio de Carreto et alii quamplures.

(*a*) In transumpto *inter*, male.

(*b*) In transumpto *Estigin*. Correximus, sicut et supra *Tavenas*.

Signum domini Frederici secundi Dei gratia Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie serenissimi.

Ego Conradus Metensis (*a*) et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus, vice domini Enghelberti Dei gratia venerabilis archiepiscopi Coloniensis et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, mense novembris, indictione nona, regnante domino Frederico secundo Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie invictissimo, anno Romani regni ipsius in Germania octavo, in Sicilia vero XXIII°, imperii vero Romani ejusdem primo, feliciter. Amen.

Datum in castris prope Romam per manum Henrici imperialis aule protonotarii, septimo kalendas decembris, indictione prescripta.

In castris prope urbem in Montemalo, 25 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, castrum Noni (Annone) obligat potestati et civitati Astensi qui sibi praeter mille marcas argenti jamdudum mutuatas alias octingentas iterum mutuum dederunt, eo pacto ut redditus ad hoc castrum pertinentes pro custodia ejusdem percipere debeant idemque post decem completos annos per ipsum rursus redimi possit.

(Memorat. ap. Molina, *Notiz. stor. prof. della citta d'Asti*, t. II, p. 152, e libr. veteri, fol. 279; et ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 114, n° 400, ex copia in Chartulario Astensi ann. 1292, ap. Taurinum, a Bethmanno communicata.)

. . . .

Hujus rei testes sunt Bertholdus patriarcha Aquilegensis, Sifridus Maguntinus archiepiscopus, Jacobus Taurinensis episcopus, Sifridus Augustensis, Ulricus Pataviensis et Bertholdus Brixinensis episcopi, frater

(*a*) In transumpto *Ostiensis*, male.

Hermannus magister domus Theutonicorum, Willelmus marchio Montisferrati, Conradus et Opizo marchiones Malespine, Anselmus de Justingen marschalcus, Wernherus de Boland dapifer imperii.

Ego Conradus Metensis et Spirensis episcopus, etc.

Datum in castris prope Urbem in monte Malo, anno domini MCCXX, VII kalendas decembris, indictione nona (1).

Fridericus, Romanorum imperator, claustrum dictum Rocca Dominarum in dioecesi Vercellensi cum priorissa, sororibus et fratribus in sua imperiali protectione suscipit, eidemque bona ibidem expressa et libertates confirmat.

In castris Romae apud montem Malum, 25 novembris.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 114, n° 401, ex originali apud Taurinum a Bethmanno communicato.)

Datum in castris Rome apud montem Malum, anno dominice incarnationis M. CC. XX, septimo kalendas decembris, indictione IX.

Fridericus, Romanorum imperator, Pagano episcopo Vulterrano et ecclesiae ejus omnia privilegia et bona confirmat quorum pleraque ibidem nominatim recensentur, eique vicarii potestatem in comitatu Vulterrano et etiam in Tuscia confert.

[In monte Malo prope urbem, novembri.]

(Edid. Giachi, *Saggio di ricerche sopra lo stato antico e moderno di Volterra*, Append. p. 111-115; qui quidem hoc diploma sine probabili causa ad ann. 1224

(1) Ad eumdem locum reponendum esse videtur mandatum ejusdem imperatoris Bertholdo castellano Noni directum, quo jubet ut mutui conditiones exequatur. Memorat. *ibidem*, notis chronologicis omnino deficientibus.

refert. At alius scriptor multo vetustior scilicet Ammirato, *vescovi di Volterra*, p. 117 (1637) hoc idem indicat cum his verbis : *In monte Malo presso la città*, et addit *ibid*. p. 120 : « *La copia del privilegio che io ho veduto dell' imper. Federigo II al vescovo Pagano, se ben' è in luogo da prestargli fede, non vi è pero la data.* » Ughelli, *Ital. sacr.*, tom. I, 2ª pars, col. 362, privilegium quoque memorat, nullo tamen indicio unde notae chronologicae restitui possint. Notandum est insuper privilegium istud in conclusione sua a solita forma abhorrere; unde arbitrari licet quod ab originali jamdudum amisso copia discrepet.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie. Imperatorie majestatis decet eminentiam justis fidelium suorum desideriis benignam se prebere et commodam illorum propensius votis sue serenitatis aurem accommodare quorum devotionem lucidam et fidem oculatam preclara in dies commendant obsequia. Inter quos dilectum fidelem principem nostrum Paganum venerabilem Vulterranum episcopum precipuum reputantes, cum sue honestatis et conspicue devotionis certa nobis clarescant indicia, pro fervore dilectionis quam nostre patenter gerit majestati et ob meritum fidelitatis quam sacro Romano imperio exhibere et semper exhibuisse dignoscitur, affectuosius eum in petitionibus suis exaudire decrevimus; ea que serenissimus predecessor noster pater noster munifica liberalitatis sue largitate alioquin concessit predecessoribus ejus et Vulterrane ecclesie presentis privilegii robore confirmantes, certam de sua probitate capientes fiduciam ut quanto partes ejus familiarius recepimus, tanto ipsum in nostris et imperii servitiis tanquam plantam fructiferam fideliorem inveniamus. Ea propter universis imperii fidelibus presentis videlicet etatis et successive posteritatis notum fieri volumus quod nos ad supradicti principis nostri interventum ipsam Vulterranam ecclesiam cum universis que ex antiquo aut ex novo tempore possidet aut in futurum juste et rationabiliter poterit adipisci clypeo nostre protectionis tenendam suscipimus et defensandam, universa que ad ipsius ecclesie justitias et jura pertinent nostra evidenter auctoritate confirmantes : quorum quedam propriis suis nominibus denotare dignum duximus, Vulterranam videlicet civitatem cum omnibus pertinentiis suis

et cum omni jurisdictione quam nos in civitate ipsa habemus et idem episcopus a nobis tenet cum omni usu et consuetudine quam Vulterrana ecclesia hactenus in ea habuit, castrum Sancti Geminiani et castrum de Montevultraio et castrum de Casula et castrum de Clusino cum omnibus pertinentiis suis, similiter cum omni jurisdictione nostra cum omni usu et consuetudine, medietatem castri Gerfalchi cum argentifodinis et omnibus pertinentiis et jurisdictione sua, medietatem castri Travalis cum pertinentiis suis; quartam partem Petre Corbarie cum pertinentiis suis, totum castrum Frosini cum omnibus pertinentiis suis et jurisdictione sua, quidquid ecclesia Vulterrana habet in Tremoli cum pertinentiis suis, Lecchiam cum pertinentiis suis, medietatem Castilionis Bernardi, Berignonem, Ulignanum, Pulicrianum, Gambassium, Collemusoli, montem Agutulum, medietatem Stagie, tertiam partem Barbialle, tertiam partem Scopeti, medietatem Leguli, medietatem Vingnalis, medietatem castri Falfi, tres partes Ripepajoli, medietatem castri de Montetinioso, castrum Clanni, castrum Peccioli, Lajaticum cum omnibus suis pertinentiis et jurisdictione, pred. (*sic*) Dastrorum, tres partes Rave, castrum Bibonis cum pertinentiis suis, medietatem Podii Vivarii, totum castrum Casallie, totum Gellum, medietatem Stridi cum pertinentiis suis, Castelvecchium, Picchenam, Foschium, Casalliam de valle Elsa cum pertinentiis suis, Micchium, castrum Sancti Benedicti, villam Guinizzani, Comiani, Sancti Mariani, Sancti Dieveldi (?), Petram, medietatem Aquevive, Bucignanum Sancti Victoris, totum podium montis Castelli situm juxta Bucingnanum, podium totum montis Castelli situm juxta Streve, Monticcianum, podium montis Falconis, Miccianum, Belforte, Montegemuli, Quercetum, saxam Cannetum, Caselie, Rovetum Casale, Sarazanum, Corniam, Montemviridem, Burianum, Miamum, Orciathicum, Angnanum, Petracassam, Montemeucchari, Gozzanum, tertiam partem Monzani cum pertinentiis suis. Porro de aliis duabus partibus que ad gloriosissimi patris nostri et ad nostram rationem spectant prenominato episcopo et successoribus et ecclesie Vulterrane......... nostra largitate concedimus omnem jurisdictionem scilicet et quicquid................ videlicet ut hominibus partium duarum terras aut possessiones suas alicui persone [non] liceat aliquo

tempore obligare vel ullo modo alienare sine permissione Vulterrani episcopi, nisi episcopo et Vulterrane ecclesie. Preterea castrum Monterii prenominato episcopo et ecclesie confirmamus, et argenti fodinas que ibidem sunt cum pertinentiis suis imperiali liberalitate concedimus. De toto episcopatu et comitatu Vulterrano omnem jurisdictionem et quecumque regalia ad jus nostrum pertinent et propterea fodri collectionem prenominato episcopo et ecclesie Vulterrane suisque successoribus munificentia nostra concedimus. Statuimus etiam ut in civitate Vulterrana et in Sancto Geminiano et in Montevultrajo et in Casula consules vel aliquis rector non eligantur nec ullo modo fiant absque concessione et voluntate Vulterrani episcopi. Decernimus etiam ut de possessionibus Vulterrane ecclesie injuste detentis vel quoquomodo possessis injusti possessores adversus dictam ecclesiam non possint longi temporis prescriptione tueri, nisi forte centum annorum prescriptione muniti fuerint. Concedimus etiam sepedicto episcopo et ecclesie Vulterrane castra de Montegabro et curtem Gableti cum pertinentiis suis et podium de Ripa blanca et Ripamaranciam et generaliter ut liceat episcopo hec et omnia alia que sunt in episcopatu et comitatu suo edificare et construere in eis castra et turres. Castrum quoque de Mirandolo et castrum de Libiano concedimus etiam ipsi Vulterrano episcopo et ecclesie sue ut sicut in episcopatu suo ei concessimus civiles et criminales causas cognoscere et uni vel pluribus pro voluntate sua terminandas delegare, ita et liceat ei vice nostra per totam Tusciam utrasque causas et cognoscere et delegare. Potestatem etiam ei concedimus judices et notarios ordinare, tutores et curatores et mondualdos dare et naturales filios legitimos constituere et libertates donare et appellationes in tota provincia sua que ad nostram serenitatem referende sunt recipere; ita ut hec omnia vice nostra libere exequantur. Ad hec potestatem ei concedimus ut liceat ei sua auctoritate ingredi possessiones omnium eorum que ipse vel predecessores sui injuste alienaverunt, postquam possessores ab eo legitime requisiti justitiam ei facere recusaverint, nonobstantibus aliqua lege, constitutione vel interdicto. Ad hec augustali nostra auctoritate firmiter sancimus ut nullus unquam dux vel marchio aut archiepiscopus, comes aut vicecomes, nulla prorsus ecclesiastica secularisve persona predictum

episcopum et ecclesiam Vulterranam in omnibus supradictis infestare, disvestire aut aliquovis modo audeat perturbare. Si quis autem, quod absit, contra hujus imperialis edicti statutum venire temptaverit, imperiali banno nostro et insuper pene centum librarum auri purissimi subjaceat, medietate una camere nostre, alia vero medietate Vulterrano episcopo et ecclesie sue suisque successoribus persolvenda, quam et episcopo liceat a transgressoribus exigere et eam que nos contingit medietatem nobis conservare. Et hec et omnia alia supradicta, salva per omnia imperiali justitia nostra, presenti privilegio aureo majestatis nostre sigillo insignito confirmamus et de omnibus plenam jurisdictionem ei et ecclesie Vulterrane concedimus. Hoc quoque concedimus firmiterque statuimus ut sepedictus Paganus episcopus carissimus fidelis noster et illustris princeps imperii tam in facienda justitia quam in pace manutenenda et fodro colligendo ceterisque que ad hujus et honorem nostrum spectant per totum episcopatum et comitatum Vulterranum vice nostra ordinet ac disponat. Preterea castrum Suione cum pertinentiis suis, castrum Insule cum pertinentiis suis eidem episcopo et ecclesie sue confirmamus et suis successoribus. Sancimus etiam ut si quod scriptum est contra jus Vulterrane ecclesie in predictis sive indultum vel ab aliquo fortassis in posterum fuerit impetratum, cassum et inutile habeatur.

Hujus rei testes sunt, etc.

Datum, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Almerici abbatis Sancti Severi de Classe juxta Ravennam, illum cum fratribus et possessionibus ejusdem monasterii in imperiali sua protectione recipit, omnia confirmans quae habet vel de caetero poterit adipisci et quae a praedecessoribus suis aut ab aliis per concessiones tenet. [1220, novembri circiter.]

(Edider. MITTARELLI et COSTADONI, *Annal. Camald.*, t. IV, p. 399, ex tabulario

Classensi. Renovat. de verbo ad verbum, mutato tantum abbatis nomine et quibusdam additis, ex privilegio Friderici primi, dat. in castro Sancti Archangeli, IV idus februarii, ann. 1164, indictione XII. Cf. *ibid.*, p. 18.)

[In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus, etc.] Quamvis omnibus qui imperatorie libertatis filii fore dignoscuntur tutele imperialis patrocinium de jure impendere debeamus, illi tamen quodam specialis dilectionis prerogativa a nobis sunt amplectendi et brachiis consolationis fovendi quorum fides et sincera devotio circa nos et imperium evidentibus experimentis laudabiliter claruerunt. Nam si ea que ab antecessoribus nostris regibus et imperatoribus religiosis personis concessa sunt nos pro eorum et nostra salute confirmamus, procul dubio in eterna nobis vita majorem gloriam pervenire minime dubitamus. Quapropter cognoscant universi imperii nostri fideles per Italiam constituti presentes et futuri quod nos ex consueta benevolentie nostre gratia et pro sedula petitione dilecti et fidelis nostri Almerici abbatis ecclesie Sancti Severi de Classe suprascriptam ecclesiam Sancti Severi et predictum abbatem et omnes sui monasterii fratres et universas res et possessiones quas idem monasterium intus et extra in presenti juste possidet vel in posterum domino largiente rationabiliter poterit adipisci, sub nostram imperialem protectionem atque tutelam suscipimus; concedimus quoque et confirmamus jamdicto monasterio ejusque rectoribus que per precepta et privilegia antecessores nostri concesserunt, videlicet ut in insula nostra domnicata (*a*) utantur piscationibus et pascuis, et dimidiam portam Sancti Laurentii cum ripis fluminum et omnia mobilia et immobiles possessiones et pertinentias quas monasterium Sancti Severi habet modo vel de cetero juste poterit adipisci in civitate Ravenna vel in suburbiis et in episcopatu vel in comitatu Anconensi, et quidquid habet in comitatu Esi vel in Senogalie vel in Pesaurensi vel Ariminensi vel Ficoclensi vel Cesenensi vel Populiensi vel Liviensi vel Faventino vel Imolensi vel Bononiensi vel Ferrariensi vel Comaclensi vel Gobiensi aut in comitatu Callensi vel in Castellanensi Felicitatis vel Bobiensi vel in quocumque locorum

(*a*) In altero *donicata.*

juste obtinet vel obtinebit. Volumus etiam et precipimus predictum monasterium ab omni datione, functione, albergaria, pedigaria et ripatico liberum esse et absolutum. Insuper vero eidem sancto loco concedimus ut ab hinc aldiones sive quilibet residentes ad nullum placitum vadant nullamque districtionem nisi in dominium et districtionem abbatis ejusdem monasterii, sed liceat abbatem et monachos pro Dei amore animeque nostre remedio sub nostre protectionis tuitione quiete vivere et Deo famulari et pro nobis dominum deprecari, omnium hominum contradictione remota. Concedimus etiam et confirmamus eidem monasterio id totum et omnia ea que Cavalcacomes in suo testamento reliquit, liberavit et judicavit. Damus insuper, concedimus et confirmamus omne id et ea omnia que Gerardus Ravenne archiepiscopus in suo privilegio eidem monasterio indulto concessit, precepit et confirmavit cum omnibus lateribus suis in eodem privilegio comprehensis. Preterea censemus quod dicto monasterio prescriptio aliqua non currat nisi prescriptio sexaginta annorum, et quod abbas ejusdem monasterii non cogatur jurare de calumpnia in aliquibus causis, sed sindicus, non obstante aliquo statuto (*a*). Sancimus quoque ex nostra imperiali auctoritate ut quicumque de possessionibus predicte ecclesie Sancti Severi aliquid habet vel per feudum vel per emphytiosin vel aliquo alio modo, non liceat ei dare vel derelinquere vel alienare in alium venerabilem locum, et quod factum est in inritum revocamus. Volumus preterea ab illa gravi et importabili collecta quam marchiones, comites, proceres, valvassores eis suisque hominibus imponunt eos liberos esse, etc. Hec autem, etc. Si quis, etc. (1).

(*a*) Haec omnia, a verbis *Concedimus etiam et confirmamus* usque ad *non obstante aliquo statuto,* desunt in privilegio Friderici primi, quum nunc posteriora memorentur.

---

(1) Licet notae chronologicae omnino desint, tempus facile definitur inter coronationis diem et vicesimum septimum januarii 1221, quo die Conradus Metensis et Spirensis episcopus, tunc totius Italiae legatus, confirmationem privilegii imperialis indulsit. Legitur enim apud Mittarelli, *ibid.*, p. 271, in textu : « Is autem Bononiae existens, anno M CC XXI, sexto kalendas » februarii, indictione IX, Rodulpho priori monasterii Sancti Severi in Classe imperialem protec- » tionem concessit, bona monasterii ipsius et possessiones enumerans et confirmans. Testes ad-

In prato circa urbem, 25 novembris.

Hugo Ostiensis et Velletrensis episcopus in presentia Friderici, Romanorum imperatoris, potestatem et consilium Parmae excommunicat et terram supponit interdicto, pro ignominia a communitate Parmensi in suum episcopum illata; quam sententiam imperator ratam habens cum consilio principum imperii ore proprio confirmat.

(Edid. Affo, *Storia di Parma*, tom. III, append. n° XL, p. 337-338, ex archiv. canonic. cathed. Parm., n° 698 origin.)

In nomine Domini. [Anno] millesimo CCXX, VII kalendas decembris, indictione octava. Omnibus hanc scripturam videntibus et audientibus clareat manifeste quod Ugo divina gratia Hostiensis et Velletrensis episcopus auctoritate domini pape denuntiavit potestatem et consilium Parme excommunicatos et terram suppositam interdicto coram domino Federico divina gratia Romanorum imperatore et semper augusto et principibus imperii et exercitu; et postulavimus ab eodem imperatore ut et ipse brachium apponeret seculare et imperialem potentiam super excessu et ignominia illata a communitate Parmensi contra suum episcopum et clerum. Qui vero dominus imperator, requisitis principum imperii consilio et assensu, bannum et sententiam contra dictos Parmenses a domino Spirensi imperii cancellario ratam habens, ipsorum sententiam et bannum ore proprio, presentibus principibus suum dantibus consilium et assensum, imperiali auctoritate firmavit. Principes vero imperii ab imperatore super hoc requisiti et sibi super hoc dantes consilium et assensum fuerunt patriarcha Aquilejensis, cancellarius, prepositus camere, maris-

» hibiti fuere Jacobus Taurinensis, Henricus Bononiensis, Opizo Parmensis et Mainardus Imo- » lensis episcopi, Everardus de Lutra, Hermannus de Catena, aliique. Quod integrum exhibemus » ex archivo classensis abbatiae Sancti Apollinaris. » At privilegium in Appendice omnino desideratur.

chalcus, seneschalcus, dapifer, dux Bavarie, marchio de Andechs (a), dux Spoletanus. Hec quidem omnia solempniter dicta et acta fuerunt in imperiali parlamento et exercitu coram suprascriptis omnibus in prato circa Urbem, presentibus dominis Taurinensi, Cremonensi, Anchonitano episcopis, abbate Sancti Benedicti montis Cassini, Opizone canonico Lucano, Guidone et Tigrimo comitibus palatinis, Redulpho Comite potestate Lucano, Corrado marchione Malaspina et aliorum multorum infinita multitudine; et publicata per magistrum militie Templi Alamaniorum de ultra mare.

Ego Guillelmus sacri palatii notarius predictis interfui et hanc cartam rogatus scripsi.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio de Wezzinsbrunne dat, tradit et perpetuae possessionis titulo confirmat tres homines consistentes in quodam novali ad suum dominium pertinente.

In castris prope montem Rosulum juxta Sutrium, 25 novembris.

(Edit. ap. LEUTNER, *Hist. mon. Wessofont.*, p. 248 et in *Monum. Boic.*, tom. VII, p. 391-392, num. 14. Cf. *ibid.*, tom. XXXI, p. 500.— Autographum nusquam comparet; nihil vero præbet unde suspicio oriatur, cum in duplici libro copiali Wessofont. a Leopolder ann. 1521 conscripto exhibeatur.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, omnibus salutem in perpetuum. Ex innata nobis imperiali munificentia communitatibus ecclesiarum specialiter earum que ad nos pertinent earumque paupertati benigna manu subvenire intendentes, presentium testimonio ad notitiam presentium atque ad memoriam pervenire volumus futurorum quod nos pro remedio animarum divorum progenitorum nostrorum nostreque salutis successu donamus atque tradimus et titulo perpetue possessionis confirmamus ecclesie in Wezzinsbrunen, abbatibus atque conventui ibidem de cetero Deo servituris

(a) In impresso *Dendox*, male.

videlicet Ysingerum de Rorenmos, Marquardum cum dimidio manso, Chunradum de Porstadele, consistentes in quodam novali ad nostrum dominium pertinente. Volumus igitur atque decernimus ut abbates et conventus predicti cenobii homines antedictos et locum, terram, nemus sive novale in quo habitant cum omni jure et honore, sicut hactenus ad nos pertinebant, ex omni parte cum introitu et exitu ex nostra imperiali collatióne seu donatione habeant, teneant atque possideant sine alicujus contradictione, ita quod nullus nuncius noster aliquod inde a monasterio servitium requirat memorato. Ad hujus igitur rei perpetuo valiture evidentiam majorem, robur atque memoriam hoc scriptum inde fieri jussimus sigillo majestatis nostre communitum.

Testes Bertholdus patriarcha Aquilegensis, Sifridus Moguntinensis archiepiscopus, Sifridus Augustensis, Bertholdus Brixinensis episcopi, Albertus Tridentinus electus, Ludewicus comes palatinus Reni dux Bawarie, Anselmus marscalcus, Wernherus dapifer et alii plures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Chounradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, recognovi.

Datum in castris prope montem Rosulum (1) juxta Sutrium, anno Domini MCCXX (2), indictione VIIII, septimo kalendas decembris, feliciter, anno imperii invictissimi domini nostri Friderici primo.

In castris prope montem Rosulum juxta Sutrium, 26 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, in favorem monasterii de Wezzinsbrunne ministerialibus aulae imperiali subjacentibus con-

(1) In impresso *Rasulum*, male; nam in omnibus aliis *Rosulum* sive *Rosum*: videlicet *Monterosi*, nunc tertia post Romam versus septentrionem equitantium statio, in quodam clivo qui super lacum Braccianum eminet.

(2) MCCXXI, *male*. Indictionis enim caesareae numerus, annus imperii, itineris ordo et in primis nomina testium documentum ad ann. 1220 reponendum clare demonstrant.

cedit licentiam illi benefaciendi; principes autem et nobiles hortatur ablata praedia eidem restituere.

(Edit. à LEUTNER, in *Historia Wessofont.*, p. 247, et ap. *Monum. Boic.* t. VII, p. 392, num. 15, ex pergamena, ut videtur, origin. Appendet ex filis sericis rubri coloris sigilli cerei fragmentum sive pars ejus posterior. Fila autem solito breviora sunt et nodo quodam inter utrumque foramen colligata. Foramina etiam justo majora esse videntur; exinde suspicio non levis excitatur sigillum istud aut non spectare ad hoc instrumentum aut aliquando abruptum illi denuo fuisse dicto modo alligatum. Quo tamen non obstante necnon et insolitis quibusdam in redactione formis, privilegium authenticum esse censemus.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, rex Sicilie, omnibus salutem in perpetuum. Quia de commissa nobis a Deo substantia Christi pauperibus erogare tenemur particulam et sanctarum ecclesiarum profectum qui nostris reatibus acquirit veniam et eterne sortis ad premia nos conducit promovere, holocaustum enim illius particule quam vel mater ecclesia vel egeni suscipiunt vel que transit fideliter in usus pauperum pro delictis nostris incessanter supplicat, instanter intervenit, mansionem edificat in terra viventium et celestis regni palatio nos ascribit. Hinc est quod ego Fridericus imperator et rex Sicilie presentis scripti confirmatione omnibus ministerialibus vel sine compede progenitis aule imperiali attinentibus significo (1) quod ecclesia Sancti Petri in Wezzinsbrunen que (quum) a felicibus beate memorie parentibus nostris fundata et ditata et specialis dilectionis gratiam apud ipsos adepta recognoscitur, nos quoque eadem dilectionis plenitudine ipsi ecclesie omni instantia subvenire et structuram ipsius protendere delectat. Universis etiam ministerialibus aule imperiali subjacentibus manifeste indicimus quod quicumque predia vel aliquos redditus eidem ecclesie ad usum fratrum in ibi Deo servientium et omnium pauperum viatorumque supervenientium tradere deliberaverint, ex licentia nostra quam etiam a parentibus nostris ipsi ecclesie datam esse non ambigimus, mente beni-

(1) *Ego... significo*, forma penitus insolita in imperialibus diplomatibus.

vola fieri permittimus. Preterea principibus et nobilibus viris, qui predia ipsius ecclesie cum quibus fundata extitit ex jure concesso possident, fideliter suademus et favore nostre auctoritatis concedimus quatinus instinctu spiritus timoris Domini ablata eidem ecclesie predia ad ejus protensionem et sustentationem fideliter restituant. Et ne quis scriptum frivolum esse presumat, nostri impressione sigilli fieri jussimus communitum.

Hujus imperialis judicii testes sunt Bertholdus patriarcha Aquilegiensis, Conradus imperialis aule cancellarius (1), Sifridus Moguntinensis archiepiscopus, Sifridus Augustensis, Bertholdus Brixinensis episcopi, Albertus Tridentinus electus, Ludewicus comes palatinus Reni dux Bawarie, Anselmus marscalcus, Wernherus dapifer, et alii quamplures.

Datum in castris prope montem Rosulum juxta Sutrium, anno Domini MCCXX (2), indictione VIIII, septimo kalendas decembris, anno imperii invictissimi domini nostri Friderici primo.

Laterani, 27 novembris.

Honorius papa Conrado scolastico Maguntino nuntiat quomodo exercitus christianus apud Damiatam sit in angusto positus; sperandum tamen quod in brevi ei succurretur, quum Fridericus, Romanorum imperator, die coronationis suae se in futuro mensis augusti passagio transfretaturum juraverit, et multi cum eo Theutoniae et Apuliae magnates se in proximo mensis martii passagio transfretaturos devoverint.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1220, § LIII, e Regest. Honor., lib. V, epist. 234.)

---

(1) Inter insolita quoque notandum est quod Conradus cancellarius *episcopus* Metensis et Spirensis ante Sifridum Moguntinum *archiepiscopum* inter testes nominetur.

(2) MCCXXI, *male*. — Vide notam in praecedenti docum., p. 50, not. 2.

Honorius, etc., Conrado scolastico Maguntino ac penitentiario suo, etc. Venerabilis frater noster . . . Albanensis episcopus apostolice sedis legatus nec non dilecti filii universus exercitus christianus existentes apud Damiatam in servitio Jesu Christi suis nobis nunciis et litteris intimarunt quod nunc majori et maturiori succursu quam nunquam indiguerit indiget Terra Sancta, cum multis de partibus illis reversis ad propria christianus exercitus sit nimium rarefactus; ita quod nisi novis bellatoribus celeriter instauretur, non solum terram Sarracinorum aggredi non audebunt, verum etiam vix poterunt parta tueri. Quin etiam timent ne in manibus hostium relinquantur, in universorum Christi fidelium opprobrium sempiternum et in perditionem perpetuam modice terre transmarine que adhuc a Christi fidelibus obtinetur. . . . .

. . . .

Ad hec ut leteris nobiscum et alios letifices audientes, noveris quod charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum imperator illustris et rex Sicilie nuper in dominica que precedit dominicam de Adventu in omni pace ac tranquillitate suscipiens de manibus nostris imperii diadema in omni devotione affixit suis humeris publice signum crucis, prestito ex intimo mentis fervore corporaliter juramento quod in proximo futuri mensis augusti passagio transfretabit auctore Domino in subsidium Terre Sancte. Venerabilis quoque frater noster... Metensis episcopus imperialis aule cancellarius et dilecti filii nobiles viri . . . dux Bavarie ac Warnerus de Bollandia dapifer necnon alii marchiones, comites, barones de Theutonia et Apulia plures quam quadringenti et cum eis numerosa militum et peditum multitudo, recepto palam crucis signaculo, in proximo passagio martii se tranfretaturos in predicte terre subsidium devoverunt, propter quod expedit ut crucesignati et crucesignandi ad transfretandum sine omni mora festinent, quatenus coadunatis viribus procedentes facilius, ut speramus, auctore Domino inimicos nominis christiani valeant profligare.

Datum Laterani, V kalendas decembris, pontificatus nostri anno V.

In castris prope Sutrium, in pede montis Rosi, 27 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, ad reformandam pacem et concordiam in Lombardiam, Romaniolam, Tusciam et per totam Italiam legatum mittit Conradum Metensem episcopum imperialis aulae cancellarium cum plena potestate et auctoritate imperiali, ratum habens quidquid ante suum in Italiam adventum aut post legatus iste suus fecerit aut facere poterit.

(Edider. Mittarelli et Costadoni, *Annal. Camald.*, t. IV, Append. p. 411, ex exemplo Classensi. — Camici, *Notiz. stor., supplem. de vicar. imper.*, t. III, p. 119, notis tamen chronologicis non expressis. Cf. idem documentum, sed brevius, ad hunc annum, decimo septimo die mensis aprilis.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, ceterisque ecclesiarum prelatis necnon marchionibus, comitibus, capitaneis, valvasoribus et nobilibus atque potestatibus, consulibus seu rectoribus et communitatibus omnium civitatum et oppidorum, simul et rectoribus atque populo et universis per Lombardiam, Romaniolam et Thusciam atque per totam Italiam constitutis, dilectis fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Post multas ac diversas imperii perturbationes que ex obitu felicis memorie incliti patris nostri imperatoris Henrici usque ad tempora nostra in mutatione rerum ubique locorum imperii percreverunt, per ejus misericordiam qui salvat sperantes in se sedatis per totam Theutoniam scissionibus omnibus inter principes, pace quoque et quiete undique reformata, nobisque illius providentia qui in sui dispositione non fallitur cum omni imperiali sublimatione in soliis patrum pacifice constitutis, ecce jam ex adjutorio Dei et ex paterno summi pontificis et venerabilium in Christo patrum dominorum cardinalium assensu cum fideli principum famulatu culmen recepimus imperialis affectionis, firmum propositum reformande pacis et unitatis atque concordie nobis et imperio admodum necessarie per Lombardiam, Roma-

niolam et Thusciam seu totam Italiam firmiter habentes. Remittimus autem a latere nostro legatum ad vos carissimum principem et familiarem nostrum Conradum Metensem episcopum imperialis aule cancellarium, quem inter ceteros imperii principes invenimus fideliorem et non immerito habemus cariorem, ut non solummodo fidelitates et alia jura nostra a vobis requirat vice imperiali et recipiat, immo etiam discordias omnes in Italia et singulis partibus Italie ad pacem et concordiam revocando vices nostras suppleat in singulis, immo universis que ad honorem et utilitatem nostram et imperii spectaverint adimplendis. Scire igitur volumus universitatem vestram quod nos jamdicto cancellario et legato nostro plenam dedimus auctoritatem legationis et potestatem supponendi civitates, burgos, castra seu villas, marchiones, comites, capitaneos, valvassores seu quoslibet per universam Italiam et partes ejus constitutos banno nostro et contrahendi, faciendi quoque concessiones, penas etiam exigendi, conficiendi tabelliones, dandi possessiones et restituendi, habendi etiam jus animadvertendi in facinorosos, necnon in omnibus agendis nostris et imperii per totam Italiam et partes ejus pertractandis in dictis et factis, agendis et faciendis, prout viderit et commodum et honorem nostrum et imperii expedire, ratum habentes et incommutabile quidquid ipse in his statuendis decreverit esse faciendum tanquam ab ore processerit imperialis majestatis. Decernimus super omnia ne ab ipso legato nostro in aliquo casu ad nostram audientiam fiat appellatio, sed quidquid vice nostra per totam Italiam et partes ejus dixerit vel fecerit ratum ab omnibus observetur et incommutabile; quod et nos sicut dignum est promittimus imperiali firmitudine approbare, et quidquid ante adventum nostrum in Italiam nobisque in Italia constitutis jamdudum fecit et adhuc vice nostre fecerit majestatis approbamus et semper ratum haberi imperiali sancimus auctoritate. Mandamus ideoque universitati vestre firmiter precipientes quatinus eidem principi et legato nostro in omnibus et per omnia tanquam nobis intendatis, scientes (a) indubitanter quod si quis ei in aliquo obviare presumpserit, banno ab ipso tanquam a nobis specialiter

(a) In impressis *sancientes*, male.

imposito requiremus ab eodem, nec minus idem presumptuosus indignationem imperialem se noverit gravius incurrisse. Ad hujus autem nostre legationis evidentiam nostrique mandati firmam observantiam sub testimonio subscriptorum hoc scriptum eidem legato dedimus auctoritate [et] imperialis majestatis bulla roboratum. Ad majorem gratie nostre evidentiam concedentes eidem legato nostro potestatem et liberam plenamque facultatem faciendi judices ordinarios, et omnia ea instituenda et peragenda que ad officium legationis quocumque modo largius videntur pertinere super eis omnibus, sicut superius apertius denotatur.

Hujus rei testes sunt Bertholdus Aquilegiensis patriarcha, Syfridus Maguntinus archiepiscopus, Syfridus Augustanus, Ulricus Pataviensis, Bertholdus Brixi[n]ensis, Henricus Bononiensis, Henricus Mantuanus episcopi, Albertus Tridentinus electus, Lodovicus comes palatinus Rheni dux Bavarie, Guillielmus marchio Montisferrati, Anselmus de Justingen marscalcus imperii (*a*), Varnerius dapifer imperii, Eberhardus de Lutra et alii quamplures.

Datum in castris prope Sutrium in pede montis Rosi, anno Domini M. CC. XX, quinto kalendas decembris, indictione VIIII, feliciter.

In castris apud Sutrium, 28 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, concedit Rudulpho de Noxa (Nozza) et Suzoni Coleono civibus Pergamensibus eorumque haeredibus cognitionem et definitionem causarum appellationum tam in civitate quam in districtu, secundum formam privilegiorum Henrici sexti et Philippi.

(Inedit. ex transumpto authentico ann. 1270, indict. 13, 18 januarii, ap. regest. privileg. saeculi XV, nobis ab abbate Grumelli Pergamensi communicato. — Memoratum vero a Ronchetti, *Memor. istor. della città e chiesa di Bergamo*, t. IV, p. 19.)

(*a*) Ap. Mittarell., *Marscalcus Limbur.*, male.

In nomine sancte Trinitatis. Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Cicilie in perpetuum. Imperialis eminentie interest benivolentie expertorum fidelium suorum justis peticionibus aures prebere serenas et que dudum e largitate divorum progenitorum nostrorum sunt adepti imperialis concessionis nostre roborare privilegiis; tunc enim et eorum animos in fide roboramus et aliorum mentes ad nostra inducimus facilius obsequia. Hinc est quod nos attendentes sinceram devotionem et grata servitia que tu Rudulphe de Noxa et tu Suzo Colionum (a) cives Pergamenses et vestri antecessores tam fideliter quam devote studuistis hactenus exhibere et in antea de bono in melius vos exhibituros non dubitamus, pro gratis etiam serviciis que vestri antecessores nostris inclitis progenitoribus suis noscuntur prestitisse temporibus, de grata et consueta benivolentia nostra qua consuevimus nostris providere benemeritis, concedimus in perpetuum et confirmamus vobis et vestris heredibus jure et titulo legalis feudi cognitionem et diffinitionem causarum appellationum apud Pergamum tam in ipsa civitate quam etiam in tenumentis et districtis ipsius, secundum formam privilegiorum divorum augustorum incliti patris nostri imperatoris Henrici nec non patrui nostri regis Phe[lippi] sicut intelleximus olim tibi, Rudulphe, indultorum, non obstante aliqua concessione tibi soli vel alie persone facta super ipsis. Quam etiam cognitionem et diffinitionem causarum appellationum meminimus tibi soli, Rudulphe, concessisse ac nostre majestatis privilegiis roborasse. Mandantes et firmiter precipientes ut nulla omnino persona, humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, contra hanc nostram concessionem et confirmationem vos vestrosque heredes de predicta cognitione et diffinitione causarum appellationum impedire aliqua occasione presumat aut molestare. Ad cujus etiam concessionis et confirmationis nostre evidentiam et memoriam ac robur hoc scriptum privilegii nostri vobis vestrisque heredibus indulsimus sigillo majestatis nostre immunitum.

Hujus rei testes sunt Bertoldus Aquilegiensis patriarcha, Sifridus Maguntinensis archiepiscopus, Sifridus Augustensis, Ulricus Pataviensis,

(a) Sic in transumpto. Italice *Colleoni.*

Bertoldus Brixinensis, Jacobus Taurinensis, . . . Novariensis (1), Henricus Bononiensis episcopi, A. Tridentinus electus, Ludovicus dux Bavarie comes palatinus Rheni, Gulielmus marchio Montisferrati, Anselmus de Justingen mareschalchus, Wernerius de Bonlandia (2).

Datum in castris apud Sutherium, anno Domini MCCXX, IIII° (3) kalendas decembris, indictione octava (4).

Acta sunt hec regnante Federico secundo glorioso imperatore, semper augusto et rege Cicilie, anno imperii ejus primo, regni vero in Cicilia XXIII.

In castris apud Sutrium, 28 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, nobiles de Cucurno prope Januam sub sua protectione suscipit.

(Memorat. ap. Pertz. *Archiv der Gesellsch.*, etc., t. IX, p. 638, e cartul. domin. de Cucurno in Biblioth. Archinti ap. Mediolan.)

[Datum anno dominice incarnationis] MCCXX, indictione IX, IV kalendas decembris, die sabbati, in castris apud Sutrium.

In castris apud montem Rosum prope Sutrium, 29 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, principes suos Guidonem, Tigrinum, Roggerium, Marcoaldum et Aginulphum filios quondam

---

(1) In transumpto *notarius*, quod sensu omnino caret. *Novariensis* autem non sine dubio legendum proponimus.

(2) Caetera testium nomina facile praecedentibus collatis correximus.

(3) Ronchetti non immerito existimat notationem anni et mensis sic dividendam esse, cum in copia perperam conjungantur, ita ut legatur *MCCXXIIII kal. dec.*; quod mendum notarius in authenticando minus caute inseruit.

(4) Ibi utitur indictione pontificali.

Guidonis Guerrae, Tusciae comites palatinos, pro gratis eorum servitiis sub speciali protectione sua recipit cum omnibus bonis eorum et possessionibus quae ibidem nominatim enumerantur, omniaque eorum jura et privilegia confirmat.

(Edider. SOLDANUS, *Histor. Passinian.*, lib. III, p. 121. — LAMIUS, *Delic. erudit.*, t. IV, p. 244, et ap. *S. Eccles. Flor. monum.*, t. I, p. 70 et seqq. — ILDEFONSO DI SAN LUIGI, *Deliz. degli erud. Tosc.*, t. VIII, p. 96. Cf. privilegium alterum, dat. Cremonae ann. 1247, mense aprili.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie gloriosus. Inter cetera imperialium virtutum preclara insignia velut sidus aureum et gemma clarissima fulget in principe si suorum fidelium merita ante sue majestatis oculos habet et eos quorum sincera fides, quorum strenuitas, quorum devotio et preclara obsequia circa sui imperii diadema respondent congruis honoribus et beneficiis honorat et promovet. Proinde notum facimus universis imperii nostri fidelibus presentibus et futuris quod nos imitantes vestigia progenitorum nostrorum Friderici et Henrici quondam imperatorum divine memorie dilectos carissimos principes nostros viros illustres Guidonem, Tigrinum, Roggerium, Marcoaldum et Aghinulphum filios quondam Guidonis Guerre, Tuscie comites palatinos, pro illo magnifico et honorabili servitio quod ipsi et progenitores eorum progenitoribus nostris regibus et imperatoribus Romanorum fideliter exhibuerunt et ipsi iidem nostro tempore nobis et imperio contulerunt, et omnia bona ipsorum et possessiones que et quas modo juste habent vel detinent ullo modo aut ad eos pertinent vel ab aliis ipsorum nomine habentur vel detinentur vel ipsi in posterum rationabiliter acquisierint sub nostra et imperiali protectione atque tutela suscepimus eisque et eorum legitimis heredibus concessimus et confirmavimus. Ut autem abundantiori nostre gratie prerogativa letentur, concedimus eis et eorum legitimis heredibus specialique largitione donamus et confirmamus omnia regalia nostra et omnem nostram jurisdictionem que et quam habemus in omnibus terris ac possessionibus et rebus eorum quas ipsi modo habent ac tenent per se

vel per alium aut eis ullo modo pertinent vel ab aliis ipsorum nomine sive pro eis detinentur et his omnibus que in posterum acquisierint, videlicet bannum, placitum, districtum, telonium, pedagium, ripaticum, mercata, aquas aquarumque decursus, piscationes, venationes, paludes, argenti fodinas, ferri fodinas et quicquid metalli vel thesauri in terra sua inveniri potest, alpes quoque et montes, valles et omnia ea que ad nos et imperium spectant; quas utique terras et possessiones dignum duximus propriis exprimendas vocabulis : Motillianum cum rocha et castello et cum tota curte ejusdem, castrum quod dicitur Tredotium, Grasignanum vallis, Monssatulum, abbatiam de Acerata cum tota curte ejusdem, Linare, Abetem, totum territorium Galliani, Terminum, Povelanum, Marradi, abbatiam Sancte Reparate, medietatem Bifurchi cum dimidia sue curtis, Cammuranum, tertiam partem Gambaraldi, centum mansos de terra quos habent capitanei de Gattaria cum duobus castellis videlicet Montebello et Monteveccio, Portinam (*a*), plebem Sancti Johannis dictam monte de Rontana, Baccagnanum cum tota curte sua, castellum Johannis Arduini, totam collinam Sancti Hillari (*b*), montem de Rodio, Fontanellam, Aquaratam et totum territorium de Caxanico, Blancani, Carlam, Massiliolum (*c*), montem Ceperani, Coniolum, Petram Mauri cum sua curte, Castellum novum, Rafagnuolum (*d*), Senzanum, Dovadulam cum sua curte, Cellum, montem Pauli, Celle, montem Acutum, Scanellum, Vidiglianum, Rivagotti, Rapidignanum, Cutianum, medietatem curtis de Santuriano, castellum de Collina (*e*), Lucarellum, Pausalupum, Porticum, Mesaurise, castellum de Monte de fracta, imidium patronatus abbatie Sancti Benedicti in Bifurco, Plamicari, castellum de Alpe, Corniolum, Podium Ubaldi, castellum quod dicitur Sanctus Benedictus, Roccam de Bagno et burgum et plebem et balneum cum sua curte, Fregaboliziam,

(*a*) Ap. Ildefonsum *Porcivam*.
(*b*) Ibidem *Ilarii*.
(*c*) Ibidem *Misilliolum*.
(*d*) Ibidem *Rascignolum*.
(*e*) Ibidem *Cullina*.

duas domus in Montenano (*a*), Bibianum, Rincine cum sua curte, Lizaiam, Castilionem, Pauranum, burgum de Gena, Livemalum, Sersi (*b*), dimidium burgi Sancti Donati in Poci, Raddam, Ricavum, quinquaginta mansos terre in curte de Grignano et Monte Rinaldi, Impoli cum sua curte, utrumque Pangnanum, Monterapuli cum sua curte, Fumaiam, Saniolum, Carbonaiam, turrem Benni, collem de Petra cum sua curte, Lontrainum (*c*), Petriolum, Conflenti, Musignanum cum curte, Collegonzi, Petrorium (*d*), Orbignanum, Burianum, dimidiam plebis de Vagliano, Vinci cum sua curte, Lanezanum cum sua curte, Podium de Colleclo (*e*) cum omnibus appenditiis suis; item quicquid habent in civitate Pistorii vel extra seu habere debent vel alii suo nomine habent vel habere debent, Polvicham cum sua curte, Panicale, casale Guidi, Ponti, montem Murlum cum sua curte, Radicaiam, valle de Agnia et quidquid habent vel habere debent in Agnia (*f*), Sanctum Amatum, Brandelli cum plebe et toto territorio ejusdem, casule Crippold, Cuognium, Valpellaiam, Pupillium, Montale, Pitellium, Sanctum Marcellum, Gavinanam, castellum presbyteri Ruffini (*g*) cum tota curte, Alpe Ursine, Guzzum, in rocca montis Aguti duas domos, Calenzanum cum curte, quicquid habent in monte Morello, quartam partem castri de Legari, Campianum, Riofredum quod est supra Santernum, monte Gufoni, Sassum locum (*h*), Vespegnanum cum curte, Cattaiuolam, Verzanum, Fametum Cuezanum (*i*), abbatiam de Incastro, Panculem (*j*), Rostholenam, Casole, Montagutulum, villam de Vitilliano et Corpòsancto, Ampinanam cum sua curte, Corellam, Rasoium, Turricellam, Orticariam, Gallegatam cum curte, Bitiminum cum

(*a*) Ap. Ildefonsum *Mortenano.*
(*b*) Ibidem *Livernalum — Stersi.*
(*c*) Ibidem *Lontramum.*
(*d*) Ibidem *Pretorium.*
(*e*) Ibidem *Coleccho.*
(*f*) Ibidem bis *Agna.*
(*g*) Ibidem *Runghini.*
(*h*) Ibidem *Lecum.*
(*i*) Ibidem *Guzzanum.*
(*j*) Ibidem *Panichale.*

curte, Sanbavellum cum curte, Sanctum Gaudentium et abbatiam et totam montaneam Sancti Gaudentii, Vicoratam cum curte, Fornacem, Sanctum Leoninum cum curte, Rocchitam, Capraolam, Furtiam cum curte, Monteagutulum, abbatiam de Albovino, Palmaiorem (*a*), Montesassi, Scopetum, Monterotundum, Agenem (*b*), Galigam, montem de Cruce cum curte, plebem de Remulo, Rosanum cum curte, Nepozanum, Falganum, Rufinam, patronatum ecclesie Cannapetule et territorium districtumque de Massa, Magnale, Altomenam, Secundule, Sanctum Gervasium, Sezzatam, Rubianum cum curte, Tagliafuni, totum territorium Sancti Petri de Groppina et ejus plebis, Trappolam, Montemlungum, dimidium Gangherete, Puzzum cum sua curte, Tassum, Ricavum, Petravelsam, Duddam, Tursole, castellum Vecchium de Caxa, Vieścham, Pulizanum, terram Guiglielminam quam tenent filii Uguiccionis Pazzi in feudum ab eisdem comitibus, castellum de Loro cum sua curte, Basilicam cum sua curte, Rocchitam, Lanzolinum, Capposelvoli et omnia alia castra, jura, actiones, nomina et res que dictis comitibus vel eorum patri pervenerunt a Guizzardo de Loro vel ejus filia, ubicumque et qualitercumque sunt constituta, sicut in publico instrumento sibi inde facto continetur; Castilionem quod filii Ottaviani Pazzi habent in feudum ab eis, castrum Montaguti cum curte, Monzoni, Barbischio (*c*), Montaio cum curte, Montegonzi, dimidium de Ricasole, dimidium de Podio Taico, Montevarchi cum curte, castellum Castagnarium, Romenam cum curte, Porzianum, Papianum, Montefrancum, Stiam, Lonnanum, Battifollem, Cieticam, Glanzolum, montem Mugnarium (*d*), Poppium cum curte, Corentium, medietatem montis de Raginopoli, Liennam (*e*) cum curte, Pogioboxi, Partinam cum curte, monte Orsaio, monte de Cornio, quartam partem de Vignole, quartam partem de Monticlo, burgum de Sancta Mama, Lorinzanum cum

(*a*) Ap. Ildefonsum *Planmaiorem.*
(*b*) Ibidem *Agone.*
(*c*) Ibidem *Barbistio.*
(*d*) Ibidem *Mugnanum.*
(*e*) Ibidem *Liernam.*

curte, dimidium montis Agutuli (1), dimidium Subbiani, dimidium Falconis, Vanna casule, plebem de Bugliano, comandisiam de Frunzola, placitum de Moiano, quartam partem de Ragiolo, Risiccum, Sigillianum (*a*), Coita, guardiam abbatie de Campoleis (*b*), et omnes arbergarias quas habent in Romania et in Tuscia; Gessum (*c*), Cerretum cum curia sua, Trevallis et Ponteclarum. Item addimus et damus eis in rectum et regale feudum atque concedimus castrum Gorzani positum in partibus Romaniole cum tota curia sua et cum omnibus pertinentiis suis et districtum et jurisdictionem ipsius terre et curie sue atque hominum eorumdem locorum. Specialiter autem hoc indulgemus eis ut non compellantur de aliqua causa sub alicujus examine respondere nisi sub nobis vel alio quem specialiter ad hoc delegaremus, et si quando vocati fuerint a nobis ut ad nos veniant vel a nunciis nostris, metu cognatorum Anselmi vel alio justo impedimento interveniente, possint per responsales suos vel nuncios nobis et nostris nunciis sine nostra indignatione respondere. Hec autem omnia superius scripta cum omnibus curtibus et districtibus et pertinentiis eorum concedimus eis et eorum heredibus legitimis et imperiali auctoritate confirmamus. Statuentes igitur jubemus ut de cetero nullus archiepiscopus, episcopus, nec dux nec marchio nec comes nec potestas nec civitas nec rector nec universitas nec aliqua magna persona nec parva eos vel eorum heredes legitimos in hac nostra concessione molestare vel injuriari aut inquietare aut molestare (*sic*) presumat; si quis vero hanc nostram auctoritatem ausu temerario violare presumpserit, centum libras

(*a*) Ap. Ildefonsum *Sizzillianum.*
(*b*) Ibidem *Guardiam, abbactia de Campoleonis.*
(*c*) Ibidem *Gressum.*

---

(1) Quum sint in hoc diplomate quinque ejusdem nominis loca, non inopportunum ducimus quae sint exponere; scilicet primus mons Acutus in Romaniola; secundus mons Acutus in Alpibus Vitiliani; tertius in Mucillo; quartus in valle Arni superiore; quintus mons Acutus in agro Arretino, ut monet Lamius, p. 215, quae ipse supra dixerit corrigendo. De nominibus autem castrorum omnium comitum Guidonum, ad elucidandum hoc diploma et aliud quod postea ad ann. 1247 mense aprili relaturi sumus, vid. GAMURRIN., *Hist. Genealog.*, t. I, et LAMIUM, *Eccl. Flor. monum.*, t. I, p. 213.

auri purissimi pro pena se compositurum cognoverit, dimidium fisco nostro et dimidium predictis comitibus aut heredibus eorum legitimis, nullis aliis privilegiis seu concessionibus ab imperiali culmine impetratis vel impetrandis huic concessioni et privilegio in aliquo prejudicantibus. Ut autem hoc verius credatur et ab omnibus inviolabiliter conservetur, presentem paginam scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus rei sunt testes Bertoldus (*a*) Aquilegiensis patriarcha, Sifridus archiepiscopus Maguntinus, Ulricus Pataviensis, Sifridus Augustensis, Bertholdus Brixinensis episcopi, Albertus Tridentinus electus, Ludovicus dux Bavarie et comes Reni Palatinus, Guilielmus marchio Montisferrati, . . . marchio de Andes (1), Corradus prepositus de Tanna, Guarnerius de Bolanda imperialis aule dapifer, Anselmus de Justingen imperialis aule marescalcus, Corradus pincerna imperialis aule, et alii.

Signum domini Friderici secundi Romanorum Dei gratia invictissimi imperatoris et semper augusti et serenissimi regis Sicilie.

Ego Corradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Henghelberti Coloniensis sedis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Hec acta sunt anno ab incarnatione Domini MCCXX, imperante domino Friderico secundo Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno imperii ejus primo, regni vero Sicilie XXII (*b*).

Datum in castris apud montem Rosum prope Sutrium, III kalendas decembris, indictione VIII (*c*).

(*a*) Ap. Lamium *Bernardus*, male.
(*b*) Sic in omnibus. Recte autem *XXIII*.
(*c*) Sic apud Soldanium, Lamium et Ildefonsum. Vere tamen *nona*.

---

(1) Germanice *von Andechs*. Idem qui supra, p. 49.

Fridericus, Romanorum imperator, congregationem Intrinsecam Veronensem sub protectione sua suscipit eique dat, tradit et confirmat omnes possessiones ibidem nominatim expressas.

In castris apud montem Rosulum prope Sutrium, 29 novembris.

(Edidit BIANCOLINI, *Notizie storiche delle chiese di Verona*, lib. IV, p. 551.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Dignitas et officium imperatorie majestatis nostre licet omnibus adesse teneatur et prodesse, tamen ecclesiasticis personis virisque religiosis et locis Deo deputatis clementie nostre signum prontius aperire debemus et eorum paci solerti diligentia providere quatenus orationum suarum suffragiis beatitudinem consequamur eterne retributionis. Eapropter noscat tam presens etas quam successura posteritas quod nos attendentes devotionem et religiosam conversationem Intrinsece congregationis Veronensis (1), invitati precibus fidelium nostrorum scilicet archipresbyteri Lafranchi ejusdem congregationis, Johannis presbyteri Sanctorum Apostolorum, magistri Magnini canonici Gardensis, presbyteri Pelegrini primiceriorum et ad instantiam ipsorum pro predicta congregatione, omnia que ab avo nostro Frederico felicis memorie tributa sunt predicte congregationi imperiali auctoritate confirmamus, pro remedio anime nostre et nostrorum successorum ipsos et omnia bona predicte congregationis mobilia et immobilia que nunc habent aut de cetero justo adeptionis titulo poterunt obtinere sub protectione majestatis nostre suscipimus, et nominatim villam Maraticam in Veronensi comitatu sitam cum suis omnibus pertinentiis, capellis, pratis, pascuis, paludibus, aquis aquarumque decursibus, molendinis, venationibus, bannis, districtus (*sic*), placitis, arimanis, albergariis et cum omni jurisdictione et cum mero imperio, et terram quam habent in castro Rotaris et in Vallepul-

---

(1) Scilicet in italico sermone *Congregazione del clero intrinseco di Verona.*

lixela, terram quoque quam habent in valle Paltenne et in monte Aureo, terram etiam quam habent in cruce Maratice et in Ylasii et in Colegnolla et in toto episcopatu et comitatu Veronensi necnon et ecclesiam Sancti Georgii cum suis pertinentiis, ecclesiam Omnium Sanctorum et ecclesiam Sancti Marchi Evangeliste et ecclesiam Sancti Jacobi a Pigna et ecclesiam Sancti Jacobi de Ylasio, sicut nunc quiete et pacifice possident, eis imperiali auctoritate confirmamus, damus, tradimus atque largimur et in eorum potestate transfundimus; statuentes itaque et imperiali auctoritate sancientes ut nullus dux, nullus marchio, nullus comes nec vicecomes neque capitaneus, nulla civitas, nulla potestas, nullum commune, nullaque persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hanc protectionis et confirmationis et dationis paginam audeat violare nec aliquibus calumpniis injuriarum, abangariis et perangariis presumat attemptare. Quod qui facere attemptaverit, in ultionem temeritatis sue centum libras auri puri pro pena componat, medietatem cujus camere nostre, reliquam injuriam passis. Et ut hec omnia attendantur et diligentius omni tempore custodiantur et observentur, hanc paginam conscribi et sigillo nostro communiri jussimus.

Testes hujus rei sunt Bertholdus Aquilegensis patriarcha, Cunradus Metensis et Spirensis episcopus et imperialis aule cancellarius, Sifredus Augustensis episcopus, Odoricus Pataviensis episcopus, Jacobus Taurinensis episcopus, Ludovicus dux Baiwerie et palatinus comes Reni, Dipoldus marchio de Hohebre (1), Anselmus de Justingen (*a*) imperialis aule mareschalcus, Rizzardus camerarius, Garnerius de Bolanda (*b*) dapifer et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti.

Ego Chunradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancel-

(*a*) In impresso *Justino*, male.
(*b*) In impresso *Holanda*, male.

---

(1) Sic pro *Hohenburg* (alias *Hochburg* sive *Vohburg*).

larius vice domini Sifridi venerabilis Maguntiensis archiepiscopi et totius Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, indictione nona, imperante domino Friderico Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regni ejus VIII, in Sicilia XV (1), imperii vero primo.

Datum in castris apud montem Rosulum (*a*) prope Sutrium, tertio kalendas decembris, feliciter.

Fridericus, Romanorum imperator, renovat et confirmat communitati Astensi privilegium quod ipse tempore regni sui anno 1219, mense februario, jam eidem concesserat.

Sub monte Rosulo prope Suterium, 29 novembris.

(Memorat. ap. Molina, *Notiz. stor. prof. della citta d'Asti*, t. II, p. 151, et ap. Boehmer, *Regest. imperii*, p. 114, n° 406, ex copia recenti apud Taurinum a Bethmanno communicata.)

Hujus rei testes sunt, etc.

Ego Conradus, etc.

Acta sunt hec anno Domini MCCXX, imperante domino Federico secundo, anno imperii ejus primo, regni vero Sicilie XXIII.

Datum sub monte Rossulo prope Spaterium (Suterium), per manum Henrici prepositi Constantiensis [imperialis aule protonotarii], III kalendas decembris, indictione IX.

(*a*) In impresso *Borulum*, male.

---

(1) Mendum evidens, cum annus regni Siciliae tunc XXIII[us] curreret.

In castris apud Sutrium, 29 novembris, vel 1° decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, renovat et confirmat communitati Papiensi cujus fides nunquam de sua memoria excidet privilegium quod ipse tempore regni sui anno 1219, 29 augusti, jam eidem concesserat.

(Memorat. ap. Robolini, *Notiz. stor. di Pavia*, t. IV, pars 1ª, p. 100, ex *allegaz. civ. Pap. reintegr.*, fol. 66, ad primum decembris diem; — et ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 115, n° 407, ex regist. privileg. sec. XV in domo communi ap. Papiam, fol. 33, ad 29 novembris. Cf. Trist. Calchum, *Hist. Mediolan.*, lib. XIII, p. 274, qui idem privilegium ad mensem novembrem indicat.)

Datum anno dominice incarnationis MCCXX, in castris apud Suterium, III kalendas decembris, indictione IX.

In castris apud montem Rosulum, 1° decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Henrico episcopo Mantuano confirmat curtem Burbasii cum suis pertinentiis, videlicet Roncho, Ferrario, Bigarello et Charzetulo, et castrum Novum et omnes alias curtes eisdem episcopatui et ecclesiae pertinentes.

(Memorat. ap. Chmel, *Regesta Frider. III Roman. imperat.*, p. 290, n° 2841, ex privilegio dato Romae, 25 aprilis 1452, quo Galeassio episcopo Mantuano confirmat duo privilegia, primum scilicet Friderici primi in generali concilio Papiensi, ann. 1160, 9 kal. martii, indict. VIII (cf. Muratori, *Antiquit. Italic.*, t. VI), alterum autem Friderici nostri sub notis chronologicis inferius expressis. In confirmatione sua Fridericus III his utitur verbis: « Preterea declaramus » verba illa in dictis privilegiis et concessionibus presertim Friderici I et Fride» rici II apposita de prescriptione mentionem facientia debuisse et debere intel» ligi de omni prescriptione, etiamsi sit tanti temporis cujus initii memoria » hominum non existat. »)

Datum in castris apud castrum Resolum (*sic*), [anno dominice incarnationis] MCCXX, indictione VIII (*a*), kalendis decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Benivoli de Bellan et Jacobi de Rugia civitati Vercellarum confirmat privilegia, donationes et concessiones ab avo et patre suo seu ab altero eorum eidem civitati olim indulta. In castris prope Narniam, decembri.

(Edit. ap. *Histor. patr. monum.*, chart. t. I, p. 1263, curante Amedeo Peyron, ex copia authent. in arch. archiep. Vercell., IV, mazz. n° 2.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperialis clementie mansueta serenitas ideo consuevit vota fidelium benigne admittere ut pro servitiis merita conferat et ad servitia sinceritas augendo fidelium ipsorum in melius voluntates inducat. Quapropter notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem ac devotionem fidelium nostrorum de Vercellis, intuitu serviciorum que usque nunc exhibuerunt celsitudini nostre ac in antea poterunt exhibere, privilegia et donationes seu concessiones eidem civitati de Vercellis olim factas a domino Friderico quondam avo nostro et domino Henrico quondam patre nostro felicissimis Romanorum imperatoribus recolende memorie vel ab altero eorumdem Benivolo de Bellan et Jacobo de Rugia nobis humiliter supplicantibus nomine comunis et universitatis Vercellarum pro ipso comuni et universitate presenti privilegio confirmamus, mandantes et firmiter presenti privilegio statuentes quatenus nullus [sit] qui contra eorumdem imperatorum privilegia vel donationes et concessiones prefatas civitatem Vercellarum impedire seu molestare presumat. Quod qui presumserit centum libras auri componat quarum medietas camere nostre, altera vero passis

(*a*) Rectius *VIIII*.

injuriam persolvatur. Ut hec autem rata et firma permaneant presens inde privilegium fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Hujus rei testes sunt Ulricus Pataviensis episcopus, Henricus (a) Mantuanus episcopus, Stephanus Cassinensis abbas, Diopuldus marchio de Hohenburc, Wilielmus marchio Montisferrati, comes Evirhardus de Helfinstein, Anselmus marscalcus de Justingen, Wer[n]herus dapifer de Bonlanda, Conrradus camerarius de Verda et alii quamplures

Signum domini Friderici secundi gloriosi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie (*monogramma*).

Ego Conrradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus vice domini Eggiberti Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, mense decembri, indictione nona, regnante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno vero Romani regni ejus in Germania octavo et in Sicilia vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Datum in castris prope Narniam, anno, mense, indictione prescriptis.

In castris prope Narniam, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, Albericum Sassenatensem episcopum et ecclesiam cum omnibus eorum possessionibus sub speciali protectione sua recipit, illumque corporaliter investit, praecipiens ut scripta a quadraginta annis facta quae in damnum hujus ecclesiae venire possent, nullum robur habeant.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. II, p. 658.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter

(a) In impresso *Vuilielmus*, male.

cetera charitatis opera illa potissima reputamus que ecclesiis Dei et locis ipsi dicatis Domino inspirante largimur. Eapropter notum esse volumus universis tam presentibus quam futuris quod nos attendentes devotionem quam tu, Alberice, venerabilis Sassenatensis episcope fidelis noster, ad excellentiam nostram geris, intuitu Dei et pro remedio anime nostre ac divorum augustorum parentum nostrorum felicis memorie, te et ecclesiam tuam cum hominibus, castris tam de donicatis quam locatis, possessionibus, villis, foris, curtibus et pertinentiis suis et omnibus aliis rebus suis que nunc juste habet ecclesia tua vel in antea justo acquisitionis titulo poterit adipisci, sub speciali protectione ac defensione nostre recipimus majestatis, et recepto a te fidelitatis juramento de predictis omnibus te in nostra presentia constitutum corporaliter investimus et certa scientia de speciali gratia nostra predicta omnia, sicut in ecclesie tue privilegiis continetur, tibi tuisque successoribus concedimus et perpetuo confirmamus. Volumus etiam et precipimus ut omnia scripta de predictis facta a quadraginta annis infra que in damnum ecclesie tue venire videntur, robur non habeant firmitatis; mandantes et firmiter precipientes ut nullus sit qui contra hujus nostre protectionis, commissionis et confirmationis privilegium aliquatenus venire presumat. Quod qui presumpserit de sue temeritatis ausu centum libras auri puri componat, [quarum] medietatem camere nostre, reliquam vero partem passis injuriam pro pena solvat. Ad quorum memoriam et perpetuam firmitatem presens privilegium inde fieri et bulla aurea typario (*a*) majestatis nostre impressa (*b*) jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Ulricus Pataviensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Bertholdus Brixi[n]ensis episcopus, Walterus de Palearia Catanensis episcopus et regni Sicilie cancellarius, Stephanus abbas montis Casinensis, Guidus marchio Montisferetri (1), Azo marchio Estensis,

(*a*) In impresso *imperio,* male.
(*b*) Ibidem *impressione,* male.

---

(1) Mendosum locum valde suspicamur, pro *Guilelmus marchio Montisferrati.*

Anselmus de Justingen marescalcus, Wernerus dapifer de Bolandia et alii quamplures.

Ego Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Engelberti Dei gratia Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M.CC.XX, mense decembris, indictione IX, regnante Federico II Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno regni ejus in Germania VIII, imperii vero I, regni autem Sicilie XXIII, feliciter. Amen.

Datum in castris prope Narniam, mense, die, indictione predictis.

In castello episcopatus Sabinensis, 3 decembris

Fridericus, Romanorum imperator, Albertum, Matteum et Thebaldum de monte Acuto pro gratis eorum servitiis cum bonis et possessionibus eorumdem in specialem suam protectionem recipit, pluraque addit privilegia scilicet de armannis et Lombardis, de immunitate dationis, de foro in Castilione tenendo, etc.

(Edider. Gamurrini, *Hist. genealog. fam. Tusc.*, t. I, p. 219 et 221, ubi reperitur inclusum in privilegio quodam Caroli IV, dat. Senis, ann. 1355, indict. 7, 5 non. maii.— Lami, *Monum. S. Eccles. Flor.*, t. I, p. 472.)

Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperialis munificentie opera circa subjectos benevola et maxime circa illos qui fideles per experientiam comprobantur extendi solet ad munera, ut qui fuerunt fideles in opere, eorum fides appareat in muneribus gratiosa. Inde est quod nos attendentes fidem et devotionem et grata servitia que Albertus, Matteus et Thebaldus de Monteacuto et eorum predecessores majestati nostre et nostris antecessoribus prestiterunt et poterunt in antea exhibere, ideo eos et eorum possessiones et bona et homines et universa que ad ipsos pertinent in spe-

cialem nostre majestatis protectionem recipimus, statuentes firmiter et districte precipientes ut nullus hominum eos in personis vel in rebus molestare audeat, nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, vicecomes, comes vel commune nec aliquis nostrorum eis in aliquo gravamen inferre presumat. Ad hec autem eisdem nostris fidelibus de benignitate imperatorie majestatis eorum servitiis et devotionibus respondentes, concedimus atque largimur armannos, allodarios, Lombardos qui sunt in districtu eorum, fodrum et omnem rationem que ad nos pertinet de terris et possessionibus eorum sive de hominibus qui sunt in districtu eorum, sancientes firmiter ut ab omni inquietudine ac datione immunes omnino permaneant. Insuper ipsis et eorum heredibus concedimus et confirmamus forum in Castilione (1) quarta feria imperiali auctoritate ut forum ibi manuteneant et defendant, precipientes quod nullum aliud fiat ipsa die quod jam dictum impediat forum. Insuper predicto Matteo clementi benignitate indulgemus ut domum suam quam habet in castro Citerne pro suo velle muret et edificet, nullaque persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, ipsum in hoc impedire vel molestare presumat. Et predicta omnia confirmamus, sicut in privilegiis dive recordationis patris nostri imperatoris Henrici plenius continetur. Si quis vero contra hoc nostrum edictum venire tentaverit, triginta libras optimi auri pro pena persolvat, medietatem camere nostre, residuum passis injuriam; et hoc nostrum mandatum ut ratum habeatur et firmum impressione nostri sigilli jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Guarnerius de Bollanda imperialis dapifer, Anselmus de Justingen imperialis marescalcus, Rainaldus dux Spoleti, Gulielmus marchio Montisferrati, Roffredus de Benevento juris civilis professor et imperialis et regalis curie magister et judex, Palmerius Scarpellus, Rainerius de Perod. Candilvin (*sic*), et alii quamplures.

Datum in Castello episcopatus Sav[inensis] (2), anno dominice in-

(1) Verisimiliter *Castiglione*, juxta Trasimenum lacum.

(2) Ap. Lamium *Sav.*; ap. Gamurrinium *Saun.* vel *Saunen.* Non dubitamus quin hic agatur de episcopatu *Sabinensi*, italico idiomate *Savina*, amnes inter Tiberim, Neram et Velinum.

carnationis M. CC. XX, III die (1) intrante mense decembris, indictione nona.

In castris prope Tibur, 5 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, universis hominibus de Castro Novo mandat ut comiti Uberto de Castro Novo tanquam ipsorum domino fidelitatem jurent et obediant, notificatque se commisisse Conrado Metensi et Spirensi episcopo imperialis aulae cancellario causam vertentem inter ipsum comitem et archiepiscopum Ravennatem.

(Edid. Fantuzzi, *Monum. Ravenn.*, tom. IV, p. 343, ex tabular. arch. Ravenn., caps. H, n° 3343.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis hominibus de Castro Novo fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Universitati vestre mandamus per gratiam nostram firmiter (*a*) injungentes quod comiti nostro Uberto de Castro Novo fideli nostro tanquam domino vestro fidelitatem juretis et in omnibus que ad jurisdictionem pertinent plenariam sibi respondeatis et intendatis, nullam sibi in aliquo inferatis angustiam et gravamen. Quod si non feceritis in banno imperii vos noveritis incidisse a quo nullatenus. curie nostre solvetis quingentas marcas argenti, nihilominus aliud bannum. . . . . pro eodem

(*a*) In impresso *similiter*, male.

Istud autem castellum quid sit, magis incertum est: verisimiliter tamen *Castel S. Pietro* juxta Poggium Mirtetum, media via inter Narniam et Tibur. Legitur quoque in itinerario Philippi Francorum regis, Augusti dicti, e terra sancta redeuntis, quod transiit per castellum Sancti Petri, deinde per Sutre, deinde per Biterne (Viterbe). Cf. *Rer. Franc. Script.*, XVII, 541.

(1) Arbitramur, in hoc Boehmerum secuti, sic legendum esse *III die* pro *in die*, quod ap. Gamurrinium et Lamium mendose irrepsit.

vobis impositum confirmantes. Ceterum sciatis nos causam quam commiseramus venerabili Aquilejensi patriarche, vertentem inter ipsum comitem et archiepiscopum Ravennatem, Conrado Metensi et Spirensi episcopo imperialis aule cancellario et totius Italie legato dilecto familiari nostro commisisse.

Data in castris prope Tiburtum, nonis decembris, indictione IX (1).

[Extant de re eadem tria instrumenta ab eodem Fantuzzi memorata, *ibid.*, tom. II, p. 374, ut sequitur :

Anno 1211 (1221), januarii 9 exeunte, dominus Chunradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis cancellarius et totius Italie legatus misit epistolam Federici imperatoris domino B. Aquilegensi patriarche, cui committebat causam inter comitem Ubertum de Castro Novo et archiepiscopum Ravennatem. Datum Bononie, XI kalendas februarii (22 jan.). *Sign.* D. N. 921.

Anno 1221, januarii 29, dominus Conradus Metensis et Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus scribit Hugoni Juliano comiti in Romandiola ut juxta mandatum domini Frederici imperatoris mittat in possessionem Castri Novi comitem Hubertum. Datum Regio, indictione IX. *Sign.* F. N. 2141.

Anno 1223, octobris 19, dominus Albertus Magdeburgensis archiepiscopus imperii legatus et comes Romaniole misit suum nuntium ad ponendum in possessionem dominum Ubertum comitem de Castro Novo predicti castri. D. Gernandus Brandeburgensis episcopus. Jacobus Carli notarius imperialis. *Sign.* E. N. 1410.]

---

(1) Ad hoc pertinet haec nota ap. MONTFAUCON, *Bibl. manuscript.*, tom. I, index arch. Ravenn. « Federici imperatoris et regis Siciliae litterae ad Ugolinum de Parma comitem Romaniae ut homines de Castro Novo jurent fidelitatem Uberto comiti sub poena impositionis in » banno. Datum. . . . decembris, indictione IX^{a}. » Notationes loci et diei adduntur ex RUBEIS, *Histor. Ravenn.*, lib. VI, p. 384, et eaedem sunt : Dat. in castris prope Tibur, nonis decembris.

Tibure, 6 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Bertholdo patriarchae Aquilegensi per sententiam concedit facultatem ordinandi fora, banniendi et disbanniendi in jurisdictione ejus, vetatque ne civitatibus quae subsunt eidem patriarchae liceat eligere potestates, se intromittere de episcopatu post decessum episcopi, monetas constituere, molendina construere, vendere vel alienare quae ad regalia pertinent, conjurationes facere, etc., sine voluntate et consensu ipsius patriarchae.

(Edit. ap. MURATORI, *Scriptor. rer. Italic.*, tom. XVI, col. 102-103, e transumpto anni 1232 inserto in privilegio Caroli quarti Romanorum imperatoris et Bohemiae regis.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, universis presentibus et futuris ad quos littere iste pervenerint. Ex secreto et ineffabilis bonitatis summe consilio imperatorie dignitatis assecuti fastigium, tanto magis nos condecet, si salutem anime nostre diligimus, habere Deum pre oculis quanto pre ceteris ad ipsius protegendam Ecclesiam exaltavit. [Cum igitur] Aquilejensem ecclesiam quodam privilegiato affectu diligimus tum quod preeminet ecclesiis universis que Romano subsunt imperio, tum etiam propter fidelissimi ac dilectissimi principis nostri Bertholdi patriarche Aquilejensis merita, idcirco latas in curia nostra sententias habere ratas volumus et in perpetuum confirmamus. Unde nosse vos volumus a nostris esse sententiatum principibus in plena curia quod si dictus patriarcha in civitatibus suis vel castris, villis et locis aliis ubi habet jurisdictionem ordinaverit aliquid de fori venditione, ratum et immutabile penitus habeatur. Item quod liceat dicto patriarche bannire et disbannire quoslibet in jurisdictione sua. Item quod non liceat civitatibus, castellis et villis que subsint patriarche eligere per se potestates, consules vel rectores preter voluntatem ipsius patriarche. Item quod

non liceat alicui civitati, communitati, universitati, clerico vel laico ubi dictus patriarcha habet jurisdictionem intromittere se de episcopatu post decessum episcopi vel de aliquibus rebus ad episcopatum pertinentibus. Item nulli liceat tributum, monetas, forum constituere de novo in dicti domini patriarche jurisdictionibus sine voluntate ipsius. Item quod nulli liceat in aquis naves portantibus vel aliis fluminibus sine voluntate ipsius construere molendina. Item quod nulli liceat castaldioni vel officiali manumittere debitales, vendere vel alienare vineas, agros, prata, vias vel aliqua que pertinent ad regalia sine voluntate ipsius. Item quod Veneti non possint ponere terram patriarchalem censualem nec aliquid aliud nec cogant homines ipsius sibi facere fidelitatem. Item quod nulli constituto in jurisdictione domini patriarche, cujuscumque sit conditionis sive liber sive vassallus sive ministerialis, liceat facere conspirationem sive conjurationem sine consensu domini patriarche, et quod si facta esset irritetur et quicumque restiterint sint proscripti. Item quod nulli liceat in jurisdictionibus domini patriarche de novo construere civitates, castella, fora sine voluntate ipsius.

Datum Tibure in festo beati Nicolai, indictione nona, presentibus S. Maguntinensi archiepiscopo, V. (*a*) Pataviensi episcopo, Alberto Tridentinensi electo (*b*), An[selmo] imperatoris marescalcho, V. de Bollande (*c*) imperatoris dapifero, R. de Ennalbach, M. Unangowe ministerialibus, et aliis multis.

Fridericus, Romanorum imperator, praeposito et capitulo [Sancti Servatii] in Trajecto concedit ut homines ipsius ecclesiae victualia frumenti et vini ad opus ecclesiae tam per terras quam per aquas in imperio deferant sine theloneo, passagio aut exactione aliqua. **In castris apud Florentinum, 9 decembris.**

(*a*) Scilicet *Ulrico*.
(*b*) In impresso *Antonio Tridentinensi clerico*, pessime.
(*c*) *De Blande*, male.

(Inedit. ex *Chartul. MSS. S. Servat.* ap. *Biblioth. reg. Paris.*, tom. I, in confirmatione Caroli IV, ann. 1354. — *Ibid.*, tom. III, 55, in confirmatione Honorii tertii. — *Ibid.*, 105 verso, in confirmatione Henrici VII.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cum nos ecclesiam Trajectensem, prepositum quoque et capitulum ejusdem loci specialiter quadam dilectionis prerogativa diligamus, hanc gratiam ipsis facimus ut in omni jurisdictione et districtu imperio et nobis pertinente, hominibus eorum victualia frumenti et vini deferentibus ad opus ecclesie supradicte, ubicumque necesse ire habuerint, tam per terras quam per aquas, nullum teloneum vel passagium ab ipsis requiratur vel occasione telonei aliqua in eos exactio fiat. Statuimus igitur et imperiali auctoritate precipimus ut nulla persona hanc nostram gratiam ipsis factam infringere presumat aliqua temeritate. Quod qui fecerit iram summi Dei et nostre majestatis offensam se noverit incursurum. Ad hujus autem rei certitudinem hanc paginam exinde conscriptam sigillo nostro jussimus insigniri.

Datum in castris apud Florentinum (1), anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo vigesimo, quinto idus decembris, indictione octava (*a*).

In castris apud Florentinum, 9 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiae, praeposito et capitulo Aquensi concedit ut in omni districtu imperii homines ipsius ecclesiae victualia frumenti et vini ad opus ecclesiae tam per terras quam per aquas deferant sine theloneo, passagio aut exactione aliqua.

(*a*) *Nona* autem, in confirmatione Henrici VII.

(1) Scilicet *Ferentino*, Anagniam inter et Verulas.

(Edit. ap. LACOMBLET, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, t. II, p. 551, n° 930; coll. cum transumpto origin. regis Roman. Adolphi, dato Coloniae, pridie kal. octob., ind. sexta, anno Dom. 1292, pendente sigillo cereo ejusdem regis e filis sericis viridis et rubri coloris. Litterae ipsae Friderici nostri inseruntur et confirmantur in bulla Honorii III papae, data Laterani, sexto nonas marcii, pontific. ann. V; ex *Archivo reg. Berolin.*, I, 188, n° 15.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Cum nos ecclesiam Aquensem, ... prepositum quoque et capitulum ejusdem loci speciali et prerogativa quadam dilectione diligamus, hanc gratiam ipsis conferimus ut in omni jurisdictione ac districtu imperio et nobis pertinente, hominibus eorum victualia in frumento et vino deferentibus ad opus ecclesie supradicte, ubicumque necesse ire habuerint, tam per terras quam per aquas, nullum theloneum vel passagium ab ipsis requiratur vel occasione thelonei aliqua in eos exactio fiat. Statuimus igitur et imperiali auctoritate precipimus ut nulla persona hanc nostram concessionem infringere aliqua presumat temeritate. Quod qui fecerit iram summi Dei et nostre majestatis offensam se noverit incursurum. Ad hujus autem rei certitudinem hanc paginam exinde conscriptam sigillo nostro jussimus insigniri.

Datum in castris apud Florentinum, anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo vigesimo (a), quinto idus decembris, indictione nona.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori respondet se jam per Alatrinum subdiaconum et capellanum suum providisse ut in universis civitatibus Tusciae fodrum imperiale ei exhiberetur, et quum id non debeat nisi per nuntios ecclesiae Romanae requiri, ad partes Maritimae et Campaniae direxisse R. Sancti Angeli dia- Laterani, 11 decembris.

(a) Ibi tamen ap. Lacomblet male ponitur virgula post verbum *quinto*.

conum cardinalem qui fodrum in his quoque partibus ipsi faciat impendi.

(Edid. Wurdtwein, *Nova subsid. diplomat.*, t. I, p. 45-47, e cod. Vatic. 7183.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, Friderico Romanorum imperatori semper augusto et regi Sicilie. Non credimus quod unquam aliquis Romanus pontifex sinceriorem caritatem ad aliquem imperatorem habuerit quam nos ad personam tue sublimitatis habemus, sicut evidentibus potuisti cognoscere argumentis et cognosces, dante Domino, diebus omnibus vite nostre. Si ergo in exhibendo tibi fodero imperiali difficultas fuit aliqua vel defectus, grave nobis est plurimum et molestum nec id nobis potest aliquatenus imputari. Te enim appropinquante ad Tuscie partes, universis civitatibus nostre ditioni subjectis expresse mandavimus ut procurationes sive foderum tibi liberaliter et hilariter exhiberent; ac ne quis jussioni nostre presumeret contraire, dilectum filium Alatrinum subdiaconum et capellanum nostrum qui non minus est tibi quam ecclesie Romane devotus, immo qui totus est tuus, illuc destinare curavimus ut omnia decenter per ejus sollicitudinem complerentur, et quia secundum tenorem privilegii super hoc facti inter ecclesiam et imperium foderum ipsum non debet nisi per nuntios ecclesie Romane requiri. Porro imperatores Romani hujusmodi procurationes seu foderum exigere non habent in Maritima vel Campania, cum per partes illas non sit eorum transitus quando ad coronam veniunt vel quando ad propria revertuntur, et si qui hoc aliquando receperunt ad invadendum regnum Sicilie anhelantes, non justitia sed violentia intervenit. Sed si hoc debitum esset, deberet tamen per nuntios ecclesie Romane requiri juxta tenorem privilegii memorati. Nos tamen hec circa personam tuam minime attendentes, sed volentes a nostris omnem tibi honorificentiam liberaliter exhiberi, ad partes illas dreximus dilectum filium nostrum R. Sancti Angeli diaconum cardinalem, qui tibi est speciali affectu et devotione conjunctus et qui totius Campanie et Maritime rector existit, injuncto eidem ut foderum et omnem honorificentiam tibi faciat studiose et diligenter impendi. Et nunc receptis

tue magnificentie litteris, eidem cardinali per scripta nostra dedimus in mandatis ut ita provideat quod omnia tibi sic exhibeantur ad plenum ne ullus possit inveniri defectus, tue celsitudini protestantes nos hoc facere non ex debito, sed ex speciali gratia et sincere dilectionis affectu.

Datum Laterani, III idus decembris, anno pontificatus nostri V.

Honorius papa mandat praelatis per regnum Arelatense constitutis ut auxilium praestent et favorem Guillelmo marchioni Montisferrati, cui Fridericus Romanorum imperator regnum hoc ordinandum commisit. Laterani, 13 decembris.

(Inedit. ex Regest. Honor. III, ann. V, epist. 229, in Collect. *de la Porte du Theil*, ap. Biblioth. reg. Paris.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis aliis ecclesiarum prelatis per regnum Arelatense constitutis. Karissimus in Christo filius noster Fredericus Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie regnum Arelatense dilecto filio nobili viro Guillelmo marchioni Montis Ferrati commisit qui, sicut coram nobis exposuit, regnum ipsum in fidelitate imperii et Ecclesie devotione desideret solidare. Cum igitur idem marchio et progenitores sui semper fuerint viri catholici et ecclesie Romane devoti, ac per hoc non injuste speremus quod negotium fidei quantum in ipso fuerit promovere studebit, universitati vestre per apostolica scripta mandamus quatenus eidem id juxta vestram fiduciam facienti prestare studeatis consilium, auxilium et favorem, prout negotii sibi commissi promotio videbitur postulare.

Datum Laterani, idibus decembris, anno quinto.

In eumdem modum scriptum est super hoc Diensi et Valentinensi episcopis, excepto ubi dicitur *universitati* in ista dicitur *fraternitati*.

In eumdem modum scriptum est C. Portuensi episcopo, Apostolice sedis legato : Karissimus in Christo filius noster, etc., *ut supra usque ad :* auxilium et favorem et facias a prelatis et aliis consistentibus in tua legatione prestari. Specialiter autem venerabiles fratres nostros Valentinensem et Diensem episcopos, de quorum fide atque prudentia nos et idem marchio gerimus fiduciam specialem, ei consiliarios et auxiliarios deputes, ut vice tua dirigant gressus ejus et faciant alia que negotii sibi commissi promotio videbitur postulare. Datum, *ut supra.*

Laterani, 15 decembris.

Honorius papa Pelagio Albanensi episcopo Apostolicae sedis legato nuntiat se Fridericum in Romanorum imperatorem una cum consorte ejus in basilica Sancti Petri coronasse; qui cum succursum exercitui christiano in proximo martio destinandum et se ipsum in sequenti augusto personaliter transfretaturum promiserit, de desiderato succursu tandem habendo confortetur.

(Edit. ap. RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1220, § XXI.)

Honorius, etc., Pelagio Albanensi episcopo, Apostolice sedis legato, etc. Quia scimus animum tuum super statu imperii expectatione suspensum, ecce tue fraternitati exponimus nos dominica ante Adventum Domini proxima charissimum in Christo filium nostrum Fredericum Romanorum imperatorem, semper augustum et regem Sicilie et illustrem imperatricem consortem ejus in principis Apostolorum basilica cum inestimabili alacritate ac pace civium Romanorum solemnissime coronasse; qui, facta tribus diebus in monte Malo mora continua, tandem prestita nobis securitate quod tibi et christiano exercitui in proximo martio succursum magnifice destinabit et in sequenti augusto personaliter transfretabit, regnum cum pace et gaudio est ingressus, ea que ad subsidium Terre Sancte pertinent provisurus. Confortare ergo in Domino et in ejus servitio

exercitus christiani corda confirma, desideratum succursum favente Domino magnifice habiturus.

Datum Laterani, XVIII kalendas januarii, pontificatus nostri anno V.

Imperator per Campaniam iter habens venit in regnum, et apud Sanctum Germanum magnifice a [Stephano Cassinense] abbate receptus mensam campsorum et jus sanguinis quae usque tunc habuerat ex concessione imperatoris Henrici ecclesia Cassinensis, recipit ab eodem (1); Suessam (2), Theanum et Roccam Draconis in demanium revocat, quas comes Rogerius de Aquila tunc tenebat. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.* Apud Sanctum Germanum, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegia a praedecessoribus suis indulta genti Advocatorum de Colle Putei prope Lucam confirmat, cum titulo sacri palatii comitum et imperialium missorum, jurisdictione et possessionibus. In castris apud Sanctum Germanum, decembri.

(Edit. ap. *Memor. e Docum. per servire all' istor. della città e stato di Lucca*, tom. III, p. 141. — Cl. Cianellius auctor dissertationis cui hoc diploma innectitur, aliud confirmatorium memorat Caroli quarti, 13 martii 1355, nec non et

---

(1) Mense praecedenti apud Romam idem abbas ad petitionem imperatoris ei Roccam Bantrae mandaverat restitui et Atinum, quae usque tunc ex concessione imperatoris Henrici patris ejus ecclesia Cassinensis tenuerat. Cf. *ibidem*.

(2) « Et in die Sanctae Luciae (13 decemb.) venit apud Sanctum Germanum et in die Sancti » Ambrosii (7 decemb.) idem dominus imperator introivit civitatem Suessae quam recuperavit » in ejus dominium, et ibidem stetit per tres dies. » *Chronic. Suess.* ap. Zacharia, *Iter litter.*, p. 227. Dies autem S. Ambrosii perperam notatur, cum neque instrumentis authenticis neque itineris ordini se accommodet.

duo alia privilegia eidem genti concessa a Friderico I et ab Ottone IV, additque: « Questi documenti non mi è avvenuto di ritrovarli altrove se non nel proto» collo de' rogiti del egregio ser Antonio del fu Giacomo Luporini (*Archiv. na» zion. detto di S. Giov.*) formato dall' anno 1431 fino al 1435, nella circos» tanza che redige in atti la presentazione di Ambrogio del fu Tomaso Nardini » cittadino Lucchese *coram nobili viro Dino quondam Julii de Advocatis Lucano » sacri palatii et Romani imperii comite*, per ottenere dal detto conte l'inves» titura della dignità di giudice ordinario e di publico notaro nel giorno 11 nov. » 1433, ripetendosi ivi per disteso nelle maniere che sopra i privilegj che la fa» miglia degli Advocati godeva. »)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, rex Sicilie. Imperialis eminentie titulos decenter extollimus digneque adornamus cum nos facta progenitorum nostrorum et rata habemus et inviolabiliter decernimus observari. Sicut namque ex privilegiis progenitorum nostrorum Frederici et Henrici Romanorum imperatorum didicimus, ita nos ad ipsorum imitationem, inspecta devotione pariterque fidelitate, dilectissimis fidelibus nostris Lamberto, Duodo, Visdomino, Orlandino, Normanno, Sexmundino, Gattanello, Cecio, Frederico, Quirico eorumque legitimis heredibus et proheredibus concedimus et in perpetuum confirmamus honorem et omnem ejus effectum, scilicet ut sint comites palatii et missi (1) domini imperatoris. Itaque potestatem et ordinariam jurisdictionem eis qui sunt comites sacri palatii et imperiales missi concedimus judices faciendi sive mittendi, notarios faciendi et mittendi, emancipationes celebrandi et rursus alienationes minorum necessitate cogente, vel etiam pignorandi publica scriptura interveniente et mulieres suis viris tradendi vel disponsandi et placita voluntaria de tota marchia ante eos venientia distringendi et homines pena sui banni alligandi et publicandi et viarum publicarum destructores mulcta puniendi (*a*) et pugnam legaliter ordinandi vel imperandi. Preterea concedimus eis potestatem restituendi lapsos causa cognita volen-

(*a*) In impresso *faciendi*, male.

---

(1) Vid. Cangium *ad verb.*, et Muratorium, *Antiquit. Ital. med. aevi,* dissert. VII et IX.

tibus manumittere servos suos et substituendi advocatos ecclesiis et clericis et dandi tutores et curatores minoribus, furiosis et prodigis et perpetuo morbo laborantibus et mente captis, feminis autem mundualdos, et removendi suspectos et alios substituendi, et potestatem recipiendi nostra vice in suum mundium (1) puellas et viduas quarum mundium a suis mundualdis jure fuerit perditum et quarum certus mundualdus non invenitur. Insuper advocatiam quam a marchionibus possident per totam marchiam et vicedominatum quem habent ab episcopo Lucensi et ejus beneficium ipsis imperiali auctoritate perenniter confirmamus. Preterea omnia jura et omnes possessiones et beneficia que in comitatu Lucensi aut Pisano vel in aliquo loco Romani imperii aut ab imperatore aut a marchione aut ab episcopis aut ab ecclesiis, etc. (*sic*) possident, nominatimque in districtu colle Putei (2), castri ipsorum quod est prope Lucam, in plebe Sancti Pancratii et in plebe Marlia et in eorum cappellis et in cappella Sancti Geminiani, omnem justitiam et usum antiquum que pertinent ad regnum seu ad marchiam per hanc preceptalem paginam omni evo valituram eis confirmamus, et in monte Grominii idem ipsis concedimus quantum a progenitoribus sive predecessoribus nostris ad eos ab imperiali aula descendit, ipsis[que] eorumque heredibus inconcussum et illibatum precipimus perpetuo permanere; ita ut in personis et bonis eorum nemo nisi regia aut imperialis majestas aliquam habeat potestatem. Jubemus itaque et sub nostro banno precipimus hanc nostre sanctionis paginam ab omnibus firmiter et inviolabiliter observari et custodiri, presertim a judicibus Lucensibus, etc. (*sic*). Si quis autem contra hanc nostram preceptionem in predictis honoribus et possessionibus eorum adversus eos et eorum heredes ire temptaverit, sciat se mille marcarum auri penam compositurum (*b*), medietatem nostre camere et medietatem ipsis comitibus sacri palatii et imperialibus missis et advocatis.

(*a*) In impresso *comportaturum*, male.

---

(1) Mundium, scilicet jus quod habet curator vel tutor in personam et bona illius qui sub ejus cura vel tutela positus est. De diversis mundii sive mundiburdii generibus, vid. Cangium, ad haec verba.

(2) Italice *Col di Pozzo*.

Hujus rei testes sunt, etc. (a).

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum imperatoris augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Spirensis et Metensis episcopus, imperialis aule cancellarius, vice domini Engelberti Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, mense decembris, indictione nona, regnante domino Friderico secundo Romanorum imperatore glorioso, anno regni ejus in Germania octavo, in Sicilia vigesimo tertio, imperii vero primo.

Datum in castris apud Sanctum Germanum, mense et indictione predictis, feliciter. Amen.

Apud Sanctum Germanum, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, Johannem abbatem monasterii Virginis Mariae de Monte Virginis fratresque, possessiones et personas eidem monasterio subditas sub speciali protectione sua suscipit, omnes concessiones et immunitates ab eodem obtentas confirmat, obedientiasque et ecclesias ejus recenset.

(Edid. Mastrullo, *Monte Vergine sagro*, p. 648 et seqq., sed minus correcte.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, rex Sicilie. Quoties obtentu superni numinis ad ecclesiarum et locorum (b) venerabilium cultus aciem intentionis nostre convertimus et eorum profectus et commoda pie nostris commodis (*sic*) intuetur, ad sublimitatis potentie cumulum nostre potestatis virtus erigitur et majestatis nostre solium pietatis titulo largius decoratur. Nihil enim justius, nihil dignius

(a) Desunt testium nomina, sive Cianellius ipse ea praetermiserit, sive desiderentur in transumpto notarii cujus supra mentio fit.

(b) In impresso *loca*.

poterit reperiri quam unde nobis bona perveniunt, illa nostre liberalitatis munera conferantur. Hac si quidem ducti consideratione laudabili, diligentius attendentes religionem et honestatem domini Johannis venerabilis abbatis et aliorum monachorum sacri monasterii gloriose Virginis Marie de Monte Virginis, obtentu divine pietatis et spe retributionis eterne, nec non ad laudem et gloriam ipsius regine virginum, pro salute quoque divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende et de consueta nostre munificentia majestatis, monasterium ipsum, abbatem, monacos, conversos, terram Mercuriani, casalia, homines et vasallos ipsius monasterii cum omnibus obedientiis, ecclesiis, hospitalibus, tenimentis, possessionibus, redditibus, molendinis, juribus, libertatibus, mobilibus et immobilibus universis, quibuscumque introitibus ad ipsum monasterium pertinentibus et personis ei subditis in quacumque parte regni et imperii nostri commorantibus sub speciali protectione et defensione nostre majestatis suscipimus, et ab omni molestatione, inquietatione, collectis, adjutoriis, datiis, exactionibus aliisque gravaminibus omnibus et servitiis personalibus, realibus et rebus personarum ipsarum perpetuo liberos et securos esse censemus. Possessiones etiam, ecclesias, hospitalia, tenimenta, redditus, molendina, libertates, terram Mercuriani, casalia, homines, vassallos et universa mobilia et immobilia ac omnes retro pontificum, regum, imperatorum, principum, ducum, comitum, baronum seu quorumcumque aliorum hominum utriusque sexus concessiones, libertates, donationes, oblationes, confirmationes, venditiones, commutationes seu quocunque alio titulo alienationes secundum tenorem privilegiorum et instrumentorum dicti monasterii eidem datas seu factas, que nunc prenominatum monasterium tenet aut in posterum concessione, liberalitate, donatione, oblatione, confirmatione, emptione, permutatione, alienatione seu quocumque alio modo, Domino annuente, juste poterit adipisci, omni nostra nostrorumque heredum vel successorum seu partis reipublice vel fidelium nostrorum contrarietate vel inquietatione seu aliqua perturbatione remota, rata esse volumus ipsi sacro (a) monasterio, et libera semper absque omni servitio et adjutorio

(a) In impresso *ipso sastro*, pessime.

personali, reali [et] rebus personarum ipsarum nostre reipublice et fidelibus nostris debito perpetuo imperiali auctoritate in eleemosinam eidem monasterio confirmamus. Concedimus etiam ut si monachi vel conversi per se vel per nuntios familiares suos seu homines et vaxalli ipsius monasterii et obedientiarum et locorum eidem subditorum cum eorum animalibus de quibuscumque rebus oneratis ierint et redierint seu aliqua emerint vel vendiderint pro eorum utilitate per totum regnum et imperium nostrum, nullus in tota terra nostri demanii comitum, baronum, militum et aliorum fidelium nostrorum plateaticum [imponat] aut tollat, sed libere et absque contrarietate semper permittantur abire. Volumus insuper et jubemus ut de animalibus ipsius monasterii, obedientiarum, locorum, pastorum, hominum et vaxallorum suorum secure et libere sub nostra protectione semper eant et redeant, maneant et pascantur per totum regnum et imperium nostrum in quacumque parte fuerint reperta, tam per terram nostri demanii quam comitum, baronum, militum et aliorum fidelium nostrorum, et ligna etiam viridia et sicca fratres dicti monasterii et locorum suorum ac homines et vaxalli ejus pro eorum justa utilitate per totam terram nostri demanii et predictorum fidelium nostrorum sine cujuscumque contrarietate semper accipiant. Precipimus etiam firmiter imperiali auctoritate ut homines et vaxalli qui ad jus predicti monasterii pertinent vel Domino dante in futurum pertinere noscentur, nullum gravamen ab aliquo seu molestiam patiantur, sed ab omnibus servitiis, adjutoriis et gravaminibus personalibus, realibus et rebus personarum ipsarum liberos esse volumus perpetuo et immunes. Volumus etiam et concedimus de nostra plena liberalitate ut homines dicti monasterii et obedientiarum ejus ac homines et vaxalli ipsius monasterii omnes libertates, bonos usus et consuetudines semper habeant quas tempore regis Guillelmi habuerunt, quas ipsis volumus et concedimus perpetuo conservari; et si que mala consuetudo in eodem monasterio seu in aliquibus de supradictis locis suis, rebus vel possessionibus aut castro Mercuriani, casalibus, hominibus et vaxallis dicti monasterii hactenus fuit imposita in tota terra nostri demanii et predictorum fidelium nostrorum, omnimodo deinceps deleatur et non valeat in futurum. Concedimus etiam et

perpetuo confirmamus ipsi sacro monasterio beate Marie Virginis, pro reverentia regine virginum ad cujus laudem et gloriam ipsum monasterium est constructum, quecumque in privilegiis imperatoris et imperatricis parentum nostrorum divorum felicium augustorum et aliorum felicium regum predecessorum nostrorum de immunitatibus, libertatibus et concessionibus ipsius monasterii, obedientiarum, locorum et vaxallorum suorum apertius continentur, necnon et terram Mercuriani cum omnibus hominibus, tenimentis, juribus, libertatibus et pertinentiis suis francam et liberam ab omni servitio personali, reali et rebus personarum ipsarum et ab omnibus collectis, adjutoriis, datiis, exactionibus aliisque gravaminibus, quam quondam progenitores nostri divi augusti memorie recolende ipsi sacro monasterio in eleemosynam donaverunt et concesserunt francam et liberam ab omni onere servitutis et collectis, adjutoriis, datiis, exactionibus aliisque gravaminibus omnibus, prout in eorum privilegiis ab eisdem ipsi monasterio confectis exinde plenius continetur. Que omnia vidimus et tenorem ipsorum inspeximus diligenter, nulli ulterius necessario ostendenda et ipsorum inspiciendo et legendo tenore (*a*), quia vidimus et scivimus ea absque aliquo vitio et vituperatione confecta. Confirmamus etiam ipsi monasterio concordiam ex commissione curie nostre communiter factam inter ipsum et Robertum Malerbam dominum Submontis fidelem nostrum, prout ipsius concordie publicum continet instrumentum, de questione quam idem Robertus moverat contra ipsum monasterium pro aliquibus servitiis et redditibus que ab eodem monasterio et hominibus casalis ejusdem quod dicitur Fontanelle cum instantia requirebat. Insuper concedimus et confirmamus ipsi monasterio habere et percipere perpetuo de lacu Alesine annuatim sexaginta sertas anguillarum de grossis et supergrossis, quas quondam Matteus comes Alesine concessit et donavit ipsi monasterio semper habere ibidem et percipere annuatim, prout ipsius concessionis et donationis publicum continet instrumentum. Ad majorem quoque cautelam quedam de predictis omnibus que ipsi monasterio confirmamus propriis duximus nominibus ex-

(*a*) Correximus ibi quae nimium in impresso grammaticam perturbant.

primenda : videlicet hospitale Sancti Thome quod est in pede montis ipsius monasterii et casale Fontanella quod ejusdem monasterii est, situm inter dictum hospitale et castrum Submontis, ecclesiam Sancti Jacobi de Benevento, ecclesiam Sancti Joannis de Aquaria et casale de Aquaria ejusdem ecclesie in territorio Vici, ecclesiam Sancti Petri de Rossetano in territorio Rocce Sancte Agathe, ecclesiam Sancti Petri de Plano in territorio Asculi, obedientiam et hospitale Troye, ecclesiam Sancte Marie de Oliva in territorio Tulbie, quasdam ecclesias et triginta casatas hominum in sancto Clerico de Tricarico, ecclesiam Sancti Honufrii et casale de Massa ejusdem ecclesie, obedientiam et hospitale Heboli, obedientiam in casali Sancti Marzani et hospitale pauperum de Nocera, et donationem atque concessionem nostram de aqua Sancti Mauri in Nocera derivando eam ad utilitatem dicti monasterii et de novo ibidem molendina et fusaria concedendi (*a*), ecclesiam Sancti Jacobi in territorio Lauri, ecclesiam Sancte Marie de Plesco et casale Casemarciane ejusdem ecclesie in territorio Cicale, ecclesiam Sancte Marie regalis in Magdalono, et donationem atque concessionem nostram de foresta nostri demanii in territorio ejusdem terre et octo casatas villanorum in eadem terra, obedientiam in casali Baiani de Avella, ecclesiam Sancti Johannis de Argentio, ecclesiam Sancte Crucis in territorio Palme, obedientiam Casecugnane in territorio Averse, ecclesiam Sancti Felicis in Neapoli, et tam omnes predictas ecclesias, obedientias, hospitalia, loca et casalia, sicut ea ubique per totum regnum et imperium nostrum [ad] monasterium ipsum juste dignoscuntur pertinere, cum omnibus hominibus, vaxallis, possessionibus, tenimentis, redditibus, molendinis, juribus, libertatibus, justitiis et pertinentiis eorumdem, prout in eisdem monasterii privilegiis, instrumentis, juribus et aliis scriptis publicis plenius continentur, de abundantiori gratia nostra, pro remedio quoque felicium regum predecessorum nostrorum et felicium augustorum progenitorum nostrorum memorie recolende ac pro salute principaliter nostra damus et libere concedimus in eleemosinam ipsi sacro monasterio ac perpetuo confirma-

(*a*) Locus mutilus : forsitan *construendo.*

mus, etc. (*sic*). Ad hujus ergo protectionis, concessionis, donationis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Jacobi de Catania notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense, indictione subscriptis.

Datum apud Sanctum Germanum, anno dominice incarnationis M.CC.XX, mense decembris, indictione nona, regnante domino nostro Friderico Dei gratia imperatore, semper augusto et rege Sicilie, imperii ejus anno primo et regni Sicilie anno XXII (*a*), feliciter. Amen.

Imperator se recto tramite Capuam conferens et regens ibi curiam generalem pro bono statu regni suas assisias promulgavit quae sub viginti capitulis continentur (1). RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.* [Capuae, 15 decembris circiter.]

(*a*) Recte autem *XXIII*.

---

(1) Haec capitula omnino perierunt. Nihil autem dubii est quin renovata et denuo publicata fere sub eisdem verbis fuerint, quum imperator veteres constitutiones in corpus unum novis additis redigi et apud Melfiam mense septembri 1231 promulgari fecerit. Argumentum enim luce clarius invenimus, dum quinque ex constitutionibus apud Capuam editis rursus inter Melfienses renascantur:

1° *De privilegiis resignandis*. Cf. passim sequentia documenta et praecipue epistolam Honorio papae missam, dat. apud Tranum, 3 martii 1221. Adest inter constitutiones regni (Neapoli, 1786), lib. II, tit. XXIX.

2° *De novis aedificiis diruendis*. Cf. RICC. DE S. GERM., ad ann. 1221 et 1223, ubi agitur de diruendis tam Rocca Janula quam pluribus castellis in comitatu Molisii indebite constructis. Adest *ibidem*, lib. III, tit. XXXII.

3° *Quod nullus praelatus, etc., officium justitiarii gerat*. Vide supra (p. 83) jus sanguinis ab abbate Cassinensi imperatori restitutum, et passim. Adest *ibidem*, lib. I, tit. XLIX.

4° *De feudis integraliter revocandis, et quod bona stabilia per aliquos ecclesiis et religiosis locis oblata vendi aut alienari debeant infra annum*. Cf. privilegium pro monasterio montis Virginis, dat. Melfiae (?), mense februario 1224. Adest *ibidem*, lib. III, tit. V et tit. XXIX.

5° *De instrumentis conficiendis*. In quodam instrumento anni 1220 legitur in curia Ravel-

---

Neapoli, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, homines burgi Sancti Donnini sub imperiali sua protectione suscipit, eorumque communitati concedit plenam jurisdictionem cum mero et mixto imperio.

(Memorat. ap. AFFO, *Stor. di Parma*, tom. III, p. 59, qui hoc privilegium typis editum fuisse asserit *nella scrittura legale della causa Bacchini*. Quam vero scripturam post multas disquisitiones non invenimus.)

Datum Neapoli, anno dominice incarnationis MCCXX, mense decembris, [indictione nona].

---

lensi comparuisse procuratorem Pantaleonis de Maurone et petiisse ut renovaretur charta venditionis quarumdam domorum a Johanne Pironti eidem Pantaleoni factae anno 1208, 9 octobris, dictamque curiam notario Ravellensi mandasse ut hanc chartam transcriberet et renovaret sub forma instrumenti quod incipit : « *Cum dominus noster imperator Fridericus novam con-* » *stitutionem emanasset ut sublato modo scribendi usque nunc in civitate Neapolis, ducatu* » *Amalfie et Surrenti ac per eorum pertinentias servato, instrumenta puplica et quelibet cau-* » *tiones in eis dudum facte per litteraturam communem et legibilem per statutos ab eo notarios* » *scribi deberent*, etc. » Transumpta autem venditionis charta, instrumentum ita concluditur : « Actum Ravelli, die undecima intrantis (*leg.* exeuntis) mensis decembris (21 decemb.), indic- » tione octava, anni millesimi ducentesimi vicesimi, et primo imperii Domini imperatoris Fri- » derici, per Hominemdei publicum Ravelli notarium qui *secundum edictum imperiale* hoc » scriptum rescripsi et renovavi. » CHIARITO, *Commento sulla costitut. di Feder. II*, p. 115. Adest quoque inter constitutiones regni, lib. 1, tit. LXXX. Cujus instrumenti notae chronologicae multum juvant ut tempus quo curia Capuana celebrata fuerit, hactenus incertum, certioribus terminis praefigatur.

ANNO 1221. — INDICTIONE 9.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Honorii papae privilegia monasterii Sancti Zenonis extra muros Veronae deperdita et combusta renovat, hoc monasterium sub speciali sua protectione recipit, possessiones ejus enumerat et confirmat, omnibusque concessionibus a quibuscumque eidem monasterio factis novum addit robur.

In civitate Neapoli, 2 januarii.

(Memoratum potius quam editum apud UGHELLIUM, *Ital. sacr.*, tom. V, p. 838.— Retulit vero in integrum, sed quibusdam mendis admissis, BIANCOLINI, *Notiz. stor. delle chiese di Verona*, lib. V, pars I[a], n° XL, p. 110-116, ex arch. abbat. Zenonian.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Licet ex concesso nobis a Deo imperio ecclesiis et personis ecclesiasticis teneamur adesse, illis tamen specialem favorem debemus benevolum impertiri quos excellentie nostre pura devotio et servitia recommendant. Ea propter notum facimus universis et singulis tam presentibus quam futuris quod cum tu, Riprandus, venerabilis abbas monasterii Sancti Zenonis extra muros civitatis Verone, nobis humiliter supplicasses ut privilegia prefati monasterii que fuerunt quondam malefactorum iniquitate combusta innovare et reficere benignitate dignaremur, et pro eodem monasterio suas preces nobis dominus papa Honorius pater noster in Christo sanctissimus per quem exinde veritatem didicimus transmisisset, quia jura ejusdem monasterii nolumus deperire, preces ipsius summi pontificis attendendo, te prefatum abbatem et monasterium supradictum

omnesque fratres inibi domino famulantes, bona quoque et possessiones ejusdem monasterii quas ex nunc juste habet vel in posterum Deo annuente acquirere rationabiliter poterit, sub nostram imperialem munitionem et protectionem suscepimus; ipsum abbatem etiam suscepta ab eo debita fidelitate cum dominio de omni honore et jure suo solemniter investivimus. Bona et possessiones, curtes, castra, communitates et jurisdictiones quas nostri antecessores reges et imperatores longevo tempore eidem monasterio contulerunt et suis privilegiis confirmaverunt, nos quoque ad imitationem inclite memorie patris nostri Henrici christianissimi imperatoris et aliorum nostrorum predecessorum ex imperiali clementia ei concedimus et ex certa scientia impertimur et corroboramus, sicut ipse possessiones, privilegia et jura inferius denotantur : videlicet curtem Hostiliam cum honore, comitatu, jurisdictione, tholoneo, regalibus omnibus, districtu in episcopatu et comitatu Veronensi cum plebe Sancti Laurentii et capella Sancti Romani, cujus fines sunt a Pado usque ad caput Turmonis et a fossa Lubia usque ad fossam regiam et Polettinum juxta castrum Rever., scilicet in eodem episcopatu castrum Sancti Petri ad monasterium cum omnibus appendiciis et decimis necnon silvam cum territorio que vocatur Pauletum sitam in Fissaro ejusdem curtis predicti monasterii, fines cujus Agricia et Finalis et fossa Zumola Mantuana usque ad Fissarium et per ipsum Fissarium sicut currit usque ad finem Piscariam etiam que vocatur Dirupta in loco et fundo Theoledo usque in pactus de Ruza et a Dirupta in Ormendolum et a Gurgo Mentione usque Foretulum et a fossato de Calci usque ad fossatum de Campona Molona usque in vallem Sinepelle; curtem ville Impiete scilicet et cum pertinentiis et districtu, comitatu et jurisdictione et omne jus quod ad nos vel ad imperium pertinet in curia Azzani et in villa vallis Ferrarie et in earum pertinentiis tam in silvis quam in aquis, pratis, cultis et incultis, aquis, pascuis et piscationibus; curtem Moratice cum pertinentiis, districtu, comitatu et jurisdictione cum plebe sanctorum Firmi et Rustici et capellam Sancte Marie de Castellario cum omnibus pertinentiis et terminis suis; curtem Sancti Salvatoris; ecclesiam Sancte Marie de Vouferraro cum decimis et pertinentiis suis et districtu; curtem Herbeti cum pertinentiis et

districtu arimanorum, comitatu et jurisdictione, curtem Trevenzoli cum pertinentiis et districtu, comitatu et jurisdictione et arimanis, locum Ronchilevati cum pertinentiis et districtu, comitatu et jurisdictione, curtem Vicoaderis et castrum cum districtu arimanorum, comitatu et jurisdictione, ripatico et regalibus omnibus tam in tholoneo quam in aliis que ad regiam vel imperialem majestatem potuerunt pertinere, et ecclesiam Sancti Michaelis cum pertinentiis et districtu et silvam dominicatam que dicitur Gaio et alias silvas omnes in eodem territorio positas cum aquis, molendinis, pratis, vineis, et quidquid Sanctus Zeno habet in villa et pertinentia de Puviliano; similiter curtem et castrum Pastrengi cum comitatu, districtu et jurisdictione et quicquid hospitalis habet in monte Dracone et ecclesiam Sancti Zenonis in Bardulino cum pertinentiis et districtu, ecclesiam Sancte Christine in Lazixio et quidquid monasterium suprascriptum habet circa arcem Garde tam infra castrum Garde planum quam deforis; in villa Turris mansum unum; quidquid etiam habet et acquirere juste poterit in Gaiono et in Brenzono et in Mala Scilice, curtem Inventi et ecclesiam Sancti Viti, similiter curtem Castrinovi cum pertinentiis et districtu, comitatu et jurisdictione, regalibus omnibus et capellis, curtem in Caprinis, similiter curtem Brennii, curtem vallis Salarie cum castro qui (*sic*) dicitur Monticulo, curtem Capavi eodem modo, curtem Sancti Viti similiter et cum capella, curtem Parone similiter et cum capellis Sanctorum Jacobi et Crescentiani et Christine, et villam Cassiani eodem modo et ecclesiam Sancti Dionisii, silvam et territorium qui dicitur Manticum cum pertinentiis suis, similiter et Montem Alferio; in Luco ecclesiam Sancti Apollinaris cum pertinentiis; quidquid habet vel juste poterit acquirere in Monte Aureo similiter tam in terris quam in aquis et omni honore, comitatu et jurisdictione, curtem Pigocii eodem modo et ecclesiam Sancti Martini prope fluvium cum suis pertinentiis; similiter in Illaxio curtem Cellularum cum capella et districtu et medietatem curtis insule de Stanphi; in Verona ecclesiam Sancti Petri in monasterio cum capella et pertinentiis, et ecclesias Sancti Proculi, Sancti Viti et Sancti Maximi cum pertinentiis earum, burgum Sancti Zenonis cum familiis utriusque sexus et districtu eorum et arimanorum et li-

berorum hominum habitantium ab ecclesia Sancti Martini in Aquario usque ad clivum de Mantico, cum adulterio, furto, ripatico, tholenatico, tabernatico et omni districtu, ecclesiam Sancte Agate de Campanea cum pertinentiis, mansum quem Michelinus tenuit pro monasterio in Bonefixo; in comitatu Tarvixino ecclesiam Sancti Martini cum pertinentiis suis; in Caserio curtem et ecclesiam Sancti Theonisti et silvam que dicitur Maretro; in Roncoferello ecclesiam Sancti Laurentii; in Vicinatello ecclesiam Sancti Jacobi; in Pastormio ecclesiam Sancti Viti et in Marlengo ecclesiam Sancti Bartolomei cum suis pertinentiis et duos mansos juxta planum in Palumbo; in comitatu Cremonensi curtem Rivaroli cum suis pertinentiis; in Castellone ecclesiam Sancte Marie; in episcopatu Bononiensi ecclesiam Sancti Blaxii in Veterano et ecclesiam Sancti Jacobi cum hospitale et ponte cum pertinentiis suis; ad hec in Veronensi Liscinum, in Melaria campos duos cum suis pertinentiis et terminis et duobus pascuis vocatis Brendolis et Valbona, et in Clariano campos tres, scilicet Grossenedo et Costaruta cum quatuor partibus Lacibearii; in Crodano et Costaiolis campos duos cum suis pertinentiis et terminis; item Campoprimum et Ronchoplanum cum pascuo in Sacco Boario; item in Lavarino campos tres, scilicet in costa Lavarina et Concula; item in Provaro campos tres cum terminis et pertinentiis et in Lonfa campum unum qui dicitur Vallistrusa et montem qui dicitur Costablota cum suis pertinentiis; in Zago Nogarie ubi dicitur Casale Orcii trecenta jugera et curticellam in Paltono et capellam Sancti Viti in Portu et campum Palearum juxta villam Corrigii cum omnibus, sicut in superioribus melius expressimus. Has et omnes possessiones quascumque ecclesia Sancti Zenonis modo juste possidet et omnia jura, comitatus et honores vel que in posterum legitime acquirere poterit cum omni jure, comitatu et jurisdictione, districtu et omnibus pertinentiis, tholenatico, ripatico et cum regalibus omnibus sive in aquis sive in terris, et etiam sicut antecessorum nostrorum privilegia continent et a pluribus imperatoribus eidem concessa cognovimus, predicto abbati et ejus monasterio ex certa scientia concedimus et confirmamus, salva per omnia imperiali justitia. Insuper placuit nostre serenitati de familia ejusdem monasterii

secundum tenorem [privilegii] bone memorie patris nostri suprascripti definitiones facere, scilicet de feminis liberis que se famulis ipsius monasterii copulaverunt sive etiam de familiis aliarum ecclesiarum [que] se cum famulis predicti monasterii junxerint vel aliarum etiam personarum laicarum vel clericorum per hujus nostri precepti auctoritatem sine omnium contradictione predictum monasterium pleno jure habeat et possideat. Ceterum auctoritate nostra decernimus et sancimus ut episcopus ejusdem civitatis nullam unquam potestatem habeat aliquid inde abstrahere vel sibi usurpare aut alicui in beneficium dare vel in fodrum exquirere vel aliquem districtum habere, nisi tantum quod antiquitus in priori precepto Karoli continetur, ut in festivitate Sancti Zenonis annis singulis manchusos viginti aut quinquaginta solidos cum suis clericis accipiat. Item statuimus ut in predictis possessionibus monasterii nullus episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, nulla civitas, consules et potestas, nulla persona magna vel parva preter abbatem aliquod fodrum accipiat vel aliquam exactionem de cetero faciat ei, preter nostram solam majestatem vel nostrum certum missum quem ad hoc specialiter cum nostris certis litteris destinaremus. Precipimus etiam quod nulla persona omnino presumat ordinare seu statuere gastaldiones, consules sive potestates, aliasve personas que communia debeant exercere negotia in predictis aliisve locis et bonis monasterii ipsi a nobis vel a predecessoribus nostris concessis et confirmatis, preter abbatem et conventum monasterii. Et quia parum vel nihil penitus jurisdictio concessa vel comitatus sive districtus valeret si quilibet arbitrio proprio munitiones, edificia vel turres sive fossata contra voluntatem jurisdictionem habentis construeret et edificaret et maxime que scandali vel seditionis materiam possint generare, ex certa scientia inhibemus ne aliquis audeat erigere turrim vel domum sive aliquod edificium de materia quacumque que excedat altitudinem trium punctorum et dimidii a terra naturaliter sita, et fossata, valla vel motam nullis penitus liceat preter abbatis et capituli voluntatem fodere vel construere in iis locis in quibus a nobis vel a predecessoribus nostris ei concessa est jurisdictio et presertim in Vico Aderis et ejus pertinentia. Quod si factum fuerit, liceat abbati et successoribus

suis auctoritate nostra totum destruere, sibi imputaturus qui contra nostram prohibitionem agere presumpserit; et nihilominus in penis infrascriptis se noverit incursurum. Item concedimus et indulgemus ut si inter homines ejusdem monasterii vel sue jurisdictionis duellum fuerit indicatum vel inter extraneum et hominem dicti monasterii qui convenerit abbati (*a*), abbas et ejus nuntius et nullus alius custodiat et disponat. Volumus etiam et concedimus ut possessiones monasterii in feudum datas vel quocumque modo alienatas sine consensu monasterii vel majoris partis liceat abbati et successoribus suis secundum jurisdictionem revocare. Sententias quoque pro monasterio rationabiliter latas confirmamus et nominatim latas a consulibus Verone et per quondam Obizonem marchionem Estensem confirmatam, videlicet contra Nicolaum de Advocatis de edificando in Vico Aderis, quod materiam seditionis possit generare, sicut pater noster bone memorie confirmavit. Statuimus etiam et precipimus ut cuncti homines tam liberi quam servi in predictis aliisve locis monasterii constituti functiones publicas, fodrum, banna et alias exactiones a nobis seu a nostris predecessoribus concessas eidem monasterio teneantur prestare. Ad hec ratum habemus et confirmamus pactum quod fecit Girardus abbas cum Carlaxario et Oremplaxia uxore illius et Crescentio eorum filio de refutatione et resignatione feudorum et advocatie. Item sancivimus [ut] adversus monasterium et ecclesiam supradictum nullus se tueri possit prescriptione nisi centum annorum, sicut quondam pater noster indulxisse videtur; et quia intelleximus quosdam vassallos et conductores predicti monasterii bona que in beneficium vel conductionis jure detinent ab eodem post admonitionem et petitionem describere et designare temnunt (*sic*), ne tali fraude predicti monasterii possessiones valeant occultari, sancimus ut si contigerit aliquem de predictis requisitum (*b*) terminum a domino sibi prefixum contemnere suo jure penitus careat, possessionem quoque feudi et rei locate taliter contemnentis nostra valeat auctoritate ingredi et de cetero sibi monasterium

(*a*) In impresso *abbas*, quod sensu caret.

(*b*) In impresso *requisitus*, male; quod correximus, sicut et infra *contemptor* pro *contemnere*.

pleno jure teneat et possideat. Hec autem omnia ex certa scientia concedimus et confirmamus, nulla lege obstante que possit opponi quamvis non nominetur. Adeo etiam hec valitura censemus quod contemptoribus et eis qui ausu temerario et etiam facto resistere presumpserint purissimi auri penam centum librarum imponimus, dimidium cujus camere nostre, aliud (*a*) predicte debeatur ecclesie. Judex autem qui contra judicare aut venire presumpserit post penam predictam perpetue labis incurrat infamiam; patronus quoque qui contra hoc privilegium certioratus allegaverit et qui contra hoc impetraverit cum supradictis contemptoribus similem penam incurrat et impetratis careat, quamvis hic non nominentur impetrata; et non obstante quod simile privilegium XI kalendas octobris (1) a nobis concessum et alia predecessorum nostrorum non appareant, quorum vices presens volumus privilegium obtinere ut jura ejusdem monasterii casu fortuito non ledantur; et si quid postea contra prohibitionem nostram noscitur impetratum, mandamus et volumus irritari.

Hujus rei testes sunt Ulrichus Patavensis episcopus, Nicolaus episcopus Reginus, Adelpertus Tridentinus electus, Lando archiepiscopus Reginus, Nicolaus archiepiscopus Tarentinus, Anselmus marscalcus de Justingen, Raynaldus dux Spoleti, Conradus camerarius de Werda (*b*) et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia Romanorum imperatoris invictissimi et semper augusti et regis Sicilie.

Ego Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius (2), vice domini Engiberti [Coloniensis] archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi.

(*a*) In impresso *dimidiam — aliam*.

(*b*) In impresso *Uberda*, sicut supra *Instringen*, male.

(1) Unde patet eodem ipso die quo ecclesiae cathedrali Veronensi privilegium indulserat, aliud quoque ecclesiae Sancti Zenonis Fridericum concessisse, una cum caeteris deperditum.

(2) Nescimus quomodo cancellarius in aula imperiali tunc adfuisse potuerit, cum vicesimo sexto die decembris 1220 apud Podium Bonizi in Tuscia eum jam morantem inveniamus (cf. pri-

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense januarii, indictione nona, imperante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore invictissimo, semper augusto et rege Sicilie, imperii vero ejus anno primo et regni Sicilie vigesimo tertio, feliciter. Amen.

Datum in civitate Neapoli, anno, mense et indictione predictis, videlicet quarto nonas ipsius mensis.

Neapoli, 4 januarii.

Fridericus, Romanorum imperator, mandat praelatis, comitibus, baronibus caeterisque per regnum Siciliae constitutis ut cum monasterium Cassinense multas dudum pressuras sit perpessum, jura ipsius quaecumque teneant sine difficultate reddere curent; monens etiam se Stephano abbati Cassinensi licentiam concessisse per se ipsum auctoritate imperiali jura ipsa alienata recipiendi.

(Inedit. ex arch. montis Cassin., *Cod. Pergam.* 468, scripturae coaevae, fol. 41 verso, et ap. *Cod. diplomat.*, ibid. MSS., t. V.)

---

vilegium pro Rainutio Philippi Malavoltae ad mensem martium 1223), et sexto die januarii 1221, usque ad Sanctum Miniatum Italiam superiorem et Alemanniam repetens pervenerit. Quod discimus ex instrumento (ap. Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, II, 50, n° 92), quo idem notificat sententiam a se in curia Frankenfordensi (aprili 1220) latam, super custodia sigilli civitatis Aquensis : « C[onradus] Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius et per totam Italiam legatus, universis hoc scriptum inspecturis » salutem in Domino. Notum sit universis quod nos in sollempni curia Frankenwort coram » venerabilibus archiepiscopis Coloniensi, Treverensi et Magdeburgensi et episcopis Leodiensi, » Trajectensi, Cicenensi, Monasteriensi et Babenbergensi et aliis principibus atque nobilibus » a domino nostro Fr[ederico] nunc imperatore, tunc autem rege, requisiti sententiavimus » sigillum civitatis Aquensis in custodia decani Aquensis ecclesie, quicumque fuerit pro tempore, jugiter esse debere. Que sententia ab omnibus tunc presentibus fuit approbata. Et ne » ulla super eo in posterum oriatur dubitatio, veritatem ipsam presenti scripto protestamur. » Datum apud Sanctum Miniatum, anno Domini MCCXXI, indictione VIIII, VIII idus januarii. »

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, prelatis ecclesiarum, comitibus, baronibus et ceteris per regnum Sicilie constitutis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Licet serenitati nostre dudum fuerit regni status incognitus et ecclesiarum seu aliorum fidelium nostrorum jura fuerint occupata, nemine malitiam expellente, nunc tamen cum nullus audeat in iniquitate confidere, omnia volumus sub jure lucescere et cuncta sub regimine nostro in statu justitie reformare. Quantas igitur et quales pressuras usque ad hec tempora monasterium Cassinense a predecessoribus nostris memorie recolende dotatum a regni persecutoribus sit perpessum, tenore presentium non (*a*) duximus inserendas, sed ad ejus remedium benigne volentes intendere, ne de cetero jura ipsius ab aliquibus prout hactenus teneantur, fidelitati vestre mandamus et sub obtentu gratie nostre districte precipimus quatenus quecumque ad prefatum monasterium vel ipsius ecclesias suffraganeas rationabiliter pertinentia noscimini detinere sine aliqua dilatione ac difficultate reddatis, scientes nos Stefano venerabili Cassinensi abbati potestatem et licentiam concessisse ut quecumque ad ipsum monasterium vel ejus ecclesias de jure spectantia distracta, occupata vel alienata in ipsius gravamine invenerit, auctoritate imperiali non obstante alicujus contradictione per se valeat recipere et ad opus monasterii revocare.

Datum Neapoli, IIII° januarii, indictione VIIII°.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Cassinensi concedit ut ballivi et judices terrae ipsius monasterii civiles quaestiones hominum abbatiae juxta consuetudines regni audiant et determinent finaliter, non obstante appellatione ante diffinitivam sententiam ad majestatem imperialem interposita. Neapoli, 4 januarii.

(*a*) In codicibus *nunc*, minus nostra sententia recte.

(Inedit. ex eodem archivo, loco supra citato.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos ipsius devotionis intuitu quam gerimus ad monasterium Casinense et quia jura ipsius integre volumus pro salute nostra perpetua observare, damus et concedimus eidem monasterio ut judices et balivi terre monasterii Casinensis audiant et determinent finaliter civiles questiones hominum abbatie juxta jura et consuetudines regni nostri, appellatione ante diffinitivam sententiam ad majestatem nostram interposita non obstante. Ad cujus itaque rei memoriam et securitatem perpetuam monasterii Casinensis presens inde scriptum fieri fecimus nostro sigillo signatum.

Datum Neapoli, IIII° januarii, indictione VIIII°.

In civitate Neapoli, post curiam Capuae, januario,

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Stephani abbatis Cassinensis xenodochium Sancti Benedicti pro solatio egenorum et peregrinorum extructum sub sua protectione recipit, possessionesque ejus recenset et confirmat.

(Edid. GATTULA, *Access. ad histor. Cassin.*, I, 290, ex autographo.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Quia piis locis et venerabilibus xenodochiis cupimus munimen tuitionis impendere et illi defensionem imperatoriam impertiri quem pater sanctissimus Benedictus incoluit, extrussit, et sua corporali presentia clarissimum ac memorabilem toto orbi effecit, unicum egenorum solatium, peregrinorum et necessitatem habentium portum, notum facimus universis tam presentibus quam futuris qualiter Stephanus venerabilis abbas monasterii Cassinensis in nostra presentia constitutus nobis humiliter

supplicavit ut ob honorem Dei et ejusdem sancti loci reverentiam secundum predecessorum nostrorum felicis memorie statuta per hoc privilegium omnes res et possessiones que predicto venerabili xenodochio de jure pertinent confirmare et corroborare dignaremur. Nos igitur justis petitionibus inclinati, xenodochium antedictum sub nostra protectione recepimus, possessiones suas et jura, videlicet ecclesiam Sancte Marie de Casali plano, Sanctum Paulum de Foresta, Sanctum Petrum de Curulis, Sanctum Johannem de Pantanis, Sanctum Thomam de Strata, Sanctum Johannem et Paulum, Sanctum Egidium apud pontem Sancti Germani cum hospitali, castrum Sancti Apollinaris cum omnibus hominibus quos habet per abbatiam, domum ubi debent hospitari torcellari in Sancto Germano, hortum de Cervaritia, domum et hortum ac montanum in Sancto Petro monasterio, campum Sancti Petri, startiam de Corvino, limatam juxta Melfim et duas startias ibidem, thorum et limatam in valle Rivitellana, duas startias apud Sanctum Stephanum, unam petiam de terra apud Teramum, apud Sanctum Angelum startiam que vocatur Anglone, item apud Cervarium Sanctum Angelum de Barba Selics. (*sic*) cum possessionibus suis, molendinum unum apud Sanctum Germanum, molendinum unum apud Minianum et molendinum unum apud Sanctum Angelum presenti privilegio confirmantes. Confirmamus etiam eidem xenodochio privilegium avi nostri regis Rogerii felicis memorie, et statuimus ut nullus abbas vel rector ejusdem xenodochii ipsum de prenominatis minuere, impedire seu molestare presumat, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus itaque rei memoriam presens inde privilegium fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in civitate Neapoli post curiam Capue celebratam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo, mense januarii, indictione nona, imperante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, Romani vero imperii ejus anno primo et regni Sicilie vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Neapoli, post curiam Capuae, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, Petrum abbatem et monasterium Sanctae Mariae in pede Roccae Pimontis in speciali protectione sua recipit, eique concedit et confirmat startiam et molendinum Arcupinti, terras Sancti Marciani et omnes venditiones, oblationes, seu donationes ibi factas.

(Inedit. ap. archivum reg. S. Severini Neapolitanum, ex originali cujus sigillum periit.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter cetera caritatis opera que divine pietatis intuitu pia miseratione largimur, illud Deo gratius credimus residere quod ecclesiis Dei et locis venerabilibus de mera liberalitate donamus. Inde est itaque quod nos attendentes honestatem, celebrem vitam et religionem fratris Petri venerabilis abbatis Sancte Marie matris Domini site in pede Rocce Pimontis necnon et fratrum suorum ibidem devote Domino famulantium, pro remedio quoque felicium augustorum parentum nostrorum et ut nobis omnipotens a quo cuncta bona suscepimus vitam augeat et salutem, eumdem abbatem, monasterium ipsum, fratres et bona ejusdem in speciali protectione et defensione nostra recepimus, et de consueta magnificentie nostre gratia dicto monasterio concedimus et confirmamus startiam et molendinum Arcupinti et terras Sancti Marciani et ad faciendum ibi molendinum cum censile uno nomine Durante cum tenimento suo, sicut Oddo de Barchiesten rector Nucerie id ipso (*sic*) monasterio optulerat et tradiderat. Concedimus etiam ipsi monasterio omnes venditiones, oblaciones et donationes ibi factas quas nunc possidet et in antea poterit adipisci [et] in perpetuum confirmamus, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad cujus nostre confirmationis memoriam presens scriptum inde fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum Neapoli post curiam Capue solempniter celebratam, anno do-

minice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo, mense januarii, indictione nona.

Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis in Italia legatus, promittit communi Senensi se in futuro transitu suo ultramarino ei daturum plenam jurisdictionem in homines illius terrae et pedagium portarum nec non facultatem cudendi monetam.

Apud Fucecchium, 13 januarii.

(Inedit. ap. arch. comm. Senensis, ex origin. inter scripturas *della Balzana*, n° 12, unde pendet sigillum episcopi in cera rubra. Confirmationem privilegiorum Senensium ab eodem Conrado datam apud Fucecchium, 10 (non 13) januarii, memorat Tommasi, *Hist. di Siena*, p. 209. Hanc autem apud Senas invenire non potuimus, eamdemque per omnia esse ac nostram valde suspicamur.)

In Christi nomine. Nos Chunradus miseratione divina Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius, totius Ytalie legatus, presentis scripti testimonio, sigillo nostro ad pleniorem firmitudinem apposito, promittimus et obligamus nos irrevocabiliter comuni Senensi quod nos in proximo nostro adventu in Tusciam, scilicet in transitu nostre peregrinationis ultramarine, auctoritate legationis nostre dabimus, donabimus atque concedemus et confirmabimus et a serenissimo domino nostro Frederico imperatore confirmari bona fide faciemus nobili comuni Senensi plenam jurisdictionem voluntariam [seu] contensiosam et animadvertendi in facinorosos in civitate Senensi et in omnibus hominibus et terris ibi inhabitantium quanto et quatenus nunc habent cives Senenses et tenent et antea accostabunt, necnon et collectam pedagii portarum Senensium et in dictis terris et locis seu hominibus eorum. Dabimus etiam eis liberam potestatem cudendi monetam Senensem atque auctoritatem plenam quod per totum comitatum Senensem a nullo cive Senensi pedagium aliquo modo ab aliqua persona requiratur vel cogatur. Volumus autem ut omnia suprataxata in eo statu quo nunc sunt permaneant tam pro comuni

quam pro diviso, ita quod nullus nuntius inde aliquid requirat nisi quod nos de pedagio statuimus.

Hujus rei testes sunt Chunradus prepositus de Tanna (a), Olricus de Bollingen clericus et notarius noster, Bartholomeus et Gibertus fratres et Ultramonte cives Senenses.

Datum apud Fisceccum, anno Domini millesimo CCXXI, indictione VIIII, idus januarii.

Suessae, 15-17 januarii.

Anno Domini M CC XXI de mense januarii in die Sancti Mauri (15 januarii) idem dominus imperator Federicus iterum introivit Suessam (1) et moratus est ibi per tres dies et postea rediit Capuam. *Chronic. Suess.*, ap. ZACHARIA, *Iter litter.*, p. 228.

Capuae, 21 januarii.

Fridericus, Romanorum imperator, Actoni et Phylippo de Troja mandat ut a molestatione monasterii Sancti Angeli de Marano quod sub protectione sua speciali recepit de caetero penitus remaneant eique omnia injuste ablata ad plenum restituant.

(Inedit. in archiv. monast. Cassin., *Cod. diplomat.* MSS. t. V, e chart. Pennens., caps. 43, fasc. 3, n° 32.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex

(a) Haec lectio recta, licet originale potius *Tantia* exhibeat.

(1) « Eodem anno (1220) imperatrix Constantia venit Suessam et introivit ibidem in festa » Sancti Thomasii apostoli (21 decemb.); quae recepta est honorifice ab omnibus hominibus » Suessae et stetit ibi per XXXVII dies et in die Conversionis beati Pauli (25 januar. 1221) » discessit et venit Capuam. » *Chronic. Suess.*, *ibid.*, p. 227.

Sicilie, Actoni et Phylippo de Troja fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Quia prepositum et monasterium Sancti Angeli de Marano (*a*) cum omnibus possessionibus suis, honoribus, obedientiis nec non et omnibus bonis suis sub speciali protectione et defensione culminis nostri recepimus, idcirco fidelitati vestre districte precipiendo mandamus quatenus, sicut de gratia nostra confiditis, a molestatione et dampno ipsius monasterii et hominum suorum penitus de cetero remanentes eis omnia injuste sibi ablata ad plenum restituere debeatis; mandatum nostrum taliter impleturi ut super hoc ad audientiam nostram de cetero justa querimonia non recurrat.

Datum Capue, vigesimo primo januarii, nona indictione.

Riccardus de Ofen justiciarius Aprutii eisdem scribit de eadem re.

(Inedit. *ibidem*, ut supra n° 33.)

Riccardus de Ofen, Dei et imperiali gratia justitiarius Aprutii, nobilibus viris domnis de Troja salutem et amorem. Imperatorie Majestati et nobis conquestus est prepositus Sancti Angeli in Marano quod vos contra justitiam homines ipsius ecclesie vassallos indebitis exactionibus et servitiis aggravastis et remittere denegatis. Quare vobis ex parte domni imperatoris et nostra, ipsius auctoritate qua fungimur, precipimus firmiter et districte quatenus si est ita de predictis satisfaciatis eidem et ulterius nullam molestiam inferatis et in prima curia quam tenebimus in partibus ipsis eidem veniatis ratione media responsuri (1).

(*a*) In codice *de Barano*, male.

---

(1) Reperitur apud GATTULAM, *Hist. Cassin.*, t. I, pars Iª, p. 143, concordia de hac lite diffinitive tractata inter Oderisium praepositum Sancti Liberatoris et Jacobum praepositum Sancti Angeli in Marano ex una parte, Philippumque et Actonem de Troja, ex altera « apud » Trojam juxta cappellam Sancte Agnetis, anno dominice incarn. 1223, indictione XII, die » lune tertio decimo septembris. »

Capuae post curiam, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat et renovat juramentum quod in anno 1219 mense septembris apud Hagenow Honorio papae praestitit de patrimonio beati Petri, terra Mathildis caeterisque possessionibus Ecclesiae Romanae manutenendis.

(Edider. WURDTWEIN, *Subsid. nov.*, tom. XI, p. 4.—PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 245, ex Cencii libr. cens. cod. S. Angeli, fol. 162. Adest hujus libri censuum unum magni pretii exemplar in Biblioth. Paris., *Anc. fonds latin*, n° 4188.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus tam presentibus quam futuris quod nobis existentibus anno preterito in mense septembris, indictione octava, apud Agenowe fieri fecimus quoddam scriptum ad mandatum karissimi in Christo patris domini Honorii Sancte Romane Ecclesie summi pontificis et nunciorum ejus, quod continebat:

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ego Fridericus secundus, etc. Tibi domino meo sanctissimo et patri karissimo Honorio pape tercio, etc. *Sequitur de verbo ad verbum sicut in juramento praedicto usque ad :* Actum apud Agnowe, anno dominice incarnationis M° ducentesimo decimo nono, mense septembris, indictione octava.

Nos autem pre oculis habentes dilectionis et gratie puritatem quam predictus pater noster summus pontifex in nostra promotione laudabiliter dinoscitur habuisse et quod de bono in melius ad exaltationem nostram intendit, scriptum ipsum, sicut continetur superius, confirmamus et volumus ab omnibus observari, et ad majorem securitatem presens scriptum fieri fecimus aurea bulla typario nostre majestatis impressa firmatum.

Datum Capue post curiam solempniter celebratam, anno dominice incarnationis M° ducentesimo vicesimo primo, mense januarii, indictione nona, et anno imperii nostri primo, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat et renovat privilegium quod in anno praecedenti, 24 septembris, apud Sanctum Leonem, ecclesiae Romanae fecit super bannitione detentorum castri Gonzagae.

Capuae post curiam, januario.

(Edider. PERTZ, *Monum. Germ. Histor.*, t. IV, p. 239, ex Cencii libro cens. cod. S. Angeli, fol. 159. — RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1221, p. 314. — BALUZE, *Miscell.*, t. I, p. 448.— WURDTWEIN, *Nov. subsid.*, t. XI, p. 1. — TIRABOSCHI, *Memor. Moden.*, IV, cod. p. 69.)

Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus tam presentibus quam futuris quod nobis existentibus in pretorio mense septembris (*a*), none indictionis, in castris apud Sanctum Leonem, ad monitionem carissimi in Christo patris domini Honorii Sancte Romane Ecclesie summi pontificis et nunciorum ejus fieri fecimus quoddam scriptum bulla aurea roboratum quod continebat:

Fredericus, etc., per presens scriptum notum facimus universis, etc. *Sequitur de verbo ad verbum sicut in privilegio super bannitione detentorum castri Gonzagae usque ad:* Datum in castris apud Sanctum Leonem, VIII kalendas octobris, et publicatum apud Spinlambert, pridie kalendas mensis ejusdem, anno Domini MCCXX, indictione VIII (*sic*).

Nos autem pre oculis habentes dilectionis et gratie puritatem quam predictus pater noster summus pontifex in nostra promotione laudabiliter dinoscitur habuisse et quod de bono in melius ad exaltationem nostram intendit, scriptum ipsum, sicut continetur superius, confirmamus et volumus ab omnibus observari, et ad majorem securitatem presens scriptum fieri fecimus bulla aurea tipario nostre majestatis impressa firmatum.

(*a*) Apud Pertz *novembris*, minus recte.

Datum Capue post curiam sollempniter celebratam, anno dominice incarnationis MCCXXI, mense januarii, IX indictione, et anno imperii nostri I, feliciter. Amen.

Capuae, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, Hospitali infirmorum in Jerusalem confirmat omnes ejus possessiones in Romano imperio, idemque in sua protectione speciali suscipit.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 116, n° 423, ex transumpto ann. 1264 ap. Mediolanum.)

Datum Capue, anno dominice incarnationis M. CC. XXI, mense januarii, indictione nona. . . . .

Capuae, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, ad requisitionem amici sui Hugolini Ostiensis et Velletrensis episcopi donat et confirmat abbati et conventui Sanctae Mariae de monte Mirteti supra Nimpham tenimentum Turrianum suo demanio devolutum.

(Memorat. ap. Pertz, *Archiv der Gesellschaft*, etc., ann. 1824, p. 329. — Adest transumptum hujus privilegii in regestis Gregor. IX, ann. IV, n° 85, ut monet Boehmerus, *Regest. imper.*, p. 116, n° 421.)

Per manus Jacobi de Calatagirone notarii nostri. . . . .
Datum Capue, anno dominice incarnationis MCCXXI, mense januario, indictione nona. . . . .

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem episcopi Pataviensis (?) Nicolaum Salernitanum archiepiscopum et ecclesiam ejus sub protectione sua recipit, privilegia omnia praedecessorum suorum confirmat cum bonis omnibus ibidem nominatim expressis, libertates recenset et novas immunitates concedit.

Capuae post curiam, februario.

(Ineditum in archivo archiep. Salernit., *Regest.* I, fol. 878-883. Extat ibidem originale, unde pendet sigillum cereum ex filis sericis rubri coloris, ut Regestum ipsum testatur. At in archivo male tunc temporis ordinato hoc originale invenire non potuimus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. In excelso trono Romani imperii Dei providentia constituti tanto propensiori cura circa profectum ecclesiarum et regimen debemus intendere quanto inter mundi principes majori gloria et honore nos dextera Domini exaltavit. Eapropter notum esse volumus perpetuo universis quod Dyopoldus venerabilis episcopus Pataviensis (1) dilectus princeps et familiaris noster in nostra presentia constitutus majestati nostre humiliter supplicavit ut pro reverentia Dei et beati Matthei apostoli et evangeliste cujus corpus testimonio et cultu fidelium in Salernitana ecclesia requiescit ac ipsius meritis illustratur, et pro salute nostra et remedio animarum parentum nostrorum, Nicolaum venerabilem ministrum ipsius ecclesie, virum sapientem et honestum, in nostram gratiam et sub protectione majes-

(1) Erravit certissime notarius italus seu potius recens registrator nomen germanicum transcribendo, cum ex praecedentibus documentis clare pateat episcopum Pataviensem tunc *Ulricum* vocari. Bethmannus qui, monente Boehmero, novissime hoc originale Salerni vidit, sic legit : Diopoldus episcopus *Pattensis*. Non ita tamen quaestio dirimitur; cum in serie episcoporum Pattensium, inter Anselmum et Jacobum nullus alius neque apud Pirrum neque in instrumentis coaevis appareat.

tatis nostre cum omnibus bonis sue ecclesie recipere sibique et successoribus suis ac ecclesie Salernitane privilegia et bona que sunt ipsius ecclesie concedere libere et confirmare omnia nostra munificentia dignaretur. De quibus hec duximus propriis vocabulis exprimenda : videlicet decimas de omnibus redditibus demaniorum nostrorum civitatis nostre Salernitane quas clare memorie Robbertus, Roggerius filius suus et Guilelmus filius ejusdem Rogerii duces magni et predecessores nostri sacrosancto Salernitano archiepiscopio et pastoribus ipsius pro salute et remedio animarum suarum perpetuo obtulisse et concessisse noscuntur, sicut manifeste in ipsorum privilegiis continetur; et decimas de redditibus platearum, plancarum, tincte et celendre terre nostre Ebuli et de omni nutrimine animalium que curia nostra vel aliquis alius in eadem terra et pertinentiis suis habet vel habuerit in futurum, prout eas domina Constantia dilecta conjux nostra Romanorum imperatrix, semper augusta, olim sibi et ecclesie sue contulit in perpetuum et concessit, sicut in ipsius privilegio continetur. Similiter totam Judeam ipsius civitatis nostre Salerni cum Judeis omnibus qui in eadem modo habitantes sunt et fuerint in futurum cum omnibus libertatibus, juribus et bonis ipsorum, exceptis illis qui de terris que sub demanio nostro sunt venerint ad eamdem, nec non et tinctam ejusdem nostre civitatis Salerni que vulgo cabella dicitur cum celendra nostra et cum omnibus appenditiis, domo et aliis ad eamdem tinctam et celendram pertinentibus, et ut nulla persona audeat laborare vel vendere auricellam aut tenere cultellum ad quadrupedia animalia occidenda intra dictam civitatem nostram Salerni et pertinentias suas nisi tamen Judei dicti archiepiscopi et jussu ministrorum ejus. Similiter ut omne quod de saumis olei que ad dictam civitatem Salerni undecumque advenerint pars nostre reipublice exigere deberet, semper sit juris et ditionis archiepiscopi supradicti et ministrorum ejus ut illud exigant et percipiant ad opus ipsius archiepiscopi, sicut hec omnia et singula in privilegiis predictorum ducum predecessorum nostrorum plenius continentur. Similiter castrum Olibani, montem Corbinum, Castelluczum quod dicitur Battipalla, casale Liciniani cum ecclesia Sancti Angeli montis Aurei, casale Cusentinorum cum ecclesia Sancti Georgii in tenimento Panicali in

ipsius casalis territorio existente, casale Sancti Victoris, casale Salsanici et casale de Scalcinatis cum omnibus hominibus, juribus, justis tenimentis et pertinentiis castrorum et casalium predictorum, tenimenta Dolicarie et Pressani ultra flumen Silaris et cannitias ad pisces in ipso fluvio capiendos, tenimentum terrarum et silvarum quod dicitur Pecta cum ecclesia Sancti Viti in eodem tenimento consistente, ecclesiam Sancti Petri ad Thorum cum terris suis ibi existentibus, terras laboratas et silvosas in pertinentiis Campanee et Eboli existentes, ecclesiam Sancte Lucie cum suis possessionibus ibi sitam, molendinum de Abescenda in Ebulo consistens quod magister Petrus versificator (1) a clare memorie domino Henrico imperatore Romanorum patre nostro jure hereditario habuit, tenuit et in fine vite sue idem magister Petrus illud sancte Salernitane ecclesie donavit pariter et legavit; Campum longum, lacum Mayorem, terras Rositi et Tussiani, criptas cum edificiis antiquis in littore maris Tussiani, terras de Lama, silicas Lauriti, Celeczani, Spinete, Macle rotunde et omnes ecclesias, homines, censiles, possessiones et omnia jura que sancta mater ecclesia Salernitana temporibus regum felicium, ducum et principum predecessorum nostrorum tam in dicta civitate nostra Salerni quam in Ebulo, Campania, Gifono, Jobis, Nuceria, Sancto Georgio, Sancto Severino, Montorio, Ferino, Sirino de pertinentiis ipsorum et alibi in quibuscumque locis dominationis nostre juste tenuit et possedit et nunc tenet et possidet, non obstante aliquorum nequitia qui pro malitia temporis aliqua de bonis ipsius ecclesie indebite detinent occupata. Cujus supplicationibus propter sue fidei puritatem benignitate solita et de speciali gratia annuentes, predictum archiepiscopum in nostra gratia et sub protectione excellentie nostre cum bonis omnibus sue ecclesie admittentes, tam privilegia quam predicta omnia et singula sicut dictum est prefate ecclesie Salernitane pertinentia, ut in privilegiis ipsius ecclesie oculis majestatis nostre subjectis plenius vidimus contineri, prefato ar-

---

(1) Scilicet ille Petrus dictus de Ebulo, cujus *Carmen de motibus siculis* pluries typis vulgatum correcte prodiit (Basileae, 1770). Cum iste Henrici sexti fautor assiduus laudes ejus decantaverit, nil mirum quod ab imperatore dona receperit.

chiepiscopo et successoribus suis ac Salernitane ecclesie supradicte, illius obtentu per quem subsistimus et regnamus atque interventu precum venerabilis episcopi memorati, jure perpetuo habenda et possidenda, nullo nobis et heredibus nostris vel rei nostre publice servitio reali vel personali in ipsis vel eorum aliquo reservato, ex certa conscientia et ex mera liberalitate nostra libere concedimus et irrefragabiliter confirmamus; de abundantiori gratia dicto archiepiscopo et successoribus suis concedentes ut per totum regnum nostrum quocumque res et reditus suos miserint aut detulerint [seu] vendiderint vel res aliquas pro se domibus et familiis suis comparaverint, ab omni jure diricture, dohane, portulatici, falanpagii et ab omnibus aliis serviciis, exactionibus portuum vel viarum sint liberi penitus et exempti; et quia libertatem ipsius ecclesie Salernitane, clericorum et hominum ipsius illesam proponimus conservare, auctoritate presentium statuimus mandantes ne aliqui officiales nostri seu comites, barones vel bajuli sive quicumque alii pastoribus, ecclesiis, clericis vel hominibus christianis aut judeis ecclesie Salernitane predicte datam seu subventionem aliquam imponant vel exigant ab eisdem aut eos ad examen proprium trahere audeant vel in personis et rebus aliquatenus molestare contra canonicam libertatem. Justum enim esse prospeximus in hiis prefatam ecclesiam ad instar regum, ducum, principum antecessorum nostrorum presenti nostro privilegio decorare que tam excellenti et glorioso domino beato Mattheo apostolo et evangelista est a Domino decorata. Mandamus itaque auctoritate presentis privilegii statuentes ne quilibet unquam hanc paginam nostre protectionis, concessionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire audeat. Quod qui attentare presumpserit in sue temeritatis vindictam ducentas libras auri puri componat, quarum medietas fisco nostro et reliqua medietas passis injuriam persolvatur, isto privilegio nihilominus in suo robore permanente. Ad cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem presens privilegium per manus Perroni de Venafro notarii et fidelis nostri scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Berardus venerabilis archiepiscopus Panormitanus, Raynaldus venerabilis archiepiscopus Capuanus, Ray-

naldus dux Spoleti et Andreas regni Sicilie logotheta, familiares nostri et fideles.

Datum Capue post curiam celebratam, anno dominice incarnationis MCCXX, mense februarii, indictione IX, imperii domini nostri Friderici Dei gratia Romanorum imperatoris, semper augusti, anno primo, regni vero Sicilie XXIII°, feliciter. Amen.

Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aulae cancellarius et totius Italiae legatus, universis imperii fidelibus per Tusciam constitutis notum facit se nuntium suum in hac provincia constituisse Everardum de Lutra familiarem suum ut vice sua omnia negotia imperii disponat tam in judiciis quam in bannis. Laudi, 4 februarii.

(Edit. ap. ZACHARIA, *Anecd. med. aevi,* p. 28, ex libro censuum, fol. 107. — CAMICI, *Supplem. d'istor. Tosc.,* t. VI, p. 28.)

Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius atque totius Italie legatus, archiepiscopis, episcopis, abbatibus ceterisque ecclesiarum prelatis nec non marchionibus, comitibus, capitaneis, vavassoribus et nobilibus atque potestatibus, consulibus seu rectoribus et communitatibus omnium civitatum et oppidorum, simul rectoribus atque populo et universis per Tusciam constitutis imperii fidelibus salutem et omne bonum. Universitati vestre presenti pagina facimus manifestum quod nos de fidelitate pariterque industria fidelis imperii et dilecti familiaris nostri Everardi de Lutra plurimum confidentes, quia propter multa imperii negotia in provincia Tuscia ad presens moram facere non valemus, ipsum Everardum in tota eadem provincia nuntium nostrum constituimus specialem, committentes eidem in omnibus agendis imperii vices nostras secundum quod nobis commissa sunt a domino nostro imperatore; eo modo ut omnia negotia imperii faciat et disponat tanquam nos facere possumus, secundum quod ei videbitur expedire; et ut de

omnibus rationibus imperii quilibet ei respondere debeat tanquam nobis. Concedimus etiam ipsi fideli nostro ut ipse per se et judices suos possit cognoscere de omnibus causis civilibus et criminalibus et appellationibus etiam in ipsa provincia provenientibus (1), dare possessiones et restitui, supponere etiam civitates, castra et loca et personas banno imperii et absolvere de banno, et cetera omnia facere que nos facere possemus, secundum quod ad utilitatem imperii noverit pertinere; ita quod quidquid ipse ordinaverit seu preceperit ita ratum et firmum habeatur ac si nos ore proprio fecissemus; banna autem et penas pecuniarias quas ipse posuerit firma sint ac si nos posuissemus ea. Si quis autem ei presumpserit rebellis existere, imperialem indignationem nostrumque odium se noverit incursurum. Ad hujus vero rei plenam notitiam hanc paginam conscribi nostroque sigillo jussimus communiri.

Hujus rei sunt testes dominus prepositus de Tanna (a), Ermannus de Catena, episcopus Lodiensis, magister Enrigus Previde et Rufinus Placentinus, Johannes de Regio et Robertus de Sancta Maria ad montem curie judices, et alii plures.

Data Laudi (2), pridie nonas februarii.

Salerni post curiam Capuae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, Rogerio abbati Casaemarii

(a) In impresso *de Jan.*, male.

---

(1) Ex hujus delegationis vigore idem Everardus sententiam pronuntiavit in causa quae vertebatur inter Soffredum Pistoriensem episcopum et commune Pistorii super possessione seu tenuta quorumdam jurium episcopatus praedicti. « Actum prope portam castri Sancti » Miniatis sive Cassan., coram Guarzone notario, Ildebrandino Marescotti, Arnaldo milite » et Ruberto et Johanne judicibus curie et aliis pluribus, anno nativitatis Domini M CC XXI, » quinto nonas maii, indictione nona. » Zacharia, *Ibid.*, p. 353-356.

(2) Jam a secunda parte mensis januarii Conradus in Lombardia morabatur; vid. supra p. 75. Die vigesimo tertio januarii apud Bononiam comiti Ugolino de Panico tanquam imperialis legatus omnes ejus possessiones confirmavit. Cf. Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, p. 3.

restituit et confirmat privilegia a parentibus suis eidem monasterio concessa, quorum tenorem abbreviando memorat.

(Edid. Rondininus, *Hist. monast. Casaemarii*, append. p. 137.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Quum imperialem deceat magnificentiam singulorum pensare merita et justis adesse postulationibus devotorum, tanto potius ad sacrosanctas ecclesias et loca piis deputata servitiis tenetur oculos reducere pietatis quanto fratres ibi divinis obsequiis insistentes quiete ac pacifice desiderant Domino sub sancte religionis proposito militare. Inde est quod cum tu, Rogeri, venerabilis abbas sacri monasterii Casemarii, juxta generale edictum quod fecimus apud Capuam in curia solempniter celebrata privilegia quedam domini imperatoris et domine imperatricis divorum augustorum parentum nostrorum recolende memorie in constituto termino nostro conspectui presentasses, quod in eis vidimus contineri qualiter dicti parentes nostri pro excambio sexcentorum tarenorum quos de redditibus civitatis nostre Gajete predicto monasterio concesserant annuatim, stantiam que dicitur Campus Imperator in territorio Suesse dederant, sicut [per] proprios fines dicta stantia in eorum privilegiis nominatur, et ecclesiam Sancti Mansi sitam in territorio Arpini cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis habendam perpetuo et pacifice possidendam et centum barrilia tunnine in portu Panormi annuatim tam lignis quam aliis necessariis preparata et ab eodem portu ubicumque monasterium ipsum voluerit libere transferenda, et insuper concesserant supradicto monasterio plenam libertatem ut et fratres et homines ipsius monasterii vel famuli eorum ab omni pedagio, plateatico, passagio et quocumque exactionis genere sive angarie tam in vendendo quam in emendo, eundo vel redeundo, pro necessariis ejusdem monasterii per totum dominium regni nostri tam per mare quam per terram essent liberi et immunes, et quod liceat ipsis quoscumque libere conditionis se offerre volentes libere recipere cum omnibus bonis et illis se et sua predicto monasterio conferre nisi essent de feudis vel servitiis

obligata, necnon et pro animalibus suis liberum usum pascuorum in omni tenimento Suesse, Sore sive Sorelle et per totum dominium nostrum, et quod libere etiam in predictis locis lignis ad usum ejusdem monasterii uterentur, et quod a castellano Sorelle vel Rocce Arcis et ab omnibus castellanis circum circa morantibus nulla gravamina paterentur vel exactionibus gravarentur, etc. (*sic*); nos attendentes religionem et honestatem tuam, supradicte abbas, et fratrum tuorum qui in eodem monasterio commorantur, ob reverentiam beate Marie et sanctorum martyrum Johannis et Pauli ad quorum honorem monasterium ipsum est fundatum, ac pro salute nostra et remedio animarum predictorum augustorum parentum nostrorum felicis recordationis, ad preces ergo domini Honorii reverendi in Christo patris nostri summi pontificis, memorata privilegia tibi benigne restituimus et omnia supradicta, sicut in eis vidimus contineri, que temporibus predictorum augustorum nostrorum parentum et maxime circa eorum obitum dictum monasterium pacifice tenuit et possedit, tibi et successoribus tuis in perpetuum de gratia nostra duximus confirmanda, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus autem confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Johannis de Sulmona notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario majestatis nostre impressa jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Salerni post curiam Capue celebratam, anno dominice incarnationis MCCXXI, mense februarii, indictione IX, imperante domino nostro Friderico Dei gratia excellentissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno vero Romani imperii ejus I et regni Sicilie XXIII, feliciter. Amen.

Salerni post curiam Capuae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, Balsamo abbati Cavensi privilegium impertitur quo possessiones omnes monasterii ejusdem cum castris et casalibus ibi expressis ei confirmat, omni servitutis

jugo monasterium eximens et plateaticum in Cilento portubusque Fontis et Veteris eidem plene concedens.

(Edit. ap. MARGARINUM, *Bullar. Cassin.*, tom. II, p. 251. — Coll. cum originali in arch. Cavens. monast., Arm. M, n° 16. Confirmatum fuit hoc privilegium a Nicolao IV papa, ann. 1292, Arm. I, D n^{is} 26, 27, 28. — Arm. III, R n° 3, et in libr. transumptorum I, n^{is} 39-41, car. 62-66.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Fridericus II divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Si regnantis gloriam dona clarificant que largitur, ea tamen sunt que perpetuitate temporis apud Regem regum clariora redduntur que pia consideratione impenduntur liberaliter ministris ejus. Cum enim pia nostre mentis intentio opera nobis suadeat pietatis et ad id precipue voti nostri summa se porrigat ut retribuamus aliquid Domino pro omnibus que retribuit ipse nobis; scire quippe volumus universos quod cum tu, Balsame, venerabilis abbas Cavensis monasterii, fidelis noster, ad nostram nuper accedens presentiam celsitudini nostre humiliter supplicares ut monasterium ipsum, te, monachos et successores tuos omniaque bona ipsius monasterii sub nostra protectione recipere dignaremur, castrumque Cilenti cum omnibus suis casalibus et castrum Sancti Adjutoris (1), terram Cave cum suis suburbiis, vaxallos quos habet in Rocca Pimontis et pertinentiis ejus et in Nuceria Christianorum (2) et pertinentiis ejus, casale Sancti Petri de Paterno, casale Sancti Petri de Olivola, casale Sancti Stephani et Sancte Marie de Juncarico, casale Sancti Jacobi de Luceria, casale Sancti Egidii de Prato Gargano, casale Sancti Joannis de Fabrica, casale Ruptum, casale Sancte Marie de Rota, casale Churisosmi,

---

(1) « 1220. Recuperavimus castrum Sancti Adjutoris in vigilia natalis Domini, D. Balsamo » venerabili abbate multum perinde laborante. « *Chronic. Cavense* ad ann. ap. MURATOR., *Script.*, t. VII, p. 926.

(2) Scilicet *Nocera degli Pagani*. Unde patet tunc temporis cognomen urbis jam fuisse mutatum, licet quidam recentiores Carolum primum Andegavensem pro magna sua pietate Nuceriae hoc vocabulum *Christianorum* imposuisse putaverint.

casale de Tramutulo, casale Sancti Blasii de Salvia, casale Sancti Marzani, casale Sancti Arsenii, casale Sancti Petri de Polla, casale Sancte Marie de Pertusia, casale Sancte Barbare de Grasso, casale Tusciani, casale Sancte Barbare de Capuacio, homines morantes in Sancto Petro ad Columnellum et in Sancto Nicolao ad Mercatellum, casale quod dicitur de Monacho situm in territorio Petralie, et omnia alia dona felicium regum predecessorum nostrorum ac principum eidem monasterio collata necnon dona et oblationes aliorum Christi fidelium concedere, eximere et confirmare de nostra liberalitate eidem monasterio dignaremur, sicut olim fecerat rex Guilielmus II felicis recordationis, consobrinus noster. Nos vero qui ad exequendum opera pietatis predecessorum nostrorum libenter inheremus exemplis, attendentes etiam vitam et conversationem laudabilem honesteque religionis cultum quibus floret et semper claruit monasterium ipsum nec non fidem puram et devotionem sinceram quam tu, abbas, erga majestatem nostram semper illibatam habuisti, advertentes etiam grata satis et accepta servitia que dudum exhibuisti nostre celsitudini indefesse et que in antea exhibere poteris gratiora, considerantes insuper quod monasterium ipsum est opus progenitorum nostrorum et nostra camera specialis, et ut tuis ac fratrum tuorum sanctis apud Deum orationibus adjuvemur, nostre salutis intuitu et pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum, tuis justis postulationibus benignum prebentes assensum, te, monachos ejusdem monasterii, successores tuos ac monasterium ipsum, cum omnibus bonis suis ecclesiasticis et mundanis sub protectione nostra recipimus speciali, confirmantes ipsi cenobio in perpetuum omnia privilegia vel instrumenta felicium regum ac principum predecessorum nostrorum aliorumque Christi fidelium, omnes obedientias, castra, casalia omnia supradicta, possessiones, homines, redditus et universa alia bona stabilia ac mobilia que idem monasterium largitionibus regum ac principum predecessorum nostrorum, oblationibus vel donis fidelium et quibuscumque aliis justis titulis est adeptum et que in futurum juste poterit adipisci; eximentes castra, casalia et homines ipsius monasterii ab omni jugo servitutis vel adohamenti sive de demanio sive de feudis fuerint; homines quoque ipsorum loco-

rum cum vaxallis nostri demanii seu aliorum dominorum in nullo preterquam in generalibus subventionibus [communicent] (1), et hoc dumtaxat in locis in quibus talia communiter solvere usi sunt, eademque libertate et gratia perfruantur qua potiuntur alii in quorum territoriis moram trahunt. Si quis autem tam de demanio nostro quam aliunde tuus vel dicti monasterii voluerit vaxallus fieri, pro remedio anime nostre parentum que nostrorum concedimus ut facere hoc possit absque cujuslibet contradictione cujuscumque conditionis extiterit (*a*), nisi servus fuerit seu alii ad personalia servitia adstrictus. Et ut tu, predicte abbas, super iis munificentie nostre gustes favorabilius ubertatem que in tui predicti monasterii perpetuetur augmentum, de innata nobis clementia confirmamus tibi et eidem Cavensi monasterio accipere libere plateaticum in castello tuo Cilenti et in portubus Fontis et Veteris ac in omnibus aliis portubus tuis tam ab hominibus tuis quam ab aliis de iis omnibus que vendi ibi contigerit vel emi, sicut in privilegiis donationis ipsorum portuum facte plenius continetur, que in nostra curia tu, venerabilis abbas, ut authentica presentasti et idem monasterium taliter ipsos portus usque nunc pacifice possidere tam per instrumenta predicta quam per testes idoneos nostre jam dicte curie legitime constare fecisti. De abundantiori quoque nostra gratia concedimus et confirmamus eidem monasterio, tibi et successoribus tuis, monachis et hominibus tuis in perpetuum omnes dignitates, bonos usus et approbatas consuetudines quibus predecessores tui, idem monasterium ac homines ipsius temporibus ipsorum regum felicium usi sunt et idem sacrum cenobium ab omni plateatico, portulatico, herbatico, ripatico atque ab omni exitura fundici seu dohane perpetuo per totum predictum regnum Sicilie penitus sit immune; mandantes ut sibi super iis nulle de cetero molestie vel gravamina inferantur. Si vero aliquis

(*a*) Ap. Margarin. *existant*, minus recte.

(1) Adest alterum privilegium quo imperator statuit ut in generalibus subventionibus vassalli Cavensis monasterii uncias auri centum exsolvant (vid. tom. III, p. 259). Licet valde suspicemur hoc quoque privilegium ad mensem februarium hujus anni 1221 sat bene convenire, ad annum 1231 ex fide originalis, ut dicunt, referendum duximus. Cf. *Ibidem*, p. 262, not. 1.

contra hanc vestram temere venire presumpserit libertatem, imperiali nostre camere uncias auri centum quinquaginta componere teneatur, prefata libertate vestra et gratia in suo nihilominus robore duratura. Ad hujus igitur concessionis, exemptionis, protectionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Jacobi de Catania notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Salerni post curiam Capue celebratam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense februarii, IX indictionis, regnante domino nostro Friderico Dei gratia illustrissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, imperii ejus anno primo, regni vero Sicilie anno vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Salerni, post curiam Capuae, 10 februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, restituit et confirmat universis hominibus de Ebulo privilegium quod juxta generale edictum in curia Capuana factum sibi resignaverunt, quo ipse terram et homines hujus loci in suum demanium receperat et bona eis utenda confirmaverat quibus temporibus regis Guillelmi secundi utebantur.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 116, n° 426, ex transumpto quod invenit Pertz in regest. Alexand. IV, I, 30.)

Per manus Jacobi de Catania notarii nostri. . . . .

Datum Salerni post curiam Capue celebratam, anno dominice incarnationis MCCXXI, IV idus februarii, indictione IX.

Salerni, 10 februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, universis imperii fidelibus et omnibus civitatibus Lombardiae et Tusciae mandat ut viriliter ad

succursum Terrae Sanctae se praeparent et accingant, de quo ipse diebus et noctibus cogitat; monetque ut efficaciter impleant quaecumque eis duxerit proponenda Hugolinus Ostiensis et Velletrensis episcopus, apostolicae sedis legatus, cui etiam per speciale mandatum plenam auctoritatem imperialis vicarii concedit.

(Edid. PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 245-247, ex regest. Honor., t. III, fol. 88-90, ann. V, nis 446, 447, 448. Quarum epistolarum pars primae a RAYNALDO, *Annal. eccles.*, ad ann. 1221 et secunda a BALUZIO, *Miscellan.*, t. I, p. 446, vulgatae fuerunt.)

I.

Fridericus secundus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, universis ejus fidelibus ad quos littere iste pervenerint suam gratiam et bonam voluntatem. Post obtentam de multa et varia hostilitate faciente Domino victoriam, post plurimos laboriosos agones in quibus imperii virtus et gloria imperatorie majestatis enituit, decet nos omnium creatorem per quem vivimus, movemur et sumus, per quem imperialis culminis optatis felicitatibus gubernamur, toto corde, tota mente et omni virtute diligere et ei devotissime omnibus viribus totaliter adherere; quia etsi successus nobis mundane prosperitatis arrideat, absit ut favor transitorie felicitatis nos a nostri conditoris amore pariter et timore deflectat. Considerantes igitur nec sine amaritudine amarissima recolentes salutifere crucis triumphale vexillum, dominicam sepulturam, civitatem sanctam in qua salutem nostram est dominus operatus et venerabile templum et cenaculum grande stratum in quo Domino pascha discipuli paraverunt conversa in theatrum et seculare ridiculum ubi Rachel plorat filiorum suorum jugulum, horrendum facinus et triste spectaculum, tacti dolore cordis intrinsecus et rubore de succursu celeri diebus et noctibus cogitamus, galeas et naves prout res exigit magnifice preparantes. In imperialibus itaque humeris in nomine crucifixi vexillum crucis patenter tempore nostre coronationis ereximus ut cunctis imperii nostri fidelibus innotescat quod, sicut gratiam nostram diligunt et coro-

nam, ad succursum terre sancte se viriliter et potenter accingant. Et licet multi principes, barones et milites vota nostra humiliter prosequentes insigniti sint signiculo sancte crucis, pauci tamen sunt in articulo necessitatis instantis. Eia, milites fideles imperii, arripite velociter arma christiane militie, quia jam Romani imperii victrices aquile prodiere. Duplicis quidem retributionis donativa percipiunt qui celsitudini nostre in proposito hujus sancte peregrinationis assistunt, quia preter imperialem gratiam adipiscuntur felicitatem eternam. Quocirca universitati vestre per imperialia scripta mandamus, obsecramus in domino, rogamus et hortamur omni affectione qua possumus exorantes quatinus accensi zelo illius cujus sponsa ecclesia mater vestra in ea terra captiva miserabiliter detinetur, recolentes etiam qualiter a diebus antiquis et generationibus seculorum imperatores Romani mundum universum sue subdiderint ditioni auxilio suorum fidelium qui cum eis usque ad effusionem sanguinis laborarunt, non patiamini in nostro pio proposito nos confundi, immo, sicut unquam Deum diligitis et gratiam nostram caram habetis, ad succursum terre sancte vos sine dilatione pro presenti passagio viriliter accingatis; scientes quod nichil unquam aliquo tempore possetis efficere per quod taliter omnibus vobis et singulis imperialem redderetis celsitudinem obligatam; maxime cum inimici crucis Christi et hostes nominis Christiani pre timore regis superni et membrorum suorum jam quasi totam quam querimus relinquant terram sanctam. Super hoc autem plane credatis et efficaciter impleatis quecumque vobis ex parte nostra karissimus in Christo pater Hugolinus Hostiensis et Velletrensis episcopus apostolice Sedis legatus duxerit proponenda, quem speciali diligentes affectu ut personam nostram ab omnibus volumus et precipimus honorari.

Datum Salerni, IV idus februarii, indictione IX.

II.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, karissimo in Christo patri et amico suo Hugolino eadem gratia Ostiensi episcopo, apostolice Sedis legato, salutem et sincere dilectionis

affectum. Jocunde fame felicitas et felicis rumoris jocunditas que dilecto fideli nostro . . . Regino episcopo referente nostris auribus sonuerunt immense prosperitatis gaudio fecerunt nos secundum utrumque hominem in Domino prosperari. Retulit namque nobis venerabilem patrem nostrum Honorium summum pontificem vos promotioni negotii crucis Christi, immo totius populi Christiani, consulto consilio deputasse, vobis per Lombardiam et Tusciam concesso plene legationis officio propter hoc, sicut speramus, feliciter promovendum (1). Gaudeat igitur Romana ecclesia quia negotium multis initiatum laboribus optatum finem indubitanter assumet; gaudeamus et nos quia vir fama integer, religione perspicuus, vita purus, facundia eloquentissimus et claris virtutum et scientie titulis circumspectus ad animandum eos in quos exprobrantium nomen Christi opprobria ceciderunt tam utiliter quam efficaciter destinatur, ut secularibus desideriis abnegatis vexillum salutifere crucis assumant, ipsum toto mentis desiderio requirentes. Gaudere debet et totus populus Christianus quia terra quam Christus, nostra salus, proprio sanguine dedicavit a longo tempore horrendis Agarenorum spurcitiis non sua potentia, sed nostris peccatis exigentibus conculcata, ipsis ab hereditate Domini brachio virtutis divine rejectis, ad verum et ineffabilem Christi cultum per vestrum ministerium reducetur. Et quidem licet ea simus devotione subjecti Sancte Romane ecclesie matri nostre ut credamus quemlibet missum de latere summi pontificis patris nostri facere dignum fructum, tamen sicut stelle in firmamento a se invicem differentius lumen habent et alia magis, alia minus lucet, sic salva reverentia aliorum firmam spem gerimus et indubitatam, dante Domino, fiduciam obtinemus quod pre cunctis qui huic essent ministerio deputati vestrum verbum igne caritatis accensum gratum fructum offeret nomini sancto Dei et toti populo Christi caractere insignito. Nam ex retroactis infallibilem de futuris elicimus conjecturam. Ut igitur efficacius et expeditius possitis hoc tam pium et salubre negotium promovere, vobis imperialis celsitudinis auctoritatem plenam con-

(1) Epistola autem Honorii papae non ante quartum decimum diem martii promulgata fuisse videtur. Cf. infra p. 142.

cedimus [et] potestatem ut omnes illos qui per terram vestre legationis sunt suppositi nostro banno, dum tamen plene super hoc nostris curaverint obedire mandatis, in favorem predicti negotii quod magis humeris nostre majestatis incumbit et ardentius quam aliquid aliud cupimus promovere, ab ipso banno cum expedire videritis absolvere valeatis; quidquid enim super hoc duxeritis faciendum firmitatem volumus inviolabilem obtinere. Nos enim qui a matre nostra Romana ecclesia culmina in hoc seculo summe felicitatis accepimus, quidquid sua in hoc negotio et aliis fuerit deliberatione statutum intemerata volumus stabilitate vigere.

Datum Salerni, IV idus februarii, indictione IX.

III.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilectis fidelibus suis potestati et populo Mediolanensi gratiam suam et bonam voluntatem. Postquam universorum Dominus et creator multiplici hostilitate devicta nobis dignatus est facere nomen grande ultra nomen magnorum qui sunt in terra, inter filios suos nos enutriens multiplicatione successuum et exaltationis, decet omnimodis ut pro immensis ab eo susceptis beneficiis non existentes ingrati prerogativa fidei, sinceritate devotionis et caritatis ardore nos et imperium nostrum ei qui fecit utraque unum, totis studeamus viribus propensius inherere. Sublimis namque honor et dignitas tam precelsa qua nos omnipotens dominus eterna sua providentia sublimavit diligente nos facit consideratione perspicere quantum contrahamus creatoris offensam si beneficiorum illius sumus ingrati, de cujus inestimabili bonitate tanta principatus amplitudine dilatamur. Considerantes igitur et non sine maxima cordis amaritudine recolentes civitatem et locum sanctum, templum Salvatoris, paganorum dominio et Agarenorum subjici potestati, matrem Ecclesiam sponsam Christi apud inimicos crucis Christi miserabiliter exulare, sepulcrum Domini esse prorsus inglorium quod solebat existere gloriosum, doloribus immensis affligimur, replemur angustiis, zelo crucis et caritatis immense

jaculo vulneramur et preparando magnifice galeas et naves, sicut decet imperatoriam majestatem, de festino (a) succursu die ac nocte disponimus et sine intromissione aliqua cogitamus. Heu! quantum obprobrium, quanta confusio, quantus pudor! Non compatiuntur membra capiti suo quod pro nobis tot voluit obprobria, tot supplicia sustinere. Non compatiuntur filii matri a cujus sunt uberibus satiati, quam inimici crucis percussam et flagellatam suis vestibus spoliarunt. In humeris quidem propriis vexillum suscepimus crucifixi qui crucem propter nos cui affigendus fuerat suo corpore bajulavit. Quocirca universitati vestre per imperialia scripta mandamus, obsecramus, rogamus et hortamur omni affectione qua possumus exorantes quatinus accensi zelo Christi et nominis christiani, recolentes etiam qualiter a diebus antiquis et generationibus seculorum fidelium suorum auxilio imperatores Romani de hostibus magnifice triumpharunt, non patiamini nos, immo nomen Christianum, in tam pio proposito jam confundi qui ad succurrendum in persona propria potenter [nos] accingimus et arma viriliter arripimus militie Christiane; immo, sicut unquam Deum diligitis et gratiam nostram caram habetis, pro subsidio Terre Sancte sine dilatione in presenti passagio certum numerum militum destinetis, preter retributionem divinam perpetuo vobis et civitati vestre imperatoriam celsitudinem obligantes; maxime cum filii perditionis pre timore illius quo moriente terra mota est, quo resurgente ad sepulchrum territi sunt custodes, jam quasi totam reliquerint Terram Sanctam. Super hiis autem plene credatis et efficaciter impleatis quecumque vobis ex parte nostra karissimus in Christo pater Hugolinus Ostiensis et Velletrensis episcopus, apostolice Sedis legatus, duxerit proponenda, quem speciali diligentes affectu ut personam nostram ab omnibus volumus et precipimus honorari.

Datum Salerni, IV idus februarii, indictione IX.

In eumdem modum scriptum est omnibus civitatibus Lombardie et Tuscie.

(a) In impresso *festivo*, parum recte.

Laterani, 18 februarii.

Honorius papa notificat quomodo ducatum Spoletanum receperit et comitatum Mathildis indebite in magna parte occupatum violentiisque turbatum sub Ecclesiae Romanae dominio revocaverit, consentiente et adjuvante Friderico Romanorum imperatore cujus litteras et mandata ad hoc pertinentia memorat; ita ut totum beati Petri patrimonium a Ponte Ceperani usque Radicofanum nunc pacifice disponatur.

(Edit. ap. Wurdtwein, *Nov. subsid. diplom.*, t. I, p. 48, ex cod. Vatic. 6223; sed minus recte. Correximus autem ex libr. cens. Eccl. Rom. Cenc. camer., in Biblioth. Paris., *Anc. fonds latin*, n° 4188.)

Honorius papa, etc. Ne rerum gestarum memoria cum tempore labente labatur et in oblivionem veritatis veniens vagetur incerta si ei fuerit fides adempta, inventum est autenticarum remedium scripturarum que factorum perpetuantes memoriam indubitatam fidem faciant veritati, que sua luce clarescens non patitur justitiam falsis calumpniis obumbrari. Unde ad universorum notitiam volumus pervenire quod cum magna pars comitatus comitisse Matildis qui totaliter ad Ecclesiam Romanam pertinet pleno jure a multis et variis personis detineretur indebite occupata, et tam cives Spoletani quam fere totus ducatus Spoletanus nobis nullatenus responderet; nos in illo spe nostra totaliter posita qui adest in veritate invocantibus nomen ejus, quanquam infinitis et arduis essemus negociis inevitabiliter occupati, ad recuperanda jura Ecclesie sollicite intendentes, venerabili fratri nostro Ostiensi episcopo tunc legationis fungenti officio in partibus Lombardie direximus scripta nostra ut duo castra, videlicet Medicinam et Argellatam, que Bononienses tunc temporis detinebant ad demanium Sedis apostolice revocaret. Qui juxta mandatum nostrum illa recipiens dilecto filio Henrico de Paragnano subdiacono nostro (*a*) quam-

(*a*) Apud Wurdtwein, sed perperam *Friderico Paragnano subdito nostro.*

diu nobis placuerit commisit fiducialiter gubernanda, et homines castrorum ipsorum eidem nomine nostro fidelitatis juramenta prestantes ei de rationibus nostris responderunt integre et respondent. Deinde cum inter Spoletanos, Narnienses, Cocoionenses (*a*) et adjutores eorum ex parte una, et Interamnenses, Tudertinos, Fulginatenses et adjutores eorum ex altera generalis guerra suborta [esset], ita quod preter stragem virorum et multimoda rerum dampna et quod est gravius animarum pericula que utraque pars incurrerat, multi detinerentur hinc inde captivi; nos eis paterno compatientes affectu, licet quidam ex illis viderentur filialem obedientiam abjecisse, dilectum filium Pandulfum subdiaconum et notarium nostrum illuc curavimus destinare ut omnes ad pacis federa ineunda tam spirituali quam temporali districtione compellens captivos utrinque faceret liberari. Qui mandatum nostrum diligenter adimplens studuit in manu forti corripere inquietos et pusillanimes consolari, et quorumdam rebellium pertinacia congrue castigata et captivis redditis libertati, potestatibus civitatum et castrorum fere omnium de ducatu quos apud Bevaniam ad suam presentiam evocarat sub debito fidelitatis et pena mille librarum injunxit ut in octavis apostolorum Petri et Pauli quilibet potestas cum tribus vel quatuor de civitate sua vicem omnium habentibus se apud Urbem Veterem nostro conspectui presentarent. Quibus in prefixo termino in nostra presentia constitutis, postquam tractatum est diutius tam super pace inter ipsos plenius reformanda quam super ducatu ad manus ecclesie retinendo, quod et cum predicto subdiacono tractaverant diligenter, Perusini (*b*), Assisinatenses, Fulginatenses, Nucerini et Interamnenses juxta mandatum nostrum munitiones, castra et regalia, sicut ea unquam habuit aliquo tempore clare memorie dux Conradus, in nostris manibus libere resignaverunt; et licet Spoletani super hiis que de ducatus demanio tenebant exhibuerint se difficiles, asserentes quod si predictus dux ea possedit aliquando possessor fuerit violentus, tandem tamen super iis nostris paruerunt beneplacitis et mandatis, et sic toto ducatu ad manus Sedis apostolice revocato, tam ducatui quam Assisii et Nucerie comitatibus di-

(*a*) Apud Wurdtwein *Cadronenses*, male.
(*b*) Apud Wurdtwein *Picentini*, male.

lectum filium nostrum R. Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem prefecimus in rectorem, qui omnia que in hiis ad Romanam Ecclesiam pertinent obtinens pacifice et quiete cuncta pro voluntate sua disposuit et disponit, juramentis fidelitatis ab omnibus ducatus et comitatuum sine difficultate receptis. Ad hec cum quidam Teutonicus marescalcus castrum Precenum detinuisset diucius occupatum, nos missis illuc nunciis nostris, amoto exinde marescalco predicto, recuperavimus castrum ipsum, universis habitatoribus ejus dilecto filio S. camerario nostro ad hoc a nostro latere destinato et ab iis honorifice ac devote recepto nomine nostro fidelitatis exhibentibus juramenta; unde nos tam idem castrum quam Radicofanum et Aquampendentem dilecto filio Musce potestati Viterbiensi fideli nostro commisimus quamdiu nobis placuerit gubernanda. Preterea cum carissimus in Christo filius noster Fridericus romanus imperator tunc rex veniens suscepturus de manibus nostris imperii diadema venerabilem fratrem nostrum Metensem episcopum imperialis aule cancellarium in Ytaliam premisisset, misimus ad eum dilectum filium Rainaldum Monaldi subdiaconum et capellanum nostrum ut ei vice nostra comitatum comitisse Mathildis libere resignaret, sicut a rege ipso fuerat sibi commissum, et licet cancellarius ipse petitionem ejusdem subdiaconi usque ad adventum regis circa partes Bononie distulisset, tandem tamen idem rex tam de castro Gonzage quam de aliis castris, scilicet Pepugnanensi, Bondeno veteri et Bondeno novo, nec non de toto comitatu et podere ac terris comitisse Mathildis predicte magistrum Alatrinum subdiaconum et capellanum nostrum qui erat cum eo et eumdem Rainaldum sancte Romane Ecclesie nomine investivit et eos constituit possessores, mandans ipsos per venerabilem fratrem nostrum episcopum Taurinensem vicarium suum in corporalem possessionem induci et precipiens tam omnibus militibus et habitatoribus castrorum ipsorum quam aliis vassallis de ipso comitatu seu terris et podere ut omnes ab omni juramento quo ipsi tenebantur ratione terrarum ipsarum penitus absoluti eisdem capellanis vel eorum alteri seu cuilibet alii ab Ecclesia Romana misso fidelitatis juramenta prestarent et abjurarent alia hiis contraria juramenta; quod si non facerent, scirent se ex tunc omnibus bonis comi-

tatus sive poderis seu terrarum ab ipsis possessis regia sententia perpetuo esse privatos. Preterea injunxit firmiter et mandavit potestatibus, consulibus et rectoribus civitatum sub pena mille marcharum ut omnes possessiones comitatus predicti detentas ab ipsis sine difficultate ac mora qualibet restituerent, et absolverent omnes de comitatu et terris predictis ab omni juramento, districtu et obligationibus quibus ratione alicujus jurisdictionis quam in eis hactenus exercuerant tenerentur eisdem et removerent consules et rectores, bajulos et si quos officiales ipsis prefecerant et extraherent quoscunque posuerant de terris ipsis et de cetero memoratis capellanis vel eorum alteri seu cuilibet alii a Sede apostolica destinato ad retinendam possessionem quam habet et recuperandam quam non habet prestarent consilium, auxilium et favorem. Et sic factum est quod multi barones, milites et alii terrarum ipsarum eisdem capellanis nomine nostro fidelitatis juramenta prestantes recognoverunt se omnia que de comitatu predicto tenebant per Romanam Ecclesiam possidere. Verum quia nobiles viri filii comitum Alberti et Neresii castrum Gonzage cum pertinentiis suis detinebant invasum, predictus cancellarius eis sub pena mille marcharum injunxit ut castrum ipsum sine difficultate qualibet resignarent. Quia id efficere renuerunt nec voluerunt in regis presentiam comparere, idem rex de consilio suorum principum bannum ipsius cancellarii confirmavit et personas eorum sub perpetuo imperii banno ponens bona eorum ubicumque inventa forent confiscari precepit, nisi usque ad diem dominicum proximo tunc venturum resignarent in manibus capellanorum ipsorum vel eorum alterius castrum ipsum; precepit quoque Cremonensibus, Parmensibus, Reginis, Mutinensibus, Bononiensibus et generaliter universis fidelibus suis ut predictis nobilibus, adjutoribus et fautoribus vel aliis detentoribus castri predicti facerent vivam guerram; inhibuit etiam Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brixiensibus et aliis fidelibus suis sub obtentu fidelitatis et certa pena ne ipsis impenderent consilium, auxilium vel favorem, sicut in litteris regio sigillo munitis prospeximus plenius contineri; et quia castrum Bondenum vetus dirutum erat, nuper rehedificatum [est] et ab Ecclesie Romane fidelibus pacifice habitatur; dilectus quoque filius Albertus

comes Pratensis fidelitatis nobis prestito juramento terram Vallessam, Roccam Gonfienti, Monticellum, Barigazzam, Bargum, Pidierlam, Casum, Roccam de Vico, Castreolam, Limognam, Grecam, Mugonum, Pillianum, Monticellum, Fossatum, Torrem, Batum et Savignanum (a) cum pertinentiis suis recepit a nobis in feudum, unum asturem et duos braceos (b) pro eisdem castris Ecclesie Romane annis singulis redditurus, quos et jam nobis pro uno anno persolvit (1). Preterea licet marchiam Anconitanam ad manus suas Ecclesia Romana pro majori parte teneret, nichilominus tamen predictus imperator eam nobis omnino quietans et refutacionem (c) faciens, prout in imperialibus litteris plenius continetur, precepit omnibus de marchia ut nobis tanquam domino suo de cetero plenarie responderent. Cumque nos postmodum dilecto filio nobili viro marchioni Estensi eam in feudum duxerimus concedendam, presente imperatore investientes eumdem de ipsa marchia per vexillum, nos prenominatum Pandulfum subdiaconum et notarium et imperator venerabilem fratrem nostrum patriarcham Aquilegensem illuc curavimus destinare ut eum in possessionem marchie inducentes ei facerent de rationibus omnibus suis integre responderi (d), civitate tamen Anchonitana quamdiu nobis placuerit in nostris manibus reservata, et universo patrimonio beati Petri a ponte Ceperani usque Radicofanum possesso et disposito pacifice ac quiete pro beneplacito nostre voluntatis.

Datum Laterani, XII kalendas marcii, pontificatus nostri anno quinto.

(a) Haec nomina quorum pleraque restituimus, in codice mutila videntur; pejus tamen ap. Wurdtwein exhibentur : scilicet *Vallis*, *Rocceham Gonfien.*, *Arriganziam*, *Varg.*, *Piederlam*, *Cassens.*, *Roccam de Vico castri Leoni*, *Limoq.*, *Grec.*, *Mugosi*, *Pilian.*, *Montecello*, *Fossat.*, *Tore bac* et *Savignanum*.

(b) Apud Wurdtwein *unum arturum et duos bravos*, pessime.

(c) Apud Wurdtwein *repudiationem*.

(d) Ap. Wurdtwein *in terra requisitis*, male.

(1) Notandus hic feudalis solutionis modus ecclesiastico domino reddendus, videlicet animalia ad venationem parata.

Conradus Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aulae cancellarius et totius Italiae legatus, Guillelmo de Pusterla licentiam concedit accipiendi de rebus communis Astensis usque ad solutionem ducentarum marcarum argenti pro redditibus octo annorum praeteritorum, sub poena quingentarum marcarum argenti eidem communi imposita si debitas marcas eidem Guillelmo non solverit. Apud Cumas, die lunae 22 februarii.

(Inedit. e Cod. perg. 5893, anni 1616, in Biblioth. reg. Paris., fol. 17 verso, 18 rect. verso.)

Conradus divina gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius ac totius Italie legatus, universis marchionibus, comitibus, potestatibus, consulibus et rectoribus civitatum, burgorum, castrorum, locorum, imperii fidelibus, salutem et sincere dilectionis affectum. Vobis precipue et ceteris imperii fidelibus tam presentibus quam futuris manifestum fieri volumus nos auctoritate imperiali qua fungimur ex legatione nostra parabolam, licentiam et concessionem dedisse Guillelmo de Pusterla fideli nostro et imperii accipiendi sua auctoritate utcunque invenerit de rebus communis et singulorum hominum civitatis Astensis usque ad plenam solutionem et satisfactionem marcharum ducentarum puri argenti quas idem Guillelmus a communi dicte civitatis Astensis habere debet et percipere pro feudo ab imperio sibi collato vel concesso de redditibus annorum octo preteritorum, sicut comprehendit viginti quinque marchas pro quolibet anno, quas dictum commune Astense prefato Guillelmo de tempore transacto dare debet secundum quod per concessiones privilegiorum ei factorum et datorum nobis innotuit manifeste (1); item usque ad solutionem et satisfactionem marcharum quingentarum

---

(1) Vid. supra privilegium Friderici imperatoris, dat. in castris apud Renum Bononiae, 4 octobr. 1220.

argenti pro banno, sub cujus banni pena eisdem Astensibus per dominum imperatorem et nos meminimus fuisse injunctum ut dictas marchas totius transacti annorum temporis ipsi Gulielmo solverent, si contigerit quod dictas marchas ducentas eidem Gulielmo hinc ad tertium decimum diem ante calendas aprilis proxime futuri non solverint. Mandantes et sub debito fidelitatis districte precipientes omnibus marchionibus, comitibus, potestatibus, consulibus civitatum, burgorum, castrorum et locorum ceterisque imperii fidelibus ut nullum impedimentum in predictis exequendis isti Gulielmo prestent vel faciant, sed omni modo opem et auxilium et juvamen ad predicta omnia exequenda ipsi Gulielmo et ejus nuntiis prestent et exhibeant, sub obtentu imperialis gratie et nostre et banno mille marcharum argenti, cujus banni medietas camere imperii et alia medietas in eumdem Gulielmum perveniat. Ad cujus nostre parabole et licentie et concessionis firmitatem presentem paginam conscribi et nostro sigillo jussimus communiri.

Datum apud Cumas (1), [anno] millesimo ducentesimo vigesimo primo, die lune octavo kalendas martii, indictione nona.

[Extant *ibidem*, fol. 10 et 11 de re eadem et fere de verbo ad verbum renovatae duae aliae sententiae ab Alberto Magdeburgensi archiepiscopo et imperii tunc legato prolatae : scilicet prima die mercurii ultimo mensis madii et secunda die martis septimo mensis junii anno MCCXXIII, indictione undecima.]

Foggiae, post curiam Capuae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Sancti Spiritus de Silva Oreolae dioecesis Sanctae Agathae sub protectione sua suscipit, eique omnia jura et bona confirmat necnon et caeteris ecclesiis Sancti Spiritus, scilicet Tufarae, Turris Palatii, Maralfi et Caleni.

---

(1) Aliud privilegium Conradi legati imperialis pro civitate Cumarum indultum edidit ROVELLI, *Stor. di Como*, t. II, p. 217. Dat. apud Cumas, ann. 1221, V exeunte februario, indictione IX.

(Inedit. in Archiv. reg. S. Severini ap. Neapolim, ex originali paululum temporis injuria oblitterato.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Etsi omnia caduca sint hominum et temporum diuturnitate labantur, sunt tamen ex hominibus aliqua perpetue stabilitati connexa, illa videlicet que divinis dedita cultibus hereditatis Dei funiculum inter homines ampliant, tunc videlicet cum loca venerabilia in quibus placens domino religio militat imperiali favore muniuntur et munimenta que vetustas non diluit votive liberalitatis indulgentur. Hac igitur ducti consideratione laudabili, attendentes conversationem honestam et vitam religiosam venerabilis prioris monasterii Sancti Spiritus de Silva Oreole diocesis Sancte Agathe, Cisterciensis ordinis, et fratrum ibidem domino militantium, pro salute nostra et remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, monasterium ipsum, priorem et fratres et grangias suas cum omnibus suis pertinentiis sub nostra speciali protectione recepimus, concedentes et confirmantes eis starciam que quondam fuit Roberti de Antiochia que est juxta flumen Vulturni et est juncta cum starcia Nicolai de Bevafro, et molendinum quod fuit de tenimento Puliani quod Humbertus de. . . . . filio suo dicto monasterio Sancti Spiritus vendidit, et totum. . . . . Golonis de Pagano et Maria uxor ejus in territorio. . . . . quod eidem monasterio obtulerunt, et totum illud quod comes Robertus de Caserta in territorio Caserte, Electe et Limatule dicto monasterio dedit, et olivetum quod est in castro Miliceani quod vendidit Guillelmus de Precioso de Sancta Agatha et filie ejus consensu et bona voluntate Guillelmi Burrelli et Roberti nepotis ejus eidem monasterio, et starciam Sancti Pauli et starciam de Monacha et terram pro sex pariclis boum in territorio Turris Palatii. Damus etiam et confirmamus ecclesie Sancti Spiritus de Ponte Tufare Ysclam quam olim tenuit Andreas Cappellus in territorio Sancti Martini et Peluse et Cepparonis tam de demanio quam de feodis et tenimentis, et molendinum et totum quod Mastafellone tenuit in territorio Areole quod eidem ecclesie dictus Mastafellone

vendidit et gustum (a) de Raone vassallo cum omnibus possessionibus suis et omnes alias elemosinas que eidem ecclesie date sunt in territorio Areole et terram que est in loco ubi dicitur Carrara in territorio Peluse quam dictus Mastafellone et Bonifacius pro remissione peccatorum suorum dicte ecclesie obtulerunt, et arbustum quod est in casali Fagani quod fuit Bartholomei de Crypta et de Liguerra. Concedimus etiam et confirmamus ecclesie Sancti Spiritus de territorio Maralfi totum quod Thomasius de Rocca eidem ecclesie obtulit et vendidit in territorio Joe et Maralfi tam de demanio quam de feudis et tenimentis, et ecclesie Sancti Spiritus de territorio Caleni in loco ubi Farralis dicitur illud quod comitissa Adelagisia de Caserta et Thomasius filius ejus dicte ecclesie Sancti Spiritus secundum tenorem instrumenti a dicta comitissa et Thomasio filio ejus conditi obtulerunt, scilicet starciam de Rapidella et casam Mauri et Farrale et molendinum et venam de. . . . . et venam de Picrone cum aquis et piscariis et viis et cum omnibus finibus et pertinentiis suis tam de demanio quam de feudis et tenimentis. Concedimus et confirmamus monasterio Sancti Spiritus de Silva Oreole et ecclesie Sancti Spiritus Tufare in territorio Peluse et Turris Palatii et ecclesie Sancti Spiritus de Maralfi et ecclesie Sancti Spiritus de territorio Caleni omnes possessiones quas in presenti possident vel in antea oblatione, donatione et venditione poterunt adipisci dante Domino tam de demanio quam de feudis et tenimentis et cum omni jure nostre majestati seu quorumlibet benefactorum vestrorum inde pertineat, non obstantibus privilegiis seu licteris a nostra majestate hactenus vel amodo impetratis. Preterea concedimus dicto monasterio Sancti Spiritus de Silva Oreole et ecclesie Sancti Spiritus Tufare, Turris Palatii, Maralfi et Caleni ut liceat eisdem pro necessariis earum libere vendere [et] emere et quod ab omni plateatico et passagio et quolibet alio exactionis genere sint immunes et quod liceat eis pro animalibus suis libera ubique habere pascua et de quibuslibet nemoribus ligna viridia et sicca pro comoditate dicti monasterii et dictarum aliarum ecclesiarum incidere et omnia novalia libere sine quorumlibet impedimento et invasione. Con-

(a) Forsitan *arbustum.*

cedimus etiam eidem monasterio Sancti Spiritus de Silva Oreole et omnibus aliis dictis ecclesiis Sancti Spiritus liberam habere licentiam piscandi ubicumque poterunt seu eis aptum fuerit. De majori quoque munificentie nostre gratia exemimus dictum monasterium et ceteras domos Sancti Spiritus dictas ab omnibus datis, collectis et aliis vexationibus comitum et baronum et aliarum laicarum personarum; mandantes et firmiter injungentes ut nullus de cetero sub pena gratie nostre sit qui infra septa dicti monasterii et aliis ecclesiis Sancti Spiritus violentiam inferre presumat, sed semper sub nostra et heredum nostrorum defensione et protectione consistant, salvo in omnibus mandato et ordinatione nostra. Ad hujus autem nostre concessionis et confirmationis memoriam et perpetuam firmitatem privilegium per manus Guillelmi de Cusentia notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Fogie post curiam Capue celebratam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense februarii, none indictionis, imperii vero domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno primo et regni Sicilie vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, Ludoycum abbatem de Fabaria (Pfeffers) et conventum ejusdem loci cum juribus et possessionibus ejus sub sua speciali protectione recipit et ab omni jurisdictione patronatus, advocatiae seu cujuslibet subjectionis eximit. Trani, 3 martii.

(Edit. ap. EICHORN, *Episcop. Curiensis*, (1797), cod. probat. 81, ex archivo Fabariensi.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter cetera opera caritatis illa in con-

spectu Altissimi grata potissime reputamus que ecclesiis et locis Deo dicatis Domino inspirante largimur. Ea propter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes puram fidem et sinceram devotionem quam Ludoycus venerabilis abbas monasterii Favariensis et conventus ejusdem ad nostram excellentiam habuerunt fideliter et devote, considerantes quoque divina obsequia que in eodem monasterio Deo jugiter ministrantur, pro remedio anime nostre ac divorum augustorum parentum nostrorum, ipsum abbatem, conventum et ecclesiam suam in personis ac rebus cum omni jure, hominibus, possessionibus, villis et cum omnibus suis pertinentiis et bonis in integrum tam mobilibus quam immobilibus que nunc juste et rationabiliter possident atque in posterum prestante Domino poterunt justo titulo adipisci, sub speciali protectione et defensione nostre recepimus majestatis, liberantes et eximentes ipsam ecclesiam ex certa scientia de speciali gratia nostra ab omni jurisdictione patronatus, advocatie seu cujuslibet subjectionis officiique, specialiter autem ab Heinrico de Saxo et Alberto filio suo et heredibus eorumdem in perpetuum; et ipsam cum omnibus bonis suis ad specialem nostram defensionem tantum assumimus nobis et imperio perpetuo retinendam, non obstante concessione ab aliis edita vel a nobis quam omnino cassamus et decernimus penitus non teneri. Et hec omnia tibi abbati, Ludoyce, tuisque successoribus juste et canonice institutis ex certa scientia concedimus et imperiali auctoritate perpetuo confirmamus, statuentes et firmiter precipientes ut de cetero nullus dux, nullus marchio, nullus comes, vicecomes, capitaneus seu quilibet exactor de ipsis causam teneat, jus dicat vel se aliquatenus intromittat, sed in omnibus et per omnia predicta sint memorato abbati suisque successoribus imperiali edicto perpetuo confirmata, sicut in sue ecclesie privilegiis noscitur plenius contineri. Si quis autem contra hujus nostre protectionis, concessionis et confirmationis paginam venire presumpserit, indignationem nostram se noverit graviter incursurum et pro pena sue temeritatis centum libras auri optimi soluturum, medietatem quidem camere nostre, aliam medietatem passis injuriam.

Hujus rei testes sunt Olricus Pataviensis episcopus, Albertus Triden-

tinus electus, Diupoldus marchio de Foburgh, Evirardus (*a*) comes de Elfenstein, Bertholdus comes de Montesacro, Gotefridus comes de Blandrato, Rainaldus dux Spoleti, Anshelmus marescalcus de Justingen, Conradus camerarius de Werde, Fridericus pincerna de Stophen.

Datum Trani, [anno dominice incarnationis] millesimo ducentesimo XXI, quinto nonas martii, indictione nona.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit Honorio papae ut non turbetur propter constitutionem nuper in curia Capuana editam de resignandis privilegiis a patre suo et postea tempore turbationis regni indultis, quia requisita privilegia ad curiam Romanam destinare curavit. Apud Tranum, 3 martii.

(Inedit. ex libr. cens. Cencii camerar., cod. Biblioth. reg. Paris., *Anc. fonds latin*, n° 4188, fol. 161 recto. Memorat. autem in opere cui titulus : *Titoli del dominio*, p. 294.)

Predilecto in Christo patri et domino Honorio Dei gratia sacro-sancte Romane ecclesie sedis summo pontifici, Fredericus eadem gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie benedictionis sue gratiam promereri. Pervenit ad nos, Sanctissime Pater, vestre beatitudini fuisse suggestum quod edictum illud in solempni curia pridem (*b*) Capue celebratum de resignandis nobis privilegiis imperatoris et imperatricis recolende memorie parentum nostrorum et nostris serio factum fuerit ut per ipsum privilegia dudum a nobis ecclesie Romane indulta deberent penitus irritari. Super quo paternitati vestre per alias litteras nostras scripsisse recolimus qualiter pro eo quod predictus imperator pater noster multa de regno sub spe revocationis concesserat que debuerat retinere, et post obitum imperatoris de sigillo suo privilegia multa falsa inventa

(*a*) In impresso *Gimeradus*, male.
(*b*) In codice *pridie*, male.

sunt quibus major pars nostri demanii fuerat occupata, omnia privilegia ipsa ad manus nostras pervenire precepimus, similiter et nostra que a diversis dominis quibus detinebamur et sub diversis sigillis ad tocius regni perniciem aperte noscuntur fuisse confecta (a). De proposito et firma voluntate quam habuimus et habemus erga carissimam personam vestram et sanctam Romanam Ecclesiam ex eo certiores esse potestis, quia requisita privilegia post ipsam constitutionem paternitati vestre curavimus destinare.

Datum apud Tranum (1), tercio die mensis marcii, indictionis none.

Apud Barum, 9 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium de Scheffersheim et sanctimoniales in eo Deo deservientes cum omnibus bonis et possessionibus ejus in protectionem suam suscipit, statuitque ut haec ecclesia nullum praeter se aut successores suos advocatum habeat.

(Edid. Hansselmann, *Diplomatisch. beweiss des Hauses Hohenlohe*, t. I, Beylag., n° XVI, p. 391, ex originali in archiv. Hohenl.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis ad quos presens scriptum perveneri gratiam suam et omne bonum. Imperialis magnificentie sublimitatem et eterne salutis consequi non dubitamus premia, cum personis spiritualibus Deo servien-

(a) In codice *confectas*, male.

(1) Tunc temporis, anno scilicet 1221, et apud locum eumdem, ut arbitramur, Fridericus privilegium indulsit quo Judaeis licentiam concedit morandi apud Tranum ea conditione ut annuatim clero cathedralis ecclesiae Tranensis octo et triginta uncias auri solvere debeant. Originale sigillo cereo munitum, quod vidit amicus noster V. Baltard, in archivo Tranensi asservatur.

tibus ad ecclesiarum suarum conservandam inviolabiliter libertatem benignum adhibemus assensum. Noverit igitur universitas presentium et successio futurorum quod nos ob honorem Dei et sanctissime matris sue Marie ecclesiam in Scheftirsheim et sanctimoniales loci ipsius cum omnibus personis Deo ibidem famulantibus in nostram et imperii specialem suscepimus protectionem cum omnibus bonis et possessionibus suis, agris, vineis, silvis, cultis et incultis, pratis, piscationibus, molendinis, pascuis et universis que in presentiarum juste possidere dinoscuntur, vel in posterum Deo auxiliante juste poterunt adipisci, et omnes possessiones quas Fridericus dux de Rotenburch fundator ecclesie prenominate pro remedio anime sue ecclesie jamdicte contulit, presentium attestatione confirmamus eidem, statuentes ut prenominata ecclesia nullum habeat advocatum nisi nos et successores nostros imperatores Romanorum et reges. Statuimus etiam ut ecclesia predicta de animalibus ecclesie et de novalibus que fratres dicti loci propriis manibus vel sumptibus suis excoluerint nulli unquam aliquam decimam solvant, sed omnia ecclesie maneant inviolata. Decrevimus etiam ut nulla unquam persona, alta vel humilis, ecclesiastica aut secularis, bona jamdicte ecclesie invadere presumat et personas ejusdem aliquo modo perturbare. Quod qui fecerit indignationem Dei omnipotentis se noverit incurrisse et gratiam nostram et imperii graviter offendisse.

Hujus rei testes sunt Ulricus Pataviensis episcopus, . . . Tridentinus episcopus, Diopoldus marchio de Hohinberc, Hermannus marchio de Badin, Reinaldus dux Spoleti, comes Henricus de Greifisbach, comes Bertholdus de Sacromonte, comes Evirhardus de Helfenstein, Albertus de Entse, Radolfus de Hudirsingen, Henricus de Geidegge, Anshelmus imperialis aule marscalcus, Fridericus pincerna de Stofen, Conradus de Werda, Hartwicus magister coquine de Rotinburc, Lupoldus de Rotinburc.

Acta sunt hec apud Barum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, VII idus martii, indictione nona.

Laterani, 14 martii. Honorius papa universis ecclesiarum praelatis per Lombardiam, Marchiam, Romaniolam et Tusciam constitutis scribit se ad eos misisse legatum [Hugolinum] episcopum Ostiensem ad evangelizandum verbum crucis, cui per omnia studeant obedire.

(Edid. Raynaldi, *Annal. eccles.*, ad ann. 1221, § 2, coll. cum cod. coaevo Bibl. Paris., 5152ᵃ, f. 37 recto.)

Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus. . . Aquilegiensi et. . . Gradensi patriarchis et. . . Mediolanensi, . . . Ravenatensi, . . . Januensi et. . . Pisano archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis ecclesiarum prelatis per Lombardiam et Marchiam, Romaniolam et Tusciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Cum is qui secundum sue omnipotentiam majestatis nec loco potest nec tempore comprehendi, ut pote incircumscriptibilis et immensus et stabilis manens dat cuncta moveri, faciat spiritus suos angelos et ministros, et celorum altitudine inclinata carnem assumens humanam pro eo quod delicie sue sunt esse cum filiis hominum, discipulos quos elegerat in mundum destinavit universum ut omni predicaret evangelium creature, suo nos instruxit exemplo ut ejus sequentes vestigia, cum assumpti simus in plenitudine potestatis nec per nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter eos quos in partem sollicitudinis evocavimus onera quasi Jethro usi consilio dividamus unicuique secundum virtutem propriam, que variis temporibus imminent committendo. Unde cum inter alias occupationes et sollicitudines innumeras et immensas quibus angimur ultra vires, hoc instantius cogitemus qualiter succurratur exercitui christiano feliciter in partibus transmarinis Domino militanti, qui etsi jugiter convalescat contra inimicos nominis christiani, tanto magis tamen succursu indiget pleniori quanto latius inimicorum occupans terras necesse habet occupatis probos deputare custodes, talem ad commonefaciendum super hoc Christi fideles

oportuit nos eligere qui zelum Dei habens secundum scientiam non minus merito sanctitatis et operum exemplari quam virtute vocis ad obsequendum Domino populum efficaciter excitaret; et ecce a dextris est vir dextere venerabilis frater noster. . . episcopus Hostiensis qui dextera divina tanquam cedrus Libani prelatus in Ecclesie paradiso, altitudine contemplationis erectus, virtutum odore suavis, fame sinceritate penitus imputribilis, non solum sua fortitudine ad sustentationem domus Domini operatur, verum etiam honestatis candore ipsius superficiem convenustat. Sed licet ipsius presentia cara nobis valde careremus inviti, utpote cujus consilio et auxilio plurimum indigemus, ne tamen tantum Christi negotium nostris postponere commodis videamur, eum ad hoc providimus deputandum ut fungens plene legationis officio pro Christo evangelizet populis verbum crucis, et alias recta regere et indirecta dirigere satagens aspera convertat in plana extirpando vitia et plantando virtutes; firmam spem fiduciamque tenentes quod Dominus qui ei linguam contulit eruditam dans voci ejus vocem virtutis sue, in beneplacito suo diriget vias ejus, ipsius facundia mentes audientium fecundando (1). Ceterum etsi,

---

(1) Adsunt in codice supra memorato et fere ad integrum inedito acta legationis Ugolini omnia authenticata seu potius originalia. Unde primum transcribimus documentum, quo scilicet potestas Senensis legato promittit se per mensem maium pecuniam Terrae Sanctae negotio deputatam fideliter collecturum, ut sequitur : « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. » Anno Domini millesimo CC° vigesimo primo, indictione VIIII, die VII kalendas aprelis. Ego » Poncius Amati Cremonensis, potestas Senensis, de plena ac libera voluntate et expresso con- » sensu totius consilii Senensis ad campanam coadunati, do et concedo tibi domino Hugolino Os- » tiensi et Velletrensi episcopo, apostolice sedis legato, ob reverentiam Dei et remissionem pec- » catorum nostrorum, ad preces domini Honorii summi pontificis et domini Frederici imperatoris, » pro communi nostro sex soldos Senenses per quodlibet foculare ad subsidium Terre Sancte, » et promitto et obligo me nomine totius communitatis civitatis ejusdem quod prefatam pecu- » niam fideliter colligam per totum proximum mensem madii eamque tibi domino legato vel » nuncio tuo cui tibi placuerit in eumdem terminum faciam assignari distribuendam militibus » Senensibus crucesignatis, si tot et tales fuerint crucesignati quibus tota summa pecunie juxta » vestre discretionis arbitrium fuerit dispensanda, vel aliis sicut paternitas vestra duxerit » disponendum. Acta Senensis (?) in palatio domini episcopi Senensis, et Reginensi episcopo, » Russo Melluce judice communis Senensis et Rodulfo judice et camerario Hostiensis episcopi » et domino episcopo Senensi et Bernardino testibus. Ego Forensis notarius predictis interfui

ejus exemplo cujus immeriti vicem gerimus, quod uni ex minimis nostris fit nobis fieri reputemus, quia tamen sicut stella differt a stella in claritate, ita inter eos est distinctio meritorum, nos cupientes predictum episcopum eo propensius honorari quo per eum Sedes apostolica sublimius honoratur, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente et per apostolica vobis scripta firmiter precipiendo mandamus quatinus eumdem legatum vel potius nos in ipso recipientes ilariter et devote ac debita veneratione tractantes eidem in omnibus et per omnia studeatis efficaciter obedire; ita quod eum propicium et nos vobis exinde reddatis favorabiles et benignos. Alioquin sententiam quam idem tulerit in rebelles ratam et firmam habebimus et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari.

Datum Laterani, II idus martii, pontificatus nostri anno quinto.

Apud Brundusium, 13 martii (?).

Fridericus, Romanorum imperator, Fridericum de Arco, Adelpretum et Riprandinum nepotes ejus eorumque haeredes legitimos honore comitatus nobilitat, ab omni angaria et onere rusticano eximit, eisque confirmat merum et mixtum imperium cum jurisdictione et districtu.

(Edidit, nulla animadversione admissa, Du Buat, *Origin. Boic. domus*, t. II, append. (n° 8). ex archiv. Salisburg. ecclesiae. — Memorat. ap. Ughelli, *Ital. sacr.*, V, 603, qui codicem quemdam Biblioth. Vindob. indicat. Sub ista tamen forma non levem dubii causam hoc documentum praebet.)

» et mandato dicte (*sic*) potestatis scripsi et publicavi. » Legitur autem *ibid.*, fol. 4 verso, altera promissio fere sub eisdem verbis facta a Florentino potestate, pridie nonas aprilis. In quibusdam hujus codicis instrumentis et praecipue fol. 30 recto, Hugolinus vocatur *apostolice sedis legatus et imperialis aule vicarius*. Iste vero nusquam hunc ultimum sibi titulum adscribit, licet ex litteris ipsis Friderici imperialem plenam auctoritatem habuerit. Cf. supra p. 125.

Fridericus II divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperialis excellentie dignitas tunc digne laudis titulis rutilat cum erga fideles suos et devotos favorabilem se exhibet et benignam et eorum grata servitia non patitur irremunerata transire. Inde est quod nos attendentes puram fidem et sinceram devotionem quam Fridericus de Arco et ejus nepotes Adelpretus et Riprandinus ad nostram excellentiam habuerunt fideliter et devote, respicientes etiam ad devota obsequia que ipsi Fridericus, Adelpretus et Riprandinus nobis exhibuerunt et poterunt prestante Domino in posterum exhibere, ipsos et eorum heredes ex eis legitime descendentes de largitate et benevolentia nostra honore et nobilitate comitatus nobilitamus et eos ex certa scientia de cetero nobiles comites facimus et constituimus ac si antiquitus ex antiquis nobilibus et antiquis comitibus originem protraxissent, liberantes eos et eorum legitimam generationem in perpetuum penitus eximentes ab omnibus angariis et perangariis et ab omnibus oneribus rusticanis. Insuper investimus, damus atque largimur et imperiali auctoritate confirmamus jamdictis Friderico et nepotibus ejus Adelpreto et Riprandino et suis heredibus generaliter et integraliter jurisdictionem et districtum, merum mixtumque imperium, arimania, banna, telonia, ripatica et omnem publicam functionem totius curtis et territorii castri Archi, burgi et ville de Turbulis, castri Drene et castri Spinedi et omnium locorum que dictus Fridericus et sui nepotes habent et tenent vel in futurum habebunt et omnium habitantium in predictis terris et locis nunc et in futurum, et quicumque descendentes ex ipsis in montibus et planis, agris, pratis, pascuis, silvis, venationibus, piscationibus, molendinis, ripaticis cum omni jure et honore; ita quod liceat eidem Friderico et ejus heredibus et suis nepotibus Adelpreto et Riprandino eorumque heredibus et coheredibus usque in infinitum prefatam jurisdictionem libere exercere in criminalibus et pecuniariis ac liberalibus causis, in bannis auferendis, in collectis ponendis et in omnibus generaliter agendis quecumque ad jurisdictionem et districtum et ad alia prefata pertinent. Hec omnia suprascripta statuimus et facimus atque decernimus, ex certa scientia et spontaneo motu insuper volentes que dubia sunt vel que a sapientibus in dubium possunt deduci

nos clara interpretatione manifesta facere, cum sit nobis datum legem condere et interpretari et maxime beneficia imperialia legitime exponere et interpretari. Concessionem supradictam sic interpretamur ut nedum verum universale dominium, sed honor et districtus universalis et etiam merum imperium et plenissima jurisdictio concessa sit et esse videatur predicto Friderico suisque nepotibus Adelpreto et Riprandino eorumque heredibus in prefatis terris et locis et pertinentiis et personis in eis quandocumque habitantibus, et hanc interpretationem et expositionem ex certa scientia et ex consilio procerum facimus, injungentes et statuentes et etiam concedentes ut sic in omnibus presentibus, preteritis et futuris observetur; statuentes et imperiali auctoritate firmiter precipientes ut nulli unquam persone, alte vel humili, ecclesiastice vel seculari, licitum sit hanc nostre donationis atque concessionis et confirmationis paginam infringere vel ei temeritatis ausu obviare; et si quis contra predicta venire tentabit, mille libras puri auri persolvet, medietatem camere nostre, aliam medietatem injuriam passis. Ut autem hec nostra donatio et confirmatio in perpetuum inviolabiliter observetur, presentem paginam conscribi et nostro sigillo jussimus communiri.

Hujus rei testes [sunt] Albertus Magdeburgensis sancte ecclesie archiepiscopus (1), Albertus Tridentinus electus, Andreas Alpinus, Anselmus de Justingen (*a*), Riccardus camerarius, Brixianus judex, Gherardus de Cervo et reliqui (*sic*).

Acta sunt hec anno Domini M. CC. XXI, indictione IX, imperante domino nostro Friderico invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani regni ejus nono, in Sicilia XXIII, imperii vero ejus secundo (*b*).

(*a*) In impresso *Zustino*, male.
(*b*) Recte autem *primo*.

---

(1) Magna inter alias dubii causa, cum iste archiepiscopus in caeteris hujus anni privilegiis non appareat, nisi in quibusdam concessionibus communitati de Scovolo, Biemino de Manerba, etc. a Friderico II indultis, ut dicunt; quas tamen inter instrumenta fictitia seu rescripta ad calcem hujus voluminis rejicimus.

Datum apud Brundusium, tertio kalendas martii (1), feliciter. Amen (a).

Fridericus, Romanorum imperator, Azzonem marchionem Estensem et Anconensem cum omnibus bonis ejus ibidem enumeratis sub sua speciali protectione suscipit, eique ea omnia confirmat quae Azzo pater ejus et Obizzo avus praedicti Azzonis juste habuisse ac tenuisse noscuntur.

Apud Brundusium, martio.

(Edit. ap. MURATORI, *Antich. Estensi*, t. I, p. 426.—LUNIG, *Cod. Ital. diplomat.*, t. I, p. 1577.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperialem decet clementiam justis postulationibus suorum fidelium benivolum prebere assensum, illorum maxime quorum fidei puritas et sincera devotio et preclara obsequia nobis et imperio exhibita plurimum se commendant. Ea propter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentis etatis quam future posteritatis quod nos attendentes multimoda et accepta beneficia que progenitores dilecti fidelis nostri Azzonis marchionis Estensis et Anconensis predecessoribus nostris clare memorie hactenus exhibuerunt fideliter et devote, et illa presertim ad memoriam reducentes que quondam Azzo pater marchionis predicti et Aldebrandinus frater ejus ad nostram excellentiam fidelissime habuerunt, ad instar progenitorum nostrorum et eorum vestigia imitando dictum marchionem

(a) Litterae elongatae quae verbum AMEN exhibere solent, pessime in impresso sic redduntur : A. et. T. S.

---

(1) Cum vigesimo septimo die februarii apud Brundusium imperator morari non potuerit, mendum in notatione diei suspicamur et legendum *tertio idus martii* non sine summo dubio proponimus.

cum omnibus bonis suis stabilibus et mobilibus sub imperii et nostra protectione ac defensione suscipimus speciali et presentis scripti privilegio communimus, concedentes eidem marchioni suisque heredibus et imperiali auctoritate ex certa scientia perpetuo confirmantes ea que certis vocabulis inferius duximus nominanda : videlicet Estum, Calaonum, Cerum, Baonum, Soleginum, Villam cum ejus curte, Montagnanam, Meradinam, Urbanam, Merlariam, villam que vocatur Plagenza, Coloniam cum ejus curte, villam Saleti, Casalem et Viguzolum. Insuper concedimus, donamus et largimur et imperiali auctoritate perpetuo confirmamus predicto marchioni et suis heredibus comitatum Rodigi cum omnibus adjacentiis et pertinentiis suis in integrum. Ad hec etiam concedimus et donamus et confirmamus eidem marchioni suisque heredibus integraliter Adriam et Adrianum cum omnibus adjacentiis et pertinentiis eorumdem. Hec autem omnia de certa scientia et plenaria voluntate concedimus predicto marchioni et heredibus suis, donamus et imperiali auctoritate perpetuo confirmamus cum jurisdictione plenaria, cum omni honore, districtu et dominatu et omnibus publicis functionibus, cum angariis et perangariis, cum jure mercati, pedagiis et teloneis tam in aqua quam in terra, cum potestate animadvertendi in facinorosos, cum pratis, silvis, pascuis, venationibus, piscationibus, molendinis, terris cultis et incultis, aquis, aquimolliis, salectis aquarumque decursibus, paludibus et cum omnibus que ad integram et plenariam jurisdictionem pertinent et pertinere videntur, sicut ea omnia Azzo pater marchionis predicti et Obizzo marchio avus prenominati Azzonis olim temporibus nostrorum predecessorum imperatorum vel regum divorum augustorum juste habuisse et tenuisse ac possedisse noscuntur vel alii nomine eorumdem, et generaliter omnes terras, possessiones et bona omnia que nunc idem marchio vel alii nomine suo tenent juste et possident ubique concedimus ipsi marchioni et suis heredibus in perpetuum et imperiali auctoritate concedimus et confirmamus; statuentes et imperiali edicto firmiter precipientes ut de cetero nulla civitas, nullum commune, nullus dux, nullus comes, vicecomes, nulla potestas, nulla unquam persona magna vel parva, ecclesiastica vel secularis, hujus nostri privilegii paginam audeat infringere vel ei aliquo

temerario ausu contraire, sed rata permaneant predicta omnia et perpetuo penitus inconvulsa. Quicumque autem hoc attemptare presumpserit, indignationem nostram se noverit graviter incursurum et pro sue temeritatis pena quingentas libras auri optimi compositurum, medietatem camere nostre, reliquam marchioni predicto et heredibus suis. Ut autem hec omnia vera credantur et perpetuam obtineant firmitatem, presens privilegium scribi et sigillo nostre celsitudinis jussimus inferius communiri, non obstantibus aliquibus legibus, consuetudinibus, vel constitutionibus alicujus civitatis vel communitatis que contra predicta facere viderentur.

Hujus rei testes fuerunt Ulricus Patavensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Diupoldus marchio de Foburg, Bertholdus comes de Montesaero, Everardus comes de Helfinstein (*a*), Gotifredus comes de Blandrato, Anselmus de Justingen marescalcus, Conradus de Werda camerarius, Fridericus de Stopho pincerna, et alii quamplures nobiles et barones.

Signum domini Friderici invictissimi Romanorum imperatoris augusti et regis Sicilie. (*Monogramma*).

Acta sunt hec apud Brundusium, [anno] millesimo ducentesimo XXI, mense martii, indictione VIIII, regnante domino Friderico Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie glorioso, anno regni ejus in Germania VIIII, in Sicilia XXIII, imperii vero ejus anno primo, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, praelatis, comitibus, baronibus caeterisque in regno Siciliae constitutis notificat se ad requisitionem Cari Montis Regalis archiepiscopi prioribus obedientiarum ejusdem ecclesiae dedisse potestatem capiendi oblatos et villanos qui a dominio ecclesiae Montis Regalis se subtraxerunt et revocandi Brundusii, martio.

(*a*) In impressis *Enuardus comes de Festeme*, male.

ad statum quo fuerunt oblationis tempore, confirmans eidem archiepiscopo jus curiae et hominibus ejus angariarum immunitates.

(Edit. ap. LELLO, *Descriz. del real tempio e monast. di Morreale* con le osservaz. di GIUDICE, *Notiz.*, p. 31, nº XI, ex coll. arch. Arnald., P. I, privileg. XXVI, p. 49 retro, et ex dat. privil. XVII, p. 38 retro. Extat quoque in opere cui titulus : *Ragioni per cui dimostrasi la scrittura stampata in questo anno* 1759 *essere apocrifa*, etc. Docum., nº 32.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, prelatis ecclesiarum, comitibus, baronibus, justiciariis, camerariis, castellanis, bajulis et universis per regnum Sicilie constitutis gratiam suam et bonam voluntatem. Carus venerabilis Montis Regalis archiepiscopus dilectus familiaris et fidelis noster excellentie nostre per suas litteras et nuntium declaravit quod cum nonnulli homines regni nostri tempore regis Guillelmi recolende memorie et etiam post decessum ipsius obtulerint se ecclesie sue Montis Regalis cum omnibus rebus et possessionibus suis, ipsi contra oblationem factam ecclesie supradicte retrahentes se cum rebus et possessionibus suis ad alterius se dominium contulerunt, propter quod jura et rationes ipsius ecclesie noscuntur in pluribus diminute; multi etiam de villanis casalium que obedientie ipsius ecclesie per regnum nostrum habere noscuntur propter turbationem temporis ad aliorum dominium convolarunt; ipse quoque obedientie, homines et bona eorum contra privilegium Montis Regalis ecclesie molestantur in multis; supplicans attentius majestati nostre ut bonos usus et consuetudines quas tempore predicti regis Guilielmi eadem ecclesia consuevit habere, predictis obedientiis suis dignaremur observari perpetue et quod villani sui et oblati jam dicti ad suum et ecclesie sue dominium de nostra licentia revoc[ar]entur. Nos autem petitiones ipsius archiepiscopi benignius admittentes et quia jura ecclesie supradicte augeri potius quam minui peroptamus, fidelitati vestre mandamus et districte precipimus quatenus ubicumque per regnum nostrum priores obedientiarum Montis Regalis vel eorum nuntii qui ab eis specialiter propter hoc

fuerint destinati aliquem de oblatis suis ab ipsius ecclesie dominatione (a) subtractum vel quoscumque de oblatis ipsis invenerint, eisdem capiendi dedimus potestatem, qualiter ad jurisdictionem sepedicte ecclesie ipsos cum omnibus bonis et possessionibus reducere possint, et ad hoc exequendum vestrum eis ob reverentiam nostri culminis auxilium et consilium impendatis. Villanos vero predicte Montis Regalis ecclesie et obedientiarum earum ubicumque eos invenerint eisdem capiendi similiter dedimus potestatem et cum familiis et omnibus rebus suis ad loca propria reducendi. Si quis autem de supradictis oblatis debitum universe carnis persolverit, precipimus ut res ejus tam stabiles quam mobiles ad dominium ipsius ecclesie Montis Regalis sine defectu quolibet redigantur, et si quid de possessionibus suis distraxerunt vel modo quolibet alienarunt post oblationem factam ecclesie ab eisdem, volumus quod in irritum penitus revocetur et ad eum statum reducatur quo fuit quando ipsi se memorate ecclesie obtulerunt. Precipimus quoque et presentis scripti auctoritate mandamus quod nullus baronum vel aliquis alius curiam habeat in tenimentis Montis Regalis ecclesie, sed ordinati sui curiam habeant de hominibus et oblatis suis ubicumque morentur, sicut tempore regis Guillelmi consueverunt habere, ipseque obedientie et homines sui vel eorum animalia pro attrahendis lignaminibus galearum seu pro reparatione castellorum nostrorum ad angariam non cogantur, sed ea libertate quam habuerunt tempore dicti regis sub nostro tempore gratulentur. Et ut ipsa ecclesia Montis Regalis beneficium nostrum in omnibus favorabiliter cognoscat, omnes bonos usus, consuetudines, dignitates, privilegia et jura ipsius illesa de cetero precipimus observari; scituri quod qui huic mandato nostro temere presumpserit obviare cum periculo rerum et persone indignationem nostri culminis se noverit incursurum.

Data Brundusii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense martii, indictione nona, imperii domini nostri Friderici Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris, semper augusti

(a) In impresso *donatione*, male.

et regis Sicilie anno primo, regni vero (a) Sicilie vigesimo quarto (1), feliciter. Amen.

Brundusii, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, de verbo ad verbum renovat privilegium quo Caro Montis Regalis archiepiscopo restituit, concedit et confirmat possessiones et omnia jura ad ejus ecclesiam pertinentia, tam per Saracenos quam per Christianos tempore turbationis illicite occupata, confirmatque simul eidem omnia privilegia, libertates, bonos usus et approbatas consuetudines.

(Memoratum ap. Margarin., *Bull. Cassin.*, t. II, p. 249, sed non denuo transcriptum, expressis tantummodo notis chronologicis ultimisque verbis quae sunt ita:)

Fredericus II divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Si regnantis gloriam dona clarificant, etc. *Sequitur de verbo ad verbum sicut in privilegio dato apud Weissenburg anno* 1220, *mense julio*, *usque ad* : presens privilegium per manus Joannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Data Brundusii, anno dominice incarnationis MCCXXI, mense marcii, indictione IX, ... (2).

(a) In impresso *nostri* pro *vero*, male.

---

(1) Menda sit authentici seu amanuensis, nescimus, cum ibi de anno regni Siciliae vigesimo tertio manifeste agatur.

(2) Adest in arch. Montis Regal., *libr. delle Pandette*, fol. 103, et in *Chartul. Montis Regal.*, Cod. Vatic. 3880, aliud imperatoris Friderici mandatum quo notificat se archiepiscopo Montis Regalis concessisse, confirmasse et restituisse casalia, feuda et alia bona tempore perturbationis regni alienata. Dat. Brundusii, XXII martii, indictione IX. Cf. Taballo, *Elenco dei diplomi*, n° 169, et Lello, *Index summarii*, n° 94.

Fridericus, Romanorum imperator, Petro abbati monasterii Virginis Mariae Eremitarum et Sancti Stephani de Nemore et conventui ejus restituit et confirmat privilegia a suis praedecessoribus eisdem indulta, quae sibi juxta generale edictum in curia Capuana factum resignaverant. Brundusii, martio.

(Edid. TROMBY, *Storia del ord. Cartusiano*, tom. V, append. p. 86, n° LXXIII, ex exemplari authentico.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum esse volumus universis presentibus et futuris quod Petrus venerabilis abbas monasterii gloriose Virginis Marie Eremitarum et Sancti Stephani de Nemore juxta generale edictum factum a nobis in curia Capuana de privilegiis resignandis et conventus ejusdem monasterii quedam privilegia a divis augustis domino imperatore Henrico et domina imperatrice Constantia parentibus nostris eidem monasterio indulta cum apodixa ejusdem domini patris nostri nobis humiliter resignarunt. In quibus vidimus contineri qualiter monasterium ipsum cum universis obedientiis hominibusque et pertinentiis ejus sub imperiali protectione et defensione recipientes confirmaverunt ei in perpetuum omnia privilegia, concessiones et libertates tam a rege Rogerio quam ab utroque rege Guillelmo recordationis inclite eidem indulta ut eis sine aliquo temporali servitio, sicut eorum temporibus uti pacifice consueverant, uterentur. Concedentes et confirmantes ipsi monasterio in perpetuum ecclesiam Sancti Leontis cum casali suo, ecclesias Sancti Fantini et Sancti Nicolai de Trivio cum omnibus justis (*a*) continentiis et pertinentiis suis,

(*a*) In impresso *jussis*, male.

que res (*a*) scilicet concesse fuerunt eidem monasterio in escambium pro casali quod dicitur de Conte quod monasterium ipsum tenuerat et fuerat prius de tenimento comitatus Squillacii, libere eas sine aliquo servitio possidentes, liberam etiam pasturam pro universis animalibus suis in territorio Stili, in terris Casemone libere et sine herbatico vel datione aliqua in perpetuum habendam, sicut a predicto rege Guillelmo ipsi monasterio fuerat concessa, necnon libertates et immunitates alias, videlicet ut septa predicti monasterii et grangiarum suarum juxta Cisterciensium ordinis instituta mulieres ingredi aliquatenus non auderent nec ibidem carnibus vescerentur, prohibitionem etiam ne ulla ecclesiastica aut secularis persona homines predicti monasterii aut paricla eorum ad angariam traheret vel eos aliqua vexatione gravaret. Ipsorum itaque privilegiorum inspecto tenore, ad humilem supplicationem eorumdem abbatis et conventus, eterne retributionis intuitu, de innata pietatis nostre gratia et eadem eis restituimus et tam ipsa quam omnia que continentur in eis eidem monasterio perpetuo duximus confirmanda. Ipsi etiam de abundantiori gratia confirmantes in perpetuum omnes suas obedientias, grangias et possessiones et queque alia tenimenta que idem monasterium largitione regum et principum ac aliorum oblatione fidelium juste et rationabiliter tenet et possidet, prout in ipsorum privilegiis et instrumentis dignoscitur contineri et sicut ea omnia temporibus regis Guillelmi predicti rationabiliter et pacifice dignoscitur tenuisse atque in futurum justo titulo poterit adipisci, nisi fuerint de feudis vel serviciis obligata, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus autem nostre restitutionis memoriam perpetuo valituram presens scriptum per manus Petri de Salerno notarii et fidelis nostri scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Brundusii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense martii, indictione nona, imperii domini nostri Frederici Dei gratia gloriosissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno primo, regni vero Sicilie vicesimo tertio, feliciter. Amen.

(*a*) In impresso *quare*, male.

Ego Philippus Dei gratia Marturanensis episcopus viso et perlecto authentico subscripsi et sigillo impressi. — Ego Obizo (1) archiepiscopus Consentinus viso et lecto authentico subscripsi et sigillum apposui.

Fridericus, Romanorum imperator, ad instantiam abbatis et conventus monasterii Sanctae Mariae de Curatio ordinis Cisterciensis, in dioecesi Marturanensi, privilegia a Guillelmo primo et secundo eidem monasterio indulta confirmat (2). Apud Brundusium, martio.

(Memorat. ap. UGHELLI, *Ital. sacr.*, t. IX, p. 275, et ap. LAURO, *B. Joachim abb. Flor. mirabil. veritas defensa*, p. 25 et 27. Originale privilegium, ut refert in authenticam formam reassumpta hujus copia 27 septemb. 1578, extabat penes Marium Caputum monasterii Curatiensis bonorum omnium tunc affittatorem.)

Per manus Petri de Salerno notarii nostri. . . . . .

Datum apud Brundusium, anno dominice incarnationis MCCXXI, mense martio, indictione nona. . . . . (3).

Fridericus, Romanorum imperator, omnia bona, libertates et Brundusii, martio.

---

(1) Obizo civis Astensis Lucae archiepiscopo Cusentino successit anno 1221. Vid. UGHELLI, *Ital. sacr.*, IX, 214.

(2) Ex hoc privilegio constat, ut monet LAURUS, loco supra citato, Curatii monasterium specialem non habuisse fundatorem, sed prae caeteris fundatorum titulo honoratos extitisse Rogerium de Marturano et Riccardum ejus fratrem, Matthaeum filium praefati Rogerii atque Johannem filium antedicti Riccardi de Marturano.

(3) Paulo ante hoc tempus Leo de Matera, regius justiciarius, de mandato regio et in praesentia Philippi Marturanensis episcopi fratris sui quaestionem determinaverat quae vertebatur inter monasterium Curatii et homines Siliani, anno Dominicae incarnationis 1221 (1220), mense novembris, indictionis nonae, anno regni Friderici 23. — Cf. UGHELLI, *ibidem*, p. 276.

privilegia a praedecessoribus suis monasterio Florensi concessa confirmat.

(Memorat. ap. LAURUM, *B. Joachim abb. Flor. mirabil. veritas defensa*, p. 154, ex archivo reg. camerae summariae.)

Datum Brundusii, anno dominice incarnationis MCCXXI, mensis martii, indictione IX, imperii domini Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno primo, regni vero Sicilie anno vigesimo tertio, feliciter. Amen.

Tarenti, 10 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, hospitale Sanctae Mariae Theutonicorum et domos omnes ab ipso derivatas sub sua speciali protectione recipit, concessiones et privilegia omnia eisdem confirmat, statuitque ut per totum imperium nihil pro quolibet jure terra marique solvere teneantur.

(Edidit HENNES, *Cod. diplom. ord. S. Mariae Theutonic.*, p. 57, n° 54, ex origin. in archiv. Vindobon.)

Fridericus secundus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod sacrum hospitale Sancte Marie Theuthonicorum in Jerusalem tanquam locum illum qui a felicibus augustis progenitoribus nostris recolende memorie principium habuit, successiva benignitate, ad perpetuam memoriam fundatorum et ad honorem Christi in cujus obsequiis fratres ipsius sacre domus militare noscuntur, augmentare multipliciter ac fovere volentes, tam domum ipsam quam domos quascumque alias ubique derivatas ab ipsa necnon fratres et confratres ipsius sub nostra speciali protectione et defensione recepimus, confirmantes eidem domui privilegia omnia et quascumque concessiones

quas a predictis progenitoribus nostris et a nobis etiam est adepta; statuentes ut per totum imperium nostrum nichil pro plateatico, passagio, theloneo, portagio, ripatico, falangatico, vel pro quolibet alio jure terra marique [in] fluminibus vel in aquis solvere teneantur, nec ubique glandaticum, herbaticum vel aquaticum tribuant pro animalibus suis. Quapropter universitati vestre districte precipiendo mandamus quatinus nullus de cetero sit tam ausus qui fratres vel confratres predicte domus sive eorum nuntios super libertatibus antedictis impedire aut molestare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostram se noverit incursurum.

Datum Tarenti, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, quarto idus aprilis, indictione nona.

Fridericus, Romanorum imperator, pro religiosa vita fratrum hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum et gratis servitiis Hermanni magistri hospitalis ejusdem, ei dat et concedit domum in Sahsenhusen cum pertinentiis, mansum unum in territorio oppidi sui Frankenfortensis et duas quotidie plaustratas lignorum necnon et pascua animalibus in silva sua quae adjacet loco Sahsenhusen. Apud Tarentum, 10 aprilis.

(Edider. FICHARD, *Archiv*, II, 91. — BOEHMER, *Cod. Moenofrancf.*, I, 31. — HENNES, *Cod. ord. Theutonic.*, p. 58, n° 55.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Quotiens illorum commodis et utilitati prospicimus qui veros se comprobant actu et habitu servos Christi, veraciter debitum munificentie regalis exequimur et nostre efficacius providemus saluti ut dum eorum indigentiam relevamus temporalem, ipsi nostre fiant spiritualis indigentie supplementum. Eapropter notum facimus universis imperii fidelibus tam pre-

sentibus quam futuris quod nos meditatione piissima attendentes qualiter sacra domus hospitalis Sancte Marie Teutonicorum in Jerusalem a divo quondam augusto domino imperatore Friderico avo nostro pietatis intuitu propagata in multiplices fructus prodiit laude dignos et a domino quondam imperatore Henrico inclite recordationis patre nostro rebus ac libertatibus premunita incrementum suscepit spiritualiter et temporaliter Domino famulando et erga nostram magnificentiam fratrum dedicatorum ibidem ad divina servicia cum fide devotio semper crevit, necnon celebrem vitam et honeste religionis cultum quibus dilectus nobis in Domino frater Hermannus magister hospitalis ejusdem et fratres sui clarere noscuntur, labores etiam et sudores assiduos quos pro fide christianorum et gloria sustinent incessanter, pro remedio animarum divorum augustorum progenitorum nostrorum memorie recolende et pro nostre salutis et glorie incremento ac hospitalis ejusdem augmento liberaliter intendentes, concedimus, donamus et in perpetuum confirmamus eidem domui hospitalis domum in Sahsenhusen cum hospitali et ecclesia omnibusque pertinentiis eorumdem, quam videlicet domum hospitalem et ecclesiam Ulricus de Mincemberc nobis contulit dicte domui hospitalis libere conferenda. De majori quoque gratia nostra damus, concedimus et in perpetuum confirmamus eidem domui hospitali mansum unum in territorio oppidi nostri Frankenfortensis et duas quotidie plaustratas siccorum lignorum ad comburendum et pascua animalibus ejus, exceptis ovibus et pecoribus, in silva nostra que adjacet ipsi loco in Sanhenhusen. Statuentes et sub obtentu gratie nostre firmiter inhibentes ne quis ipsam domum hospitalis et fratres super hac nostra concessione, donatione et confirmatione molestare vel modo quolibet perturbare presumat. Quod qui presumpserit, in sue temeritatis vindictam centum libras auri componat, dimidium camere nostre et dimidium prelibato hospitali passo injuriam et offensam. Ad cujus rei certam evidentiam et perpetuam firmitatem presens privilegium scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Ulricus Pataviensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Ludewicus dux Bavarie comes Palatinus Rheni, Hermannus marchio de Baden, Diobuldus marchio de Voburch, comes Eberhardus

de Elphenstein, comes Yldebrandus, Anselmus de Justingen marscalcus et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, quarto idus aprilis, indictione nona, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno imperii ejus primo, regni vero Sicilie vicesimo tercio, feliciter. Amen.

Datum apud Tarentum, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, domui hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum privilegium a se ipso jam concessum renovat, scilicet ut quicumque aliquid de bonis imperii nomine feodi possidet, id tanquam proprium eidem hospitali libere conferre valeat. Tarenti, 10 aprilis.

(Edidit Hennes, *Cod. diplomat. ord. Theutonic.*, p. 59, n° 56, ex libro cui titulus : *Brandenburgische Usurpations Geschichte*, 92. — Quod cum praecedens documentum, exceptis exordio et peculiari concessionis materia, pene integrum referat, mutatos locos cum testibus et notis chronologicis tantum hic exhibemus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Excellentia imperialis exposcit ut sicut ceteris potestatis eminemus culmine, ita pietatis studio ceteris preeuntes omnibus prebeamus (*a*), virtutis maxime liberalitatis officium exercendo circa religionis augmentum et cultum divini nominis ampliandum. Eapropter notum facimus univer-

(*a*) Sic : verisimiliter autem legendum *prebeamus virtutis* [*exemplum*].

sis, etc. Ipsorum profectui ac hospitalis ejusdem augmento liberaliter intendentes, concedimus et in perpetuum confirmamus ut quicumque aliquid de bonis imperii possidet nomine feodi licenter ac libere quantum voluerit ex eisdem tanquam proprium memorato conferre valeat hospitali, nosque id pro nobis et successoribus nostris in perpetuum ratum habemus et firmum et irrevocabile volumus permanere. Statuimus igitur et sub obtentu gratie nostre firmiter inhibemus ne quis ipsam domum, etc. *Ut in praecedenti.*

Hujus rei testes sunt Ulricus Pataviensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Ludewicus dux Bawarie comes Palatinus Reni, Hermannus marchio de Baden, Diobuldus marchio de Voburch, comes Eberhardus de Elphenstein, comes Yldebrandus, Anselmus marescalcus de Justingen et alii quamplures.

Signum domini Friderici, etc.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, quarto idus aprilis, indictione nona, imperante, etc.

Datum Tarenti, anno, mense et indictione prescriptis.

Tarenti, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, pro religiosa vita fratrum hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum eis generaliter confirmat et renovat diversa privilegia a se et a praedecessoribus suis eisdem indulta.

(Edider. Lunig, *Reichsarchiv*, VII, 3. — Duellius, *Hist. ord. Theutonic.*, append. XV. — Ludewig, *Reliquiae*, VI, 44. — Schurzfleisch, *Hist. Ensiferorum*, 11. — Feder, *Unterricht*, n° 5. — *Brandenb. Usurpations Gesch.*, 90. — Hennes, *Cod. ord. Theutonic.*, p. 60, n° 59.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter alia pietatis opera quibus imperialis dignitas uberius exornatur,

liberalitas obtinet principatum, illa precipue que ad utilitatem et commodum locorum venerabilium exercetur. Nam si a terreno principe particula datur, illius interventu qui affluenter tribuit universa quod dat ad eum cum fenore multo revertitur, maxime cum per hoc videtur quod pro terrenis eterna provida meditatione mereatur. Eapropter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos meditatione piissima attendentes qualiter sacra domus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem a predecessoribus nostris pietatis intuitu propagata in multiplices fructus prodiit laude dignos et a divo quondam imperatore Henrico inclite recordationis patre nostro rebus ac libertatibus premunita incrementum suscepit spiritualiter et temporaliter Domino famulando et erga nostram magnificentiam fratrum dedicatorum ibidem ad divina servicia cum fide devotio semper crevit, necnon celebrem vitam et honeste religionis cultum quibus dilectus nobis in Domino frater Hermannus magister domus hospitalis ejusdem et fratres sui clarere noscuntur, labores etiam et sudores assiduos quos pro fide christianorum et gloria sustinent incessanter, eterne retributionis intuitu et pro remedio animarum progenitorum nostrorum recolende memorie et pro nostre salutis ac glorie incremento ipsorum favori et profectui intendentes, eamdem sacram domum et ab ipsa quaslibet derivatas, fratres et confratres ipsarum cum omnibus bonis stabilibus et mobilibus que per totum imperium nostrum rationabiliter possident in presenti et que in antea dante Domino justo titulo poterunt adipisci, necnon subditos earum ejusdem legationem atque negotia exercentes sub speciali protectione ac defensione nostra recipimus, et eidem domui perpetuo confirmamus omnia privilegia et scripta quelibet tam a parentibus nostris quam a nobis sibi pia liberalitate concessa, necnon etiam castra, casalia, homines et possessiones que donatione regum, concessione principum et oblatione fidelium sive quolibet alio justo titulo est adepta vel in futurum poterit adipisci, eximentes ipsas ab omni data, collecta seu exactione, ab omni angaria et ab omni onere cujuslibet servitutis. Concedimus etiam eidem sacre domui de munificentia liberali libertatem aquarum, herbarum, lignorum ubique per proprias imperii nostri terras ad suarum domorum usum et

utilitatem et ut de ipsis per totum imperium nichil ratione portatici, plateatici, falangatici, ripatici, tholonei vel alicujus alterius exactionis et juris, consuetudinis seu statuti in terra vel mari sive fluminibus vel aliis aquis solvere teneantur, firmiter statuentes ne quis fratres predictos de tenimentis et possessionibus hospitalis ejusdem sine judicio et justicia presumat aliquatenus dissaisire. De habundantiori quoque gratia nostra eidem domui et fratribus suis concedimus et perpetuo confirmamus ut quicumque aliquid de bonis imperii nomine feudi tenet et possidet libenter et libere tanquam proprium memorato conferre valeat hospitali. Statuentes et auctoritate presentis privilegii precipientes firmiter universis ne aliquis memoratam domum et fratres ipsius super predictis omnibus aliquatenus molestare presumat; quod qui presumpserit, in sue temeritatis vindictam centum libras auri puri componat, medietatem camere nostre et alteram medietatem passis injuriam persolvendam (*a*). Ad cujus rei certam evidentiam et perpetuam firmitatem presens privilegium fieri et bulla aurea typario majestatis nostre impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Ulricus Pataviensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Lodewicus dux Bavarie comes Palatinus Reni, Hermannus marchio de Baden, Diopuldus marchio de Hohenburch, Raynaldus dux Spoleti, Fridericus comes de Brenen, comes Everhardus de Elphenstein, Bertholdus comes de Sancto Monte, comes Ernestus de Velsecke, comes Conradus de Werdecke, Anselmus de Justingen imperialis aule marescalcus, Bertholdus de Alevelt, Conradus de Wulre (*b*), Bertholdus de Wangen, Sibertus de Ulmine, Hertwicus magister coquine, Cniftingus marescalcus (*c*), et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense aprilis, indictione nona, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper

(*a*) Haec a verbo *statuentes* usque ad *persolvendam* desunt ap. Duellium.

(*b*) Ap. Duellium *Wolne*: quod rectius videtur.

(*c*) Hic ultimus testis apud Duellium deest.

augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus primo, regni vero Sicilie XXIII, feliciter. Amen.

Datum Tarenti, anno, mense et indictione prescriptis (1).

Fridericus, Romanorum imperator, donationem a patre suo domui hospitalis Theutonicorum factam de castro Mezzaneo inter Brundusium et Oriam renovat, cum istud privilegium amissum fuisset tempore quo Brundisini contra eamdem domum insultum fecerant. Tarenti, aprili.

(Inedit. in *Archiv. reg. S. Severini* ap. Neapolim, ex originali cujus pars oblitterata difficile legi potest.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Excellentia im[perialis]. . . . . potestatis culmine preminemus, ita pietatis studio ceteris preeuntes omnibus prebeamus virtutis exemplum. . . . . liberalitatis. . . . . exercendo circa religionis

---

(1) J. Voigt (*Gesch. Preuss.*, t. II, p. 99, not. 3) tria transumpta hujus privilegii memorat, ann. scilicet 1320, 1336, 1353. Hoc ultimum idem est ac editio Duelliana. Primum autem in his differt quod vice *a predecessoribus nostris pietatis intuitu propagata* legitur *a divo quondam augusto domino imperatore Friderico avo nostro pietatis intuitu propagata*. Inter testes Ludewicus dux Bavariae, Raynaldus dux Spoleti et quidam alii non apparent; quorum loco comes Heinricus de Grenisbach (Greifisbach) et Albertus de Stutzelingen supplentur. Dies etiam mensis, videlicet *quarto idus aprilis*, sicut in tribus documentis quae supra edidimus notatur. Unde suspicamur istam fuisse concessionem diversam; quae autem materia fuerit, nescimus. Quod vero ad secundum transumptum anni 1336 in quo testes omnino praetermittuntur pertinet, nihil aliud est nisi privilegium Cathaniae datum, mense decembri hujus anni 1221. Voigt tamen quem editio a Mongitore data fugisse videtur, additionem de exemptione juris doanarum et de passagio Phari suspectam habuit et transumptum inter fictitia repulit, licet facilius admittendum sit concessionem istam primo Tarenti mense aprili datam postea ab imperatore apud Cathaniam fuisse renovatam.

augmentum et cultum divini nominis ampliandum. Eapropter notum facimus universis tam presentibus quam uturis quod nos meditatione piissima attendentes qualiter sacra domus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem a. . . . . Friderico avo nostro pietatis intuitu propagata in multiplices fructus prodiit . . . . quondam Henrico inclite recordationis patre nostro rebus ac libertatibus . . . . incrementum suscepit spiritualiter et . . . . fratrum dedicatorum ibidem ad divina officia cum fide devotio semper. . . . . necnon celebrem vitam et honeste religionis cultum quibus dilectus nobis in Domino frater Hermannus magister hospitalis ejusdem et fratres sui clarere noscuntur, labores etiam et sudores assiduos quos pro fide christianorum et gloria sustinent incessanter, quia nostre innotuit et claruit majestati quod predictus dominus pater noster pia liberalitate concesserat et donaverat eidem domui Mezzaneum castrum, videlicet in terra Ydronti, quod est inter Brundusium et Oriam cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis, et quod privilegium imperatoris ejusdem adveniente casu fuerat amissum, tempore videlicet quo Brundusini contra eamdem domum insultum temerarium facientes in ipsam et bona ejus nequiter et rapaciter irruerunt, intuitu retributionis eterne et pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum volentes quod idem imperator fecerat de liberalitate munifica innovare, castrum. . . . . cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis eidem domui hospitalis et fratribus supradictis donamus, concedimus et in perpetuum confirmamus. Statuentes et auctoritate presentis privilegii injungentes firmiter universis ne aliquis memoratam domum et fratres ipsius contra hanc nostram donationem, concessionem et confirmationem presumat aliquatenus molestare. Quod qui presumpserit, indignationem nostram et penam centum librarum auri se noverit incursurum, quarum medietas camere nostre, reliqua vero passis injuriam persolvatur. Ad hujus autem rei memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Johannis de Sancto Germano notarii et fidelis nostri fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Tarenti, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense aprilis, indictione nona, imperii domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. . . . . vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, hospitale Sancti Johannis infirmorum juxta Panormum plurimis molestiis jamdudum oppressum Hermanno magistro domus Sanctae Mariae Theutonicorum et fratribus ejus tenendum, conservandum et ampliandum donat et concedit. Tarenti, aprili.

(Edid. Mongitore, *Mans. S. Trinit. monum. Hist.*, cap. IV, p. 22, ap. Graevium, *Thesaurus antiquit. Sicil.*, t. XIV.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris Jesu Christi. Amen. Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Cum ad nostre cumulum respiciat majestatis circa ecclesiarum utilitates, earum maxime que juxta regni nostri confinia site sunt, vigilanter intendere; tanto benignius indemnitate hospitalis Sancti Johannis infirmorum tenemur invigilare, quia magis opus et factura manuum predecessorum nostrorum recolende memorie esse dignoscitur et intuitu oculorum nostrorum circa menia nostre felicis civitatis videtur fore fundatum. Hinc est igitur quod cum ex vastitate inimicorum crucis hospitale ipsum Sancti Johannis molestiis plurimis et iis retroactis temporibus sit oppressum, considerantes grata satis et accepta servitia que frater Hermannus venerabilis magister domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Hierusalem dilectus nobis in Domino nobis semper exhibuit tam fideliter quam devote, nec non celebrem vitam et honeste religionis cultum quibus idem magister et fratres sui clarere noscuntur, labores etiam et sudores assiduos quos pro fide christianorum et gloria sustinent incessanter, eterne

retributionis intuitu et pro remedio animarum progenitorum nostrorum recolende memorie et pro nostre salutis et glorie incremento, concedimus et donamus eidem magistro et fratribus predicte domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Hierusalem predictum hospitale Sancti Johannis infirmorum cum tenimentis et pertinentiis suis et casalia que semper tenere et possidere videbatur, tenendum, colendum, conservandum atque ampliandum, ita ut leprosi infirmi venientes undique ibidem more solito recipiantur, custodiantur et degant. De innata quoque nobis benignitate presenti privilegio eidem hospitali concessiones, possessiones atque donationes que ei a predictis predecessoribus nostris facte fuerunt perpetuo confirmamus, necnon et omnes bonos usus et consuetudines quas infirmi ibi degentes habere consueverunt, statuentes et auctoritate presentis privilegii injungentes firmiter universis ne aliquis memorate domus hospitalis magistrum et fratres ipsius super predicta concessione et donatione nostra aliquatenus molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam centum libras auri puri componat, medietatem camere nostre et alteram medietatem passis injuriam persolvendam. Ad concessionis et donationis nostre memoriam et perpetuam firmitatem presens privilegium per manus Joannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario (a) majestatis nostre impressa jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Tarenti, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense aprilis, indictione IX, imperii domini Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno nono (1), regni vero Sicilie vigesimo tertio, feliciter. Amen.

Tarenti, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, Robberto abbati Sancti Jo–

(a) In impresso *tympano*, male.

(1) Annus autem regni in Germania hic notatur, licet dicatur imperii.

hannis in Plano et conventui ejus concedit et confirmat omnia quae quondam Petronius comes Alexinae eidem domui donavit cum libertate aquarum, herbarum et lignorum usque ad decem milliaria in circuitu, excepta tantum villa Precinae, quam suo imperiali demanio reservat.

(Inedit. in confirmatione Roberti Siciliae regis, dat. Neapoli per Bartholomeum de Capua, ann. 1317, die 14 junii, XV indict., ap. *Regest.*, in archiv. Neapol., Litt. B. fol. 43-44; nisi quod ZAZZERA, *Famigl. nobil. d'Ital., famigl. Gentile*, p. 47 verso, partem quamdam hujus privilegii quod in Regesto lectu difficillimum est, concinnius exhibuit.)

In nomine Dei eterni Salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Etsi caduca sint omnia ac temporum diuturnitate labantur, sunt tamen ex hominibus aliqua perpetue stabilitati connexa, illa videlicet que divinis dedita cultibus hereditatis Dei funiculum [satagunt] inter homines ampliare, tunc precipue cum loca venerabilia in quibus principaliter Deo monastica regula militat muniunt munimine imperatorie majestatis et eis monimenta quae ipsa vetustas non diluit consideratione provida largiuntur. Eapropter notum facimus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos meditatione piissima attendentes qualiter sanctum monasterium Sancti Johannis in Plano a quondam Petronio comite Alexine pietatis intuitu propagatum multiplices fructus prodiit laude dignos et incrementum suscepit spiritualiter et temporaliter Domino famulando et ejus abbatis ac fratrum ibidem militantium Christo Jesu erga nostram magnificentiam cum fide devotio semper crevit, considerantes etiam celebrem vitam et honeste religionis cultum quibus dilectus nobis in Domino Robertus venerabilis abbas ejusdem monasterii Sancti Johannis et conventus ipsius clarescere noscuntur, eterne retributionis obtentu et pro remedio animarum progenitorum nostrorum recordationis inclite nec non pro salutis nostre ac victorie incremento ipsorum favori ac profectui intendentes, idem monasterium et ab ipso grangias quaslibet dependentes (?), fratres et oblatos ipsius cum omnibus bonis

stabilibus et mobilibus que in regno nostro rationabiliter possidet in presenti et que in antea justis modis poterit adipisci, necnon subditos etiam ejusdem monasterii largitate ipsorum negocia exercentes sub specialem protectionem ac defensionem majestatis nostre recepimus, eximentes eos ab omni onere et specie cujuslibet servitutis; et eidem monasterio in perpetuum confirmamus omnia privilegia, instrumenta et bona quelibet tam a nobis sibi pia liberalitate concessa quam ex donatione regum predecessorum nostrorum et oblatione fidelium sive quolibet alio justo titulo per regnum nostrum est adeptum et que in futurum poterit adipisci, de quibus hec ipsis vocabulis duximus exprimenda : in primis renovamus, concedimus et in perpetuum confirmamus predicto monasterio Sancti Johannis in Plano territorium et casale Sancti Trifoni cum pertinentiis suis, bona et possessiones existentes intra fines in quodam privilegio antiquo plenius designatas majestati nostre ostenso ex donatione facta eidem monasterio per quondam Petronium comitem Alexine qui predictum monasterium in proprio territorio demanioque sue civitatis Alexine edificavit, excepta villa nostra Precine que licet infra fines designatas in instrumento predicte donationis et dotationis ejusdem comitis sita esse noscatur, tamen de voluntate et consensu predictorum abbatis et conventus ejusdem monasterii in nostro demanio usque ad nostrum beneplacitum reservamus; necnon concedimus et confirmamus ipsi monasterio donationem factam eidem a predicto Petronio comite Alexine de ecclesia Sancti Nazarii de Caldulis cum suis possessionibus ac toto flumine qui oritur prope dictam ecclesiam et pergit usque ad Pantanum, sicut in quodam alio instrumento antiquo exinde ab eodem comite eidem monasterio facto majestati nostre ostenso plenius continetur (1). De habundantiori quoque gratia nostra concedimus eidem monasterio et fratribus suis in perpetuum libertatem aquarum, herbarum et lignorum ubique per terras consistentes et circumstantes (?) usque ad miliaria decem, et ut dehinc

(1) Hactenus Zazzera ab his verbis incipiens, scilicet *In primis renovamus*, additque hanc Petronii donationem a Matteo Gentili primo hujus gentis Alexinae comite jam confirmatam fuisse, qui tunc se intitulat *generalis capitaneus et magister justitiarius Apulie et terre Laboris.*

[in antea] pro platheatico, affidatura, consuetudinibus aut statutis aliquibus immunes et liberi conserventur. Mandamus igitur auctoritate presentis privilegii firmiter statuentes ne ulla unquam persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictum monasterium, fratres et omnia bona sua super predictis omnibus vel aliquo predictorum molestare presumat vel hujus concessionis et confirmationis nostre pagine ausu temerario obviare. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis et penam centum librarum auri se noverit incursurum, medietate camere nostre et reliqua medietate passis injuriam persolvenda. Ad hujus autem concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Johannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Tarenti, anno dominice incarnationis millesimo CC° XXI°, mense aprilis, indictione nona, imperante domino nostro Friderico invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno primo [imperii], regni vero Sicilie anno vicesimo tertio, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, Paganum Balduinum civem Messanensem monetae Brundusinae magistrum ejusque haeredes sub speciali protectione sua recipit, eisque concedit et confirmat locum inhabitatum dictum Viaregio in maritima in episcopatu Lucensi cum omnibus pertinentiis et integra ibidem voluntatem faciendi libertate. Tarenti, aprili.

(Edit. ap. *Memorie e docum. per servire all' istor. della città e stato di Lucca*, tom. III, p. 223. — Cianellius instrumentum venditionis ab haeredibus Pagani postea factae ibidem refert, additque: « Questi due documenti si ritrovano » in un libro di contratti nella libreria di S. Frediano segnato al di fuori V. » VI, tra i manoscritti che erano un tempo del celebre Florentini. »)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Sicut laude virtus accenditur, sic fides propensius ad majus studium incitatur et quanto propensius in remuneratione fidelium majus (manus) extenditur imperatorie majestatis, tanto fervet fidei devotio et virtus crescit fortior in subjectis. Eapropter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes multimoda et grata obsequia que Paganus Balduinus civis Messanensis magister monete Brundusine fidelis noster nobis et imperio exhibuit fideliter et devote et que in posterum operante Domino poterit exhibere, respicientes quoque ad fidei puritatem et devotionem quam ad nostram Excellentiam sinceriter habuit, ipsum Paganum suos que heredes de benignitate solita sub imperii nostri speciali protectione suscepimus cum omnibus bonis suis stabilibus et mobilibus que nunc juste possident et que in antea justo titulo poterunt adipisci, et ad majoris gratie nostre cumulum damus sibi suisque heredibus, concedimus et largimur ac in perpetuum imperiali auctoritate ex certa scientia confirmamus quemdam locum inhabitatum (1) juris nostri et imperii situm in maritima in episcopatu Lucensi qui dicitur Viaregio et olim ex antiquo Castrum maris fuerat nuncupatus cum omnibus pertinentiis suis, terris cultis et incultis, pratis, silvis, aquis, molendinis cum mixto et mero imperio, cum angariis et perangariis, cum jurisdictione plenaria, honore, districtu, cum omni jure quod habet imperium in predicto loco et ejus territorio; ita videlicet ut deinceps ipse Paganus et sui heredes libere et absolute habeant et possideant dictum locum cum omnibus supradictis, et faciant in ipso loco et de ipso loco omnem suam voluntatem in omnibus et per omnia, nulla contradictione obstante. Statuimus etiam et imperiali edicto firmamus et firmiter precipimus ut de cetero nulla civitas,

---

(1) Ex his verbis arbitrari licet castrum Viareggii quod destrui fecerat imperator Fredericus I anno 1175, ut referunt Tolomeus, *Annal.*, et Sercambius, *Chronac. di parte de' Fatti di Lucca*, non postea reaedificatum fuisse, nisi sub ista Balduinorum gente. Pagani vero haeredes communitati Lucensi Viareggium vendiderunt die 28 augusti anno 1286, ut constat e documento ibidem relato.

nullum commune, nullus comes, vice-comes nullaque persona magna vel parva, ecclesiastica vel secularis, contra hujus nostre concessionis, protectionis et confirmationis paginam dictum Paganum vel heredes de predicto loco et ejus territorio molestare audeat vel presumat, sed habeat plenam et liberam potestatem edificandi locum ipsum et excolendi (*a*) terras ad locum ipsum spectantes. Quicumque autem contra hanc nostre concessionis et confirmationis paginam venire presumpserit, indignationem nostram et penam . . . . librarum auri se noverit incursurum . . . . . . Ad cujus rei memoriam et inviolabile firmamentum presentem paginam conscribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus roborari.

Hujus rei testes sunt, etc. (*b*).

Data Tarenti, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense aprilis, indictione nona, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiam Anglonensem (in Basilicata) cum omnibus bonis ejus sub sua protectione recipit eique confirmat in perpetuum casale Angloni et homines quos habet in Tursio et Sancto Archangelo cum exemptione ab omni servitio et collecta. Tarenti, post curiam Capuae, [aprili.]

(Edit. ap. UGHELLI, *Ital. sacra,* tom. VII, 81-82, ex authentico copiali.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Etsi omnia caduca sint hominum ac temporum diuturnitate labantur, sunt tamen ex hominibus aliqua perpetua stabilitate connexa, illa videlicet que divinis addicata cultibus funiculum hereditatis Dei

(*a*) In impresso *extollendi,* male.

(*b*) Desunt nomina testium, sive Cianellius ipse ea praetermiserit, sive desiderentur in transumpto cujus supra mentio fit.

satagunt inter homines ampliare. Decet igitur imperialem excellentiam quod illis precibus benignius inclinetur que divino cultui precantur augmentum et sacro-sanctis ecclesiis protectionis nostre postulant indulgeri favorem. Notum itaque fieri volumus universis fidelibus regni nostri quod nos intuitu divine retributionis et pro remedio animarum felicium regum predecessorum nostrorum et felicis quoque memorie divi imperatoris patris nostri, intuitu etiam Beate Virginis in cujus nomine Anglonensis ecclesia noscitur esse fundata, ipsam ecclesiam cum omnibus bonis suis sub protectione culminis nostri recipimus, concedentes et confirmantes ecclesie supradicte in perpetuum casale Angloni cum omnibus tenimentis et pertinentiis suis, quorum tenimentorum et pertinentiarum fines sunt isti : incipit a vallone de Lauro et vadit per viam que ducit per caput Vulgari et vadit ad stratam Sancte Cenapure que dicitur strata franca et perducit ad flumariam Argri et per ipsam flumariam ducitur ad vallem Cupam et per cristam ipsius vallis ducitur per frontem de Cruce et descendit per vallonem de Cuntirato ad stratam que vadit Colubratum et per ipsam stratam ducitur per frontem de Briga ad flumen Sinni et ab ipso flumine ducitur ad vallonem de Lauro ubi concluditur. Concedimus etiam predicte ecclesie Anglonensi homines quos habet in castris Tursii et Sancti Archangeli et omnia que in presentiarum juste et rationabiliter possidet vel que in antea justo titulo poterit adipisci. Insuper eximimus ipsam ecclesiam et prelatos ejus . . . . . . ejusdem casalis et diocesis ejus, homines et vassallos ipsius ab omnibus servitiis, taliis, collectis et exactionibus curie nostre et successorum nostrorum, comitum et baronum, et nihil nobis et successoribus nostris in prelibatis ejus hominibus et vassallis ipsius penitus reservamus, preter judicium sanguinis et quod prelati ejus nobis et successoribus nostris in perpetuum facient et juramentum prestabunt fidelitatis. Mandamus igitur et imperiali sancimus edicto ut nulli omnino hominum liceat hanc nostre concessionis et confirmationis infringere paginam vel ei ausu temerario contraire. Ad hanc autem concessionis et confirmationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Tarenti post curiam Capue celebratam, imperii nostri anno vigesimo primo. . . . . . (1).

---

*Fridericus, Romanorum imperator, privilegium Henrici imperatoris patris sui confirmat, datum Bari, 11 aprilis, tertia decima indictione (1195), quo ecclesiae Sancti Nicolai de Baro donavit terram dictam Lamam Ursuram sitam in tenimento civitatis Materae (2). Tarenti, 16 aprilis.

(Memorat. ap. Volpe, *Memor. stor. di Matera*, p. 216, ex testimonio Nic. Putignani, *Stor. della vita e translaz. di S. Nicolo.* — Cf. Beatillo, *Istor. di S. Nicolo*, lib. VII, p. 456.)

Datum Tarenti, anno dominice incarnationis MCCXXI, XVI kalendas maii, indictione nona.

Fridericus, Romanorum imperator, Palumbo abbati et conventui sanctae Mariae de Sagittario Cisterciensis ordinis terras laborato- Tarenti, post curiam Capuae, 24 aprilis.

---

(1) Non dubitandum quin legendum sit *anno incarnationis Dominice vigesimo primo.* Locus autem omnino mutilus videtur, quum desit mensis et indictionis notatio. Facile autem ex praecedentibus supplebit lector. Ad diem 21 aprilis 1221 hoc documentum, qua tamen auctoritate nescimus, reposuit Martucci, *Ragionam. intorno al pieno domin. della R. mensa vescov. di Anglona.*

(2) « Il re Manfredo ancora in una carta di donazione spedita in Foggia nel 1264, 6 aprile, » testifica aver l'imperadore patre suo donato in perpetuo sopra la doana di Bari ogni anno » alla chiesa stessa un' oncia e mezza d'oro per comprarne alla festa dello sabbato sancto il » cereo pascale, et egli ad imitatione del padre vi aggiunse di piu la valuta di sessanta lire di » cere sopra la doana medesima per farne un cereo assai grande da servire nella festa di » translazione del santo. » Beatillo, *Istor. di S. Nicolo*, lib. VII, p. 456.

rias et forestam terrae Ordeoli donat et concedit, eisque possessiones, libertates et immunitates ibidem expressas confirmat.

(Edid. Greg. Laurus, *B. Joachim abb. Florens. mirabilium veritas defensa*, p. 44-46, ex arch. monast. Sagittar.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Decet imperialem excellentiam et dignitatem ut quanto solium suum pietatis et justitie studio adornatur, tanto piis et justis postulationibus supplicantium benignius condescendat. Inde est igitur quod divine pietatis intuitu, pro remedio quoque animarum felicium quondam progenitorum nostrorum dive recordationis, attendentes etiam vitam laudabilem et sanctam ordinis Cisterciensis et conversationem quam vivitis, donamus, concedimus et in perpetuum confirmamus vobis venerabilibus abbati Palumbo fideli nostro et conventui Sancte Marie de Sagittario et successoribus vestris terras laboratorias et forestam nostram terre Ordeoli in loco qui dicitur de Ventroso, qui talibus divisis et terminis separatur : ab oriente incipit a vallone qui dicitur de Marino in quo est lacus de la Muta et descendit per Muricem et ascendit per grandem Serram et vadit per ipsam Serram usque ad lacum qui dicitur de Ventroso, et ab ipso lacu vadit per viam usque ad fontem Vulture et descendit ad Muricem Caldum et deinde descendit ad fontanam de Juncis et deinde vadit ad Muricem de Appio qui est a parte Boree, et a Murice de Appio descendit per Muricem de la Petrada, et deinde vadit usque ad predictum vallonem de Marino et per ipsum vallonem descendit ubi incipit claudendo tenimentum, liberam et quietam ab omni onere servitutis et qualibet molestia. Concedimus etiam vobis et confirmamus in primis locum ipsum de Sagittario in quo ipsum monasterium situm est cum juribus, honoribus et pertinentiis suis et largo tenimento circa ipsum monasterium a quorumcumque baronum, comitum, principum et dominorum nostra dignitate inferiorum molestia et a quolibet servitutis jugo liberum et quietum. Concedimus insuper vobis et confirmamus ac de novo auctoritate imperii perpetuo damus et concedimus merum et

mixtum imperium sine aliquorum dominorum quorumcumque molestia et vexatione cujuscumque auctoritatis et dignitatis existant, possessiones et libertates quas dono Rainaldi de Guasto comitis sancti Marci ipsum monasterium possidet et tenet, videlicet locum Sancte Agathe inter Malvetum et Sangenetum quem locum vobis predictus comes largitus est, sicut in instrumento publico quod inde vobis fecit et nobis clarissime constitit plenius continetur (1). Concedimus etiam vobis et perpetuo confirmamus tenimentum Rotunde maris et Trisagie, que tenimenta quondam magnifica domina Albereda pro remedio animarum magnificorum progenitorum suorum necnon et pro salute anime sue eidem monasterio concessit et dedit cum omnibus juribus et pertinentiis et honoribus suis, cum introitibus et exitibus suis, cum arboribus, cultis et incultis, aquis, herbis, pascuis, molendinis factis et reficiendis et omnibus intra se habitis et contentis; que omnia predicto monasterio donamus et de novo concedimus et confirmamus libere et absolute ut amodo in antea dictas terras, bona, loca, forestam, tenimenta et omnia predicta predictum monasterium in perpetuum habeat, teneat et possideat absque cujuslibet contrarietate vel exactione servitii, percipiat etiam affidaturas ab hominibus extraneis qui animalia in tenimentis ipsis ad sumendum pascua duxerint, et animalia dicti monasterii que fuerint in custodiam ejus necnon animalia hominum et pastorum et servientium ipsius monasterii per totum tenimentum Ordeoli, Roseti et per totum demanium nostrum et ubicumque fuerint libere inde pascant, commorentur, capiant et habeant quecumque necessaria, aquas sive glandagia et herbagia, caulas ibidem

---

(1) Jam antea anno 1210 Gregorius Sancti Theodori diaconus cardinalis ecclesiam Sanctae Agathae monasterio de Sagittario confirmaverat per privilegium datum Panormi, 4 idus octobris, indictione 13, anno Innocentii tertii duodecimo. Cf. LAURUS, *ibidem*, p. 44. Adsunt etiam ap. eumdem in *Vita B. Joh. a Caramola*, p. 13 et 15, duo instrumenta Raynaldi de Guasto comitis Sancti Marci: primum quo ille una cum Agnete consorte sua et Riccardo sororio suo, filiis Ugonis de Claromonte, donat Sicelium ecclesiae Sanctae Mariae de Bonavalle noviter fundatae in pertinentiis monasterii de Sagittario, anno 1203, augusto, sextae indictionis, regnante Friderico anno 6; alterum quo novam eidem monasterio concessionem indulget, anno 1214, martio, secundae indictionis.

etiam facere valeant; et ut fratres et homines dicti monasterii per omnia tenimenta predicta et loca necnon et terras nostras totius nostri demanii ac etiam baronum, comitum, marchionum, ducum, principum et omnium aliorum dominorum totius regni Sicilie libere vendant et emant, ducant animalia et reducant et quascumque res extrahant ad libitum voluntatis eorum absque exactione datii, gabelle, passagii et plateagii. Si vero aliquod damnum ab hominibus monasterio et hominibus ejus quomodolibet fuerit illatum, vicinaliter emendetur absque pena prohibitionis banni; nolumus enim ut de ullo banno teneantur fratres, oblati, domestici et homines et ceteri vasalli et subditi ac servientes predicto monasterio ubicumque commorati fuerint, nisi imperio et excellentie dignitatis nostre, nec ab aliquo domino quacumque auctoritate prefulgeat molestentur aliqua ratione vel causa, castigentur, corrigantur, astringantur aut condemnentur tam civiliter quam criminaliter nisi a prefato domino abbate et successoribus suis canonice intrantibus, quorumcumque nihilominus baronum, comitum, marchionum, ducum, principum et aliorum dominorum temporalium strepitu, potentia et timore depulsis. Unde pro excellentia et libertate dicte ecclesie volumus et consulte gratiose concedimus et expresse mandamus dictum abbatem et qui pro tempore fuerit nullum alium superiorem habere in omnibus causis tam civilibus quam criminalibus, et adversus omnes suos subjectos vel subditos et vasallos utriusque sexus cum suis mobilibus omnibus et stabilibus [qui] se ipsos ipsi monasterio in vita vel in testamento reddere vel offerre voluerint, sicut in mortificatis fieri solet, liberam habeant potestatem. Addentes etiam et confirmantes abbati et conventui dicti monasterii ut liceat eis in predictis tenimentis, locis, terris, homines adventitios attrahere et habere in recommendationem necnon recipere ad habitandum tam de demanio nostro quam de terris ceterorum dominorum, et quod ipsi homines aquas, ligna, herbagia et cetera necessaria libere percipiant in tenimentis et terris supradicti, nec alicui persone teneantur nisi predictis abbati et monasterio respondere, et de quibuscumque questionibus nullo modo nisi in curia dicti monasterii debeant conveniri, exceptis tantum hominibus extraneis in omnibus causis quos ad curiam nostram volumus pertinere

ibidemque conveniri. Preterea confirmamus et perpetuo sancimus edicto ut fratres ipsius monasterii in omni libertate ordinis Cisterciensis et privilegio eorum, cum omnibus concessionibus vel confirmationibus pontificum aut regum quondam progenitorum nostrorum felicis memorie seu nostra donatione vel justa oblatione quorumcumque fidelium que modo habent vel in antea poterunt adipisci, quiete, pacifice et absque qualibet contrarietate perpetuo conserventur; prohibentes nihilominus et expresse mandantes ut nullus cujuscumque gradus, conditionis, auctoritatis aut dignitatis vel preeminentie infra curtim ipsius monasterii vel granciarum ejus qualibet occasione insultum facere aut homines capere vel ipsum monasterium in personis, rebus, bonis, necnon in subditis intus vel extra temere perturbare aut in aliquo damnificare presumat. Confirmamus quoque et de novo concedimus ipsi monasterio pro remedio animarum felicis memorie progenitorum nostrorum ut repetito annorum calculo anniversaria conventus ejusdem monasterii faciat, similiter et pro nobis et successoribus nostris cum nos Deus voluerit de hoc seculo transmigrare, [et] per singulas hebdomadas recipiat a salina Bragalli salmam unam salis. Statuimus quoque auctoritate nostra et imperiali firmiter sancimus edicto ut nulla persona, publica vel privata, humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica et nostra dignitate inferior, hanc nostre protectionis, donationis et confirmationis paginam audeat infringere vel retractare aut eam ausu temerario quomodolibet contraire; quod si quis contra facere presumpserit, si reatum suum infra quadraginta dies non condigna satisfactione correxerit et eidem monasterio integraliter satisfecerit, bannum nostrum se noverit incursurum et pro pena temeritatis sue quinquaginta libras auri purissimi componat, medietatem curie nostre, reliquam vero ecclesie cui damnum intulerit. Ad cujus rei in posterum evidentiam presentem inde paginam conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Actum Tarenti post curiam Capue celebratam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, vigesimo quarto mensis aprilis, decime indictionis, imperii vero domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, et regis

Hierusalem anno secundo, et regni Sicilie vigesimo quarto, feliciter. Amen (1).

Messanae, maio.

Imperator caeteris de regno sibi colla flectentibus, per Apuliam et Calabriam iter habens feliciter in Siciliam transfretat. Et Messanae regens curiam generalem quasdam ibi statuit assisias observandas contra lusores taxillorum et alearum nomen Domini blasphemantes, contra Judaeos ut in differentia vestium et gestorum a christianis discernantur, contra meretrices ut cum honestis mulieribus ad balnea non accedant et ut earum habitatio non sit intra moenia civitatum, contra joculatores obloquentes ut qui in personis aut rebus illos offenderit pacem non teneatur imperialem infringere. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Apud Messanam, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, Ildibrandum comitem palatinum de Tuscia, civitatem ejus Grosseti et quosdam ejusdem comitis fideles, quorum nomina inseruntur, cum eorum bonis stabilibus et mobilibus sub protectione sua speciali recipit, in demanio suo proprio et imperii retinendos.

---

(1) Numerus indictionis et annorum imperii regnique, quum melius anno 1222 conveniret, notatio insuper regni Hierusalem quae non ante annum 1225 exeuntem prodiit, causae fuerunt unde hoc diploma suspectum habuerit Vargas Macciucca, *Esame delle vantate carte di S. Stefano del Bosco*, p. 498. Vocem autem *Hierusalem* mendose pro *Sicilie* in impresso irrepsisse liquet. De caetero quum Sagittarienses chartas ex negligentia monachorum dispersas frustra Laurus requisiverit seu oblitteratas invenerit, non mirandum est si istam minus correcte, forsan quamdam copiam corruptam secutus, ediderit.

(Edider. MURATORI, *Antiq. Italic.*, tom. I, p. 391. — LAMI, *Delic. erudit.*, t. III, p. 254, et *Monum. S. Eccles. Florent.*, t. I, p. 473.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Justis fidelium postulationibus imperialis clementia benevolum debet assensum impendere et illos favorabili debet affectu prosequi quos fidei puritas et grata servitia nobis exhibita plurimum recommendent. Eapropter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos respicientes ad puram fidem et sinceram devotionem quam dilectus fidelis noster Ildibrandus (1) comes Palatinus de Tuscia ad nostram excellentiam habet fideliter et constanter, considerantes quoque preclara obsequia que nobis et imperio incessanter exhibuit et in antea devotius exhibebit, volentes eidem comiti pro meritis respondere, civitatem suam Grosseti et universos cives ejusdem cum omnibus bonis suis que nunc possident et in antea possidebunt nec non infrascriptas personas quas propriis nominibus duximus inferius denotandas, videlicet Panogliam et Manglantem comites cum illis de domo sua, Ugonem de Valcortese et fratres suos, Ugotionem de Saxoforti et fratres ejus, Panfolliam de Collis, Gerardum de Vignali et Gualfredum fratrem ejus, Ranerium de Mendico et Guidonem fratrem ejus, Guidonem vicecomitem de Montalto, Mantum de Grosseto et filios, Gerardum Bennardinum de Omazano, comites Gherardescos, filios comitis Engerami de Biserno, Ugolinum filium vicecomitis de Campilio, Bonifacium comitem de Civitella et illos de domo sua, Gregorium de Sancto Geminiano, Cacciacomitem de Collis et fratres ejus, Ranaldum de Collis et illos de domo sua, Pennatum et illos de domo sua, vicedominos de Massa, Manetum de Scolari et fratres ejus, Anricum de Aritio et fratres ejus, et Bernardinum de Maliano fideles nostros et comitis memorati cum omnibus suis feudis que ipsi a predicto comite possident et recognoscunt et que predecessores eorum a predecessoribus ejusdem comitis possederunt et tenuerunt necnon et cum aliis

(1) Nomen scilicet huic genti speciale, posteriori tempore *Aldobrandini*.

bonis suis stabilibus et mobilibus sub nostra protectione speciali et defensione imperii suscepimus, et eos ac heredes eorum demanio nostro proprio et imperii recepimus perpetuo retinendos. Concedentes eisdem suisque heredibus ac imperiali auctoritate ex certa scientia confirmantes omnes terras, possessiones, tenimenta et bona omnia stabilia et mobilia que nunc possident et in posterum dante Domino poterunt adipisci. Statuimus igitur et imperiali edicto firmiter sancimus ut de cetero nulla civitas, nullum commune, nullus comes, vicecomes et nulla unquam persona magna vel parva, ecclesiastica vel secularis, predictos fideles nostros et comitis pretaxati vel eorum heredes, civitatem etiam prefatam et cives ejusdem contra hujus nostre protectionis et confirmationis paginam audeant molestare vel modo aliquo. . . . . , sed sub nostra protectione et defensione et demanio nostro et imperii liberi et quieti consistant. Quicumque autem contra hanc nostram protectionem et confirmationem venire presumpserit, indignationem nostram se noverit graviter incursurum et pro pena centum libras auri optimi compositurum, medietatem quidem camere nostre, aliam medietatem injuriam passis. Ut autem hec nostra concessio et confirmatio robur obtineat perpetuum et inviolabile firmamentum, presens privilegium scribi et sigillo nostre celsitudinis jussimus inferius roborari.

Hujus rei testes sunt Gualterius Cataniensis episcopus regni Sicilie cancellarius, Berardus Panormitanus archiepiscopus, Nicolaus Tarentinus [archi] episcopus, Berardus Messanensis archiepiscopus (1), Diupoldus marchio de Hoburg, Rainaldus dux Spoleti, Anselmus de Justingen marescalcus, Conradus de Verda camerarius, Friderigus de Stoph pincerna.

Signum domini Friderici invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Datum apud Messanam, anno dominice incarnationis M. CC. XXI, mense madii, indictione IX, regnante domino Frederico Romanorum

---

(1) In impressis nomina perperam intervertuntur hoc modo : « *Berardus Tarentinus episcopus* (sic), *Messanensis archiepiscopus Nicolaus.*

imperatore glorioso, semper augusto, et rege Sicilie, anno regni ejus in Germania IX, [Sicilie] XXIII, imperii vero ejus anno primo, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sanctae Mariae Montis Virginis concedit et confirmat homines et possessiones quasdam in tenimento Magdalonis, nec non et hospitale pauperum de Nuceria et totum quod possidet in territorio Sarni. In civitate Messanae, maio.

(Inedit. in *Archiv. mon. Montis Virg.*, vol. VIII, nº 62. Quod quidem daturi in transumpto ipsius imperatoris Friderici ad ann. 1224, mense junio, hic tantummodo locum, annum et mensem ad ornandam documentorum seriem indicamus.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Cum inter cetera pietatis opera, etc.

Datum in civitate Messane, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense madii, indictione nona, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sanctae Mariae de Noaria Cisterciensis ordinis, Messanensis dioecesis, privilegia sibi juxta constitutionem Capuae editam praesentata restituit et confirmat. In civitate Messanae, maio.

(Edit. ap. PIRRO, *Sicil. sacr.*, t. II, supplem. p. 1294, sed incorrecte, ut ibi solet.)

Fridericus Romanorum imperator, semper augustus, [et] rex Sicilie. Cum sanctas ecclesias et loca venerabilia quibus placens Deo religio noscitur militare piis (a) mentis nostre oculis intuemur et ea votive liberalitatis mu-

(a) Ap. Pirrum *judicare et* : quod sensu omnino caret.

nimine roboramus, majestatis nostre officium quod ab ipso Domino omnium largitore sumpsit exordium laudabiliter exequi et apud eum premia propter hoc recipere credimus sempiterna. Inde est quod tu, venerabilis abbas monasterii Sancte Marie de Noaria ordinis Cisterciensis diocesis Messanensis, fidelis noster, ad nostram presentiam veniens juxta constitutionem (*a*) nostram Capue solemniter promulgatam, nostre curie presentasti indulta monasterio tuo privilegia quondam domini imperatoris Henrici et domine Constantie divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, humiliter supplicando ut eadem privilegia tibi et ecclesie tue nostra dignaretur serenitas confirmare. Nos itaque tuis justis postulationibus benignius inclinati tibi privilegia ipsa restituimus pro monasterio tuo et in ea (*b*) que in ipsis continebantur, sicut ante obitum domine imperatricis Constantie matris nostre dive memorie dictum monasterium tuum eadem pacifice possidebat, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus itaque confirmationis nostre memoriam et perpetuum robur ac firmitatem presens privilegium per manus Philippi de Platia notarii et fidelis nostri scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in civitate Messane, anno incarnationis dominice MCCXXI, mense maii, prima indictione, imperii domini nostri Friderici semper augusti anno XI, regiminis regni Sicilie XXII. Amen (1).

Catanae, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, Benedicto abbati monasterii Sanctae Mariae Roccamatoris de tenimento Messanae privilegia

(*a*) *Consuetudinem*, male.
(*b*) Legendum fortasse : *et omnia* [*confirmamus*].

(1) Notae quoque chronologicae hujus privilegii pessime exhibentur, cum indictio tunc temporis nona fuerit, annus imperii I et regni Sicilie XXIII exiens seu XXIV incipiens.

Bartholomaei quondam comitis Paternionis et imperatoris patris sui sibi juxta constitutionem Capuae editam praesentata restituit et omnia quae continebantur in eis confirmat, quasdam donationes et immunitates de propria liberalitate superaddens.

(Edit. ap. PIRRO, *Sicil. sacr.*, t. II, p. 1283-1284, ex libr. Praelator. in cancellar. fol. 387.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis et singulis tam presentibus quam futuris quod post solemnem nostram curiam quam Capue celebravimus ubi de resignandis privilegiis universis edictum fecimus generale, religiosus vir frater Benedictus venerabilis abbas monasterii Sancte Marie Roccamatoris de tenimento Messane Cisterciensis ordinis diversa privilegia, scilicet Bartholomei de Lucis comitis quondam Paternionis dilecti consanguinei et fidelis nostri predicti monasterii fundatoris de suis donationibus ac renunciationibus infrascriptorum bonorum, possessionum et locorum suorum cum divisionibus eorumdem per dictum comitem dicto monasterio liberaliter, egregie et sufficienter dotato factis, nec non et alia quam plura domini imperatoris Henrici divi augusti patris nostri recolende memorie nostre curie resignavit, humiliter supplicans ut ea sibi restituere et quidquid continetur in ipsis privilegiis dicto monasterio concedere et confirmare libere de nostra gratia dignaremur. Nos vero justis petitionibus ejus inclinati, omnium predictorum privilegiorum tenore per omnia diligenter inspecto, abbati eidem supradicto pro parte monasterii sui et monasterio antedicto privilegia omnia supradicta tam dicti comitis Bartholomei quam etiam domini quondam patris nostri restituimus gratiose universa et singula, quecumque continentur in ipsis privilegiis predicto monasterio sub nostra protectione suscepto ab omni onere cujuslibet servitii temporalis nec non et a quolibet genere servitutis libera de speciali gratia acceptantes, concedentes et in perpetuum confirmantes. In primis apud Siciliam in tenimento prenominate civitatis Messane, etc. [Hic recenset bona omnia, casalia, vineas, domos, oratoria jam in supe-

rioribus Bartholomaei privilegiis (1) ex nomine expressa.] Has itaque prenominatas libertates et possessiones omnes liberas, oratoria, loca, bona omnia cum suis proprietatibus, pertinentiis et libertatibus supradictis per predictum comitem Bartholomeum predicto monasterio sancte Marie Roccamatoris donata, oblata atque concessa et per nos ab omni servitio et temporali servitute totaliter ut supra scribitur seriatim et generaliter liberata necnon et alias libertates et gratias, acceptationes et concessiones a domino imperatore Henrico, patre nostro, eidem monasterio elargitas liberaliter concedimus et confirmamus in perpetuum per presens privilegium liberrime possidenda, habenda et usufruenda pacifice, quiete atque integraliter, sic quod pro predictis omnibus vel propter aliquod predictorum nunquam dare, prestare, solvere aut accommodare sive etiam servire curie nostre vel alicui hominum temporaliter teneatur, et quod amodo quecumque bona non feudalia in regno nostro dicto monasterio donata fuerint

---

(1) « In primis videlicet in tenimento Messane a parte meridiana domos et vineas meas que » sunt circum circa eamdem ecclesiam per me cum predictis domibus fabricatas. Item et in » contrata de Palearii vineam meam sitam juxta vanellam et vias publicas et secus vineam ec- » clesie Sancti Clementis. Item juxta flumariam Camare et prope molendinum ecclesie Sancte » Marie Magdalene de Josaphat vineam meam que dicitur de Perreno. Item in contrata Sancti » Philippi parvi vineam meam quam emi a Guillelmo de Raymundo. Item juxta flumariam » que dicitur de Catarractis terras meas cultas et incultas cum omnibus arboribus domesticis » et sylvestribus sitas juxta tenimentum Paternionis. Item infra menia Messane in magna rua » ejusdem civitatis fundacum meum situm juxta domum ecclesie Sancte Marie Monialium de » Messana mediante vanella et secus vias publicas meis propriis expensis et fructibus fabrica- » tum. Item stabulum meum cum suo puteo quod est ante ipsum fundacum juxta domum Ray- » mundi prout est mediante muro communi et secus vanellas publicas. Item in eadem magna » rua duas domos meas cum casalino meo quod est in medio ipsarum domorum, etc. Item in » rua Sancti Juliani butticellariam meam sitam juxta domum Siccarine de Pista mediante » vanella communi, etc. Item in rua Florentinorum domum meam soleratam que est ante domum » Zacchi. Item in contrata ecclesie Sancti Luce domos meas ad diversas clausuras soleratas » cum casalino meo ipsis domibus contiguo. Item in tenimento ejusdem civitatis Messane in » contrata septentrionis videlicet in contrata Masse terras meas laboratorias et sylvestres juxta » terras Sancti Salvatoris de Bordonaro. » *Privileg. Bartholomaei comitis,* dat. ann. 1193, 9 septemb., *ibid.*, p. 1280. Adest alterum ejusdem p. 1282, dat. ann. 1197, 4 octobr., quo praecedentibus addit donationes in tenimentis Milatii, Monfortis, Tauromenii, Paternionis, Minaei et apud Calabriam.

aut legata liceat fratribus ejusdem monasterii percipere atque ad ipsius monasterii opus perpetuo retinere. Insuper de abundantiori nostre munificentie pietate, considerata religiositate et charitate fratrum Dei et virginis Marie filio Jesu Christo Deo Domino nostro famulantium die noctuque in predicto sacro monasterio reverenter, eorum sacris orationibus adjuvari apud ipsum Dominum jugiter affectantes, cum remunerationis intuitu et pro animabus divorum augustorum parentum progenitorumque nostrorum nostraque salute superaddendo concedimus, donamus et assignari volumus fratribus predicti monasterii perpetuo apud Oliverium de tonnaria nostra Oliverii vel de quacumque alia tonnaria nostra in Sicilia maluerint, ibidem tonnine primitus in ipsa tonnaria capiende barrilia viginti fustibus et sale curie nostre pro ipsis per nostram curiam totaliter preparata, et quod fratres ejusdem monasterii habeant pro propriis animalibus suis glandaticum et herbaticum liberum ac sine ulla datione, et incidant libere trabes, lignamina, palos, ligna, spinas ac omnia ipsis pro monasterio predicto et locis suis necessaria de quibuscumque pascuis, nemoribus et sylvis curie nostre in toto regno nostro sibi eligendis, et eadem atque eorum omnia victualia et animalia tam per mare quam per terram libere extrahant et libere deduci perpetuo ad sua loca faciant, et in eundo vel redeundo, in emendo aut vendendo quodcumque voluerint, ab omni genere exactionis, collecte, angarie, pedagio aut passagio fluminum vel pontium cum familia eorumdem per totum regnum nostrum in perpetuum liberi sint et immunes atque perpetua gaudeant libertate; et quod omnes persone et famuli ipsius monasterii ibi habitantes de civilibus causis semper in curia sua et non alibi debeant conveniri. Ad hujus autem nostre restitutionis, protectionis, libertatis, concessionis et confirmationis memoriam et cautelam predicti monasterii perpetuo valituram, presens privilegium sibi exinde fieri jussimus per manus Joannis de Panormo, notarii et fidelis nostri, sigillo majestatis nostre cereo roboratum.

Datum Catane, anno incarnationis dominice MCCXXI, mense maii, indictione IX.

. . . maio.

Fridericus, Romanorum imperator, Hectori abbati Sanctae Mariae de Picciano privilegia hujus ecclesiae confirmat.

(Memorat. ap. ANTINORI, *Memor. degl' Abruzzi*, t. II, 92.)

[Datum. . . . ., anno dominice incarnationis MCCXXI, mense maii, indictione IX.]

Messanae, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, Gottefrido comiti de Blandrato dilecto fideli suo concedit et confirmat comitatum Romandiolae cum plena jurisdictione et omnibus juribus, non obstante aliqua concessione Ugolino de Juliano vel alii personae facta.

(Edid. FANTUZZI, *Monum. Ravenn.*, tom. IV, p. 338, n° CIV, ex tabul. arch. Ravenn., capsa L, n° 4893.)

Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Sub largifluo principe letatur fidelitas subjectorum et crescit in eum amplior devotionis effectus. Beneficia namque impensa fidelibus et mentem infidelitati (?) subjecti et gloriam magnificant imperantis. Eapropter notum facimus universis nostri imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos respicientes ad fidei puritatem et devotionem sinceram quam dilectus fidelis noster Gottefredus comes de Blandrato (1) ad nostram excellentiam habuit fideliter

---

(1) HANSSELMANN, *Diplomat. beweiss für des Hauses Hohenl.*, I, p. 375 et seqq., n° XV, magnopere sed frustra elaboravit, ratus hunc Gotfridum de Blandrato originem ex Hohenloica domo sumpsisse, cum Gotfridus de Hohenlohe anno 1235 cum titulo comitis Romaniolae pluries

et constanter, considerantes quoque multimoda et preclara obsequia que olim nobis exhibuit et exhibet incessanter atque in antea prestante Domino nostre serenitati poterit exhibere, volentes sibi de tantis et tam gratis servitiis digna vicissitudine respondere, comitatum Romandiole integraliter cum omnibus suis confiniis et pertinentiis eidem comiti damus, concedimus et largimur atque imperiali auctoritate ex certa scientia confirmamus cum plena et integra jurisdictione, cum potestate animadvertendi gladio in facinorosos, cum fodris, collectis, passagiis et tholoneis, cum honore, districtu et dominatu, cum angariis et perangariis tam in civitatibus quam in castris, burgis, villis, tam etiam in hominibus quam in terris nobis et imperio in ipso comitatu pertinentibus cum proventibus nostris et redditibus universis. Dantes eidem et concedentes plenam et liberam potestatem ut ipse possit homines ejusdem comitatus bannire et absolvere a bannis, possessiones dare et auferre tam in civitatibus quam in castris, burgis et villis, et omnia alia facere et exercere in ipso comitatu que nos et imperium exercere possemus, donec nostro placuerit beneplacito et voluntati, sine contradictione et molestia alicujus. Statuimus igitur et imperiali edicto firmiter sancimus ut de cetero nulla civitas, nullum commune, nulla potestas, nullus imperii legatus, nullus comes, vicecomes, nulla unquam persona magna vel parva, ecclesiastica vel secularis, dictum comitem super predicto comitatu sibi a nostra serenitate concesso donec nostre placuerit voluntati contra hujus nostre concessionis et privilegii paginam inquietare, perturbare vel molestare audeat in aliquo vel presumat. Quicumque autem hoc attemptare presumpserit. . . . . [gra]viter incursurum et pro pena sue temeritatis mille libras auri optimi compositurum, medietatem camere nostre, aliam medietatem comiti memorato. Et ut hec nostra concessio et confirmatio robur obtineat et inviolabile firmamentum presens privilegium scribi et nostre majestatis sigillo jussimus inferius roborari, nonob-

---

appareat; qua de re epistolas epistolis cum doctissimo Muratorio mutavit. Muratorius autem nullum ei de hac disquisitione argumentum afferre potuit, dum isti duo Gotfridi, licet nomine similes, personae omnino diversae sint.

stante aliqua concessione facta Ugolino de Juliano sive privilegio vel rescripto eidem vel alii persone facto a nobis vel a curia nostra de predicto comitatu; que omnia si que facta sunt ex certa scientia cassamus et penitus in irritum revocamus.

Hujus rei testes sunt Berardus Panormitanus archiepiscopus, Berardus Messanensis archiepiscopus, Diupoldus marchio de Hoenburgh, Raynaldus dux Spoleti, Anselmus de Justingen marescalcus, Conradus de Werda camerarius, Fridericus de Stofe pincerna, et Albertus de Saxo.

Datum Messane, anno dominice incarnationis MCCXXI, indictione nona, mense junii, feliciter. Amen.

Messanae, 13 Junii.

Fridericus, Romanorum imperator, universis hominibus per Romaniolam constitutis notum facit se Gottefrido comiti de Blandrato fideli suo concessisse et donasse comitatum Romaniolae cum omnibus pertinentiis et plena jurisdictione, mandatque sub obtentu gratiae suae et pena mille librarum auri ut eidem comiti respondeant et intendant.

(Edid. Fantuzzi, *Monum. Ravenn.*, tom. IV, p. 341, n° CVI, ex tabul. arch. Ravenn., caps. M, n° 3844.)

Fredericus Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis. . . . . consiliis et communibus civitatum, castrorum et locorum ceterisque hominibus per comitatum Romaniole constitutis ad quos littere pervenerint fidelibus [suis] gratiam suam et bonam voluntatem. Per presens scriptum vobis volumus fieri manifestum quod nos propter multa et honesta servitia que nobis dilectus noster Gutfredus comes de Blandrato nobis devote exhibuit et exhibet incessanter, volentes eidem de tantis obsequiis pro meritis respondere, comitatum Romaniole cum omnibus suis pertinentiis et confiniis

et cum omni jure nostro et imperii sibi concessimus et donavimus ac imperiali auctoritate ex certa scientia confirmavimus privilegio speciali. Volentes itaque ut ea que nostris fidelibus de certa scientia concedimus et largimur robur obtineant et inviolabile firmamentum, vobis universis et singulis sub obtentu gratie nostre et debito fidelitatis ac banno mille librarum auri districte precipiendo mandamus quatenus visis et intellectis presentibus litteris, de predicto comitatu et de omnibus que ad comitatum ipsum pertinent tam in civitatibus quam in castris, burgis et villis nec non et de omnibus rationibus, proventibus, fodris et collectis nobis et imperio pertinentibus in comitatu jam dicto eidem comiti tanquam persone nostre in omnibus et per omnia respondeatis et intendatis, non obstante aliqua concessione facta de ipso Ugolino de Juliano (1) vel alicui persone a nobis vel a curia nostra, quam utique cassamus et irritam penitus revocamus. Alioquin noveritis nos dedisse Alberto de Saxo fideli nostro firmiter in mandatis ut ipsi comiti det tenutam et corporalem possessionem ipsius comitatus vice et auctoritate nostra, et omnes contradic-

---

(1) Extat autem (ibid., n° CV) instrumentum concordiae factae inter dominum Ugolinum comitem Romaniolae potestatemque Ravennae et dominum Adelardinum potestatem Ferrariae, undecimo die junii hujus anni 1221, scilicet eo ipso tempore quo Fridericus alterum Romaniolae comitem instituebat. Sed iste Ugolinus Julianus hoc anno, et sine dubio paulo post, e vita violenta nece decessit, ut legitur in *Spicil. Ravenn. Hist.* ap. MURATOR., *Script.*, II, 578. Gotifredus vero non longo tempore Romaniolae comes extitit, cum hoc titulo Joannem quemdam de Guarnacio (Wormatia?) et deinde Albertum Magdeburgensem archiepiscopum imperii legatum in anno 1223 ornatos inveniamus. Quem titulum Albertus ab anno 1223 exeunte (vid. supra p. 75) usque in annum 1232 retinuit « Anno 1223, 3 augusti, indictione XI, do» minus Petrus Bonus judex civitatis Ravennae nunc ambasciator cum aliis denuntiavit do» mino Joanni de Guarnaccio Romaniae comiti et nuncio domini Alberti archiepiscopi Mag» deburgensis ad pignora recipienda a communi Ravennati tradendi Bretenorium pro 300 » marcis argenti. — Anno 1224, augusti 26, Albertus archiepiscopus Magdeburgensis imperii » legatus et Romaniolae comes se recepisse testatur 800 marcas pro comitatu Ravennae. — » Anno 1232, martii 4, Jacobus Margani judex domini Alberti Magdeburgensis archiepiscopi » comitis et legati Romaniolae, statuit terminum comiti Aginulfo de Mudiliana. » FANTUZZI, *ibid.*, t. V, p. 167 et t. III, p. 421. Cf. MONTFAUCON, *Bibl. manuscr.*, t. I, index arch. Ravenn., qui litteras Alberti comitis Romaniae memorat datas 1223, 6 kalendas octobris apud Imolam, et 1232, 7 idus aprilis.

tores et rebelles eadem auctoritate banno imperiali mille librarum auri supponat, appellatione remota.

Datum Messane, idibus junii, indictione IX.

Laterani, 13 junii.

Honorius papa Fridericum Romanorum imperatorem hortatur ad galeas quas praeparari fecit in auxilium christiani exercitus transmittendas celeriter, cum multi jam de mora ejus murmurent sibique dilationem voti praecipue imputent.

(Edid. partim Raynald., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1221, § VI, e regest. Honor. ann. V, epist. 709.)

Honorius, etc.; Frederico, etc. Si aliqua, etc. . . . .
. . . .
Utinam attenderes quam desiderabiliter te prestolatur exercitus christianus militans Domino in partibus transmarinis et adverteres quantam de te spem promiseris Ecclesie generali credenti pro certo quod proponens Hierusalem in principio letitie tue postpositis aliis ad recuperationem ejus totis desideriis aspirares, presertim cum ad hoc tibi Dominus omnem obtulerit facultatem. Sed nunc multi murmurant, multi clamant quod postponis exequi votum tuum; aut ut velle illud exequi videaris galeas quas feceras preparari detines quasi tecum in tuo comitatu ducturus easdem : que si forsitan nunc transirent magnum possent conferre auxilium exercitui christiano qui eo indiget vehementer. Ut igitur hoc a te opprobrium auferas nec nos facias ab hominibus lacerari qui dilationem voti nobis precipue imputantes contra nos jurant incessanter, immo ut illi complaceas cujus te obsequio devovisti, serenitatem tuam rogamus, monemus et hortamur attente, obsecrantes per Dominum Jesum Christum, quatenus ei qui est veritas verax existens causam ejus in veritate pertractes.

Datum Laterani, idibus junii, pontificatus nostri anno V (1).

Fridericus, Romanorum imperator, privilegia ecclesiae Pennensis sibi juxta edictum Capuanum resignata Gualterio Pennensi episcopo restituit et confirmat, privilegiumque ab Henrico imperatore patre suo Oddoni quondam episcopo Pennensi indultum anno 1195, 4 aprilis, inserendo renovat.

Messanae, post curiam Capuae, junio.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacra*, t. I, p. 1184. Privilegium Henrici sexti altera vice ibidem exhibetur, p. 1128.)

Federicus divina [favente] clementia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Etsi de nostri gratia dominii et plenitudine potestatis ad quoslibet fideles nostros oculos nostre debemus liberalitatis extendere, illorum tamen vota specialiter tenemur patrocinio confovere pro quibus fides et devotio evidentibus meritis. . . . . et ex justo fidelitatis obsequio immensitati (?) serenitatis imperialis redduntur accepti. Ea propter notum facimus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum Gualterius venerabilis Pennensis episcopus fidelis noster juxta generale nostrum edictum a majestate nostra Capue promulgatum privilegia quedam Pennensis ecclesie a divis augustis progenitoribus nostris indulta curie nostre in constituto termino presentasset, nos

---

(1) « Pontificiis litteris acceptis, Fridericus se ut apostolico imperio pareret, quadraginta » triremes quas instructas habebat confestim terrae sanctae subsidio misisse, Maltensemque » comitem et Catanensem episcopum regni Siciliae cancellarium viros industrios classi praefecisse respondit. Cui rescribens pontifex XIII kalendas augusti id sibi acceptissimum fuisse » testatus est. At si ipsius consilii fuerat non proficisci, debuisse prius instructas triremes » mittere cum magnas utilitates christianis parere potuissent. Nunc vero tantum ex hiis commodum sperari non posse. . . . . . Tum ipsum extimulat ne ita Siculis rebus se addicat ut » Christi causam deserat ac nuncupatum Deo votum infringat. » RAYNALD., *ibid.*, § VII ex epistol. 769.

ipsorum privilegiorum tenore diligenter inspecto, pro salute nostra et remedio animarum predictorum progenitorum nostrorum recolende memorie privilegia ipsa eidem episcopo de gratia nostra restituimus et ea omnia que in ipsis privilegiis vidimus contineri, sicut ecclesie Pennensi rationabiliter pertinent et juste tenuit temporibus supradictis, ipsi episcopo et Pennensi ecclesie de gratia nostra duximus in perpetuum confirmanda, salvo servitio quod curie nostre debetur et salvo mandato et ordinatione nostra, salvo etiam servitio unius militis quod de castro Juliano comitibus Manupelli debetur, sicut in privilegio ab imperatore Henrico, quondam patre nostro recolende memorie, eidem ecclesie indulto plenius continetur. Ceterum quia per injuriam [temporum] unum privilegiorum ipsorum divi patris nostri domini imperatoris Henrici erat ex parte consumptum, ad supplicationem prefati episcopi presenti pagina de verbo ad verbum illud jussimus annotari; cujus tenor talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus VI divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, et rex Sicilie. Inter cetera que in actus pios expendimus istud nostris utilitatibus commodius applicamus cum ecclesiis et locis venerabilibus munificentie nostre dona conferimus ac eorum utilitatibus pia consideratione subvenire studemus. Inde est quod nos ob remissionem animarum parentum nostrorum divorum augustorum ac longeva nostri conservatione imperii, nec non obtentu fidelitatis Othonis venerabilis Pennensis episcopi quem in nostris semper obsequiis fidelem novimus et devotum, concedimus et perpetuo confirmamus sibi et successoribus suis quidquid ecclesie Pennensi dudum concessum est per privilegia Romanorum imperatorum Caroli, Ludovici, Othonis et aliorum imperatorum necnon et regum Sicilie Rogerii et Guglielmi, videlicet civitatem Pennensem cum omnibus suis possessionibus, cum Sancto Johanne de Cypresso, Cese, Octeto (*a*), casale quod situm est inter predictam civitatem et collem de Mercato et Meze (*b*) et castellum de Colle alto, ecclesiam Sancte Marie de Pizzano (*c*), ecclesiam Sancti

(*a*) In altera editione p. 1128, *Orcto*, et additur *villa de Paternello*.

(*b*) In altera edit. *Metze*.

(*c*) In altera edit. *Piziano* (Picciano).

Petri de Laureto cum ecclesiis et possessionibus suis, ecclesiam Sancti Serotini, ecclesiam Sancti Paterniani, ecclesiam Sancte Barbare, ecclesiam Sancti Angeli, ecclesiam Sancti Andree, ecclesiam Sancti Antimi de civitate Sancti Angeli, ecclesiam Sancte Marie de Moscufo, ecclesiam Sancte Marie de Planella, Sanctum Petrum de Asmarico, Sanctum Laurentium de Fabrica, Sanctam Mariam de Civitaquana, Sanctam Mariam de Cateniano, Sanctam Mariam de Bivio, Sanctam Mariam de Olmeto (*a*), Sanctam Mariam de Adro (*b*), Sanctam Mariam de Trivio, Sanctum Clementem de Balbiano (*c*), Sanctum Petrum ad Pennensem, Sanctam Mariam de Rubilia, Sanctum Georgium de Ornano, Sanctam Rufinam de Aquilano, Sanctum Angelum de Puteo cum earum justis possessionibus, et quidquid liberalitate principum, concessione pontificum, oblatione fidelium seu quolibet alio modo juste et rationabiliter Deo propitio acquirere poterit. De novo quidem concessimus et presentis pagina scripti confirmamus Pennensi ecclesie duo castella, videlicet Colle altum et Pulianum (*d*), hoc modo ut domini de ipsis castellis supradictis et omnes eorum homines perpetuo civitatem Pennensem inhabitent, salvis debitis rusticorum que ipsis dominis debentur, et supradicto venerabili episcopo Othoni et successoribus suis catholice substitutis ligium hominium et fidelitatem exhibeant sibi et posteris suis in omnibus respondentes, sicut alii homines qui eamdem civitatem inhabitant; volentes et perpetuis futuris temporibus confirmantes ut Pennensis ecclesia cum predicta civitate in omnibus suis possessionibus ad nullum alium nisi ad nos nostrosque heredes vel successores teneatur habere respectum. Statuentes et imperiali precipientes edicto ut amodo in antea nulla humilis vel alta persona, ecclesiastica vel secularis, predicte ecclesie et canonicorum res et possessiones in aliquo molestare vel conturbare presumat. Si quis igitur confirmationis, precepti, donationis et concessionis nostri[que] mundburdi violator extiterit culpabilis, solvere cogatur mille libras auri optimi, medietatem camere nostre et medietatem

(*a*) In altera edit. *Ulmeto.*
(*b*) Ibidem *Adico.*
(*c*) Ibidem *Valviano.*
(*d*) Ibidem *Pluvianum.*

pretaxate Pennensi ecclesie atque Oddoni episcopo et canonicis eorumque successoribus. Quod ut verius credatur diligenterque ab omnibus observetur, presens exinde privilegium conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri. — Hujus rei testes sunt Henricus Vormatiensis episcopus, Colfogerius Pataviensis episcopus (*a*) et Philippus frater noster, Guglielmus Ravennensis archiepiscopus, Mattheus Capuanus archiepiscopus, Atto Aprutinus episcopus, Guglielmus Valvensis episcopus et alii quamplures. — Ego Conradus imperialis aule cancellarius una cum Gualterio Trojano episcopo regni Sicilie et Apulie cancellario recognovimus. — Signum domini Henrici VI, Romanorum imperatoris invictissimi, semper augusti et regis Sicilie. — Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. C. XCV, indictione XIII, regnante domino Henrico VI Romanorum imperatore gloriosissimo, semper augusto et rege Sicilie, anno regni ejus XXV, imperii vero IV, et regni Sicilie I. — Datum Bari per manus Alberti imperialis aule prothonotarii, pridie nonas aprilis, prescripte indictionis.

Ad hujus autem nostre confirmationis et suprascripti privilegii renovationis firmitatem presens privilegium per manus Guglielmi de. . . . . , notarii et fidelis nostri, scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Messane post curiam Capue celebratam, anno dominice incarnationis MCCXXI, mense junii, none indictionis, imperii vero domini nostri Federici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno I, regni Sicilie anno XXIV, feliciter. Amen.

In civitate Messanae, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sancti Johannis de Flore concedit ne subjaceat edicto generali in curia Capuana promulgato de resignandis sibi privilegiis.

(*a*) Deest iste testis in altera editione. Alias quoque *Golvigerius*.

(Memorat. ap. MACCIUCCA, *Esame delle carte vantate della certosa di S. Stefano*, p. 500, ex codice cui titulus : *Atti a beneficio dell' abate di S. Giov. in Fiore presso l'attuario della Reg. Cam. de Laurentiis*, fol. 54. More solito hanc exemptionem Macciucca suspectam habuit, qua vero causa nescimus.)

Datum in civitate Messane, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense junii, indictione IX.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegia omnia ecclesiae Sanctae Mariae vallis Josaphat de Paternione sibi per fratrem Henricum praesentata Rodulfo abbati ejusdem ecclesiae restituit et confirmat. Catanae, 30 junii.

(Memorat. ap. PIRRO, *Sicil. sacr.*, t. II, p. 1178, ex transumpto anni 1279, 9 julii, in actis Matthaei de Singa Messanensis; originale extabat in Reg. privileg., arca 4. Amico tamen perperam annum 1231 pro 1221 indicat.)

Datum Catane, ultimo junii, indictione IX.

Fridericus, Romanorum imperator, abbati et conventui Sancti Stephani de Nemore mandat ne homines casalium Mentabri, Gasparinae, Arunchi et Olviani in consuetis exactionibus et molestiis praeter debitum aggravent. Messanae, 3 julii.

(Edit. ap. MACCIUCCA, *Esame delle carte vantate della certosa di S. Stefano*, append. n° XXIII, et TROMBY, *Stor. del ord. Cartus.*, t. V, append. n° LXXVI. Quod mandatum infra daturi sub mense novembri hujus anni transumptum in toto litis hujus instrumento, hic tantummodo materiam et notas chronologicas ad ornandam documentorum seriem indicamus.)

Datum Messane, tertio julii, none indictionis.

Apud Calatagironum, Julio.

Fridericus, Romanorum imperator, conventui Cavensi, Balsamo abbati et successoribus ejus universas obedientias, castra, casalia, homines, possessiones, tenimenta et quaecumque alia quae a temporibus praedecessorum suorum usque ad obitum regis Guilielmi secundi juste tenuerunt, concedit et perpetuo confirmat.

(Inedit. in Archiv. monast. Cavens., *Diction. Mass. a Capua*, tom. II, fol. 139, coll. cum authent. transumpto in pergam., *ibid.*, arm. M, n° 17, asservato.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Quoties obtentu superni numinis ad ecclesiarum et locorum venerabilium cultus oculos nostre convertimus pietatis, ad potentie et sublimitatis cumulum imperialis potestatis virtus erigitur et majestatis nostre solium altius decoratur. Inde est quod cum tu Balsame, venerabilis abbas Cavensis monasterii, fidelis noster, per fratrem Sergium monachum et nuntium tuum celsitudini nostre humiliter supplicaveris ut eidem monasterio universas obedientias, castra, casalia, homines, possessiones, tenimenta et quaecumque alia idem monasterium temporibus felicium regum predecessorum nostrorum usque ad obitum regis Guilielmi II felicis memorie juste et rationabiliter noscitur tenuisse, concedere et confirmare de nostra gratia dignaremur; nos piis operibus predecessorum nostrorum misericorditer inherere volentes et attendentes famam laudabilem, sancte religionis cultum et pie conversationis propositum quibus semper claruit monasterium ipsum, intuitu retributionis eterne et pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende nec non et pro conservatione glorie et salutis nostre et ut tuis et tuorum fratrum apud majestatem divinam meritis et suffragiis adjuvemur, de consueta pietatis nostre gratia predicto monasterio, tibi, fratribus et successoribus tuis universas obedientias, castra, casalia, homines, possessiones, tenimenta et quecumque alia sive de demanio sive de servitiis

fuerint que a temporibus predecessorum nostrorum usque ad obitum regis Guilielmi II juste et rationabiliter tenuit et possedit monasterium ipsum, concedimus et perpetuo confirmamus; presentis privilegii auctoritate mandantes quatenus nullus sit qui dictum monasterium, te, fratres et successores tuos de predictis omnibus perturbare in aliquo seu molestare presumat, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus igitur concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Joannis de Capua notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum apud Calatagironum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense julii, indictionis IX, imperii domini nostri Friderici Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno primo, regni vero Sicilie anno quarto vicesimo (*a*), feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sanctae Mariae de Monte Virginis donationem a Paulo comite Golisani factam, scilicet Roccellam cum rationibus suis, tertiam partem molendinorum Golisani et tres uncias auri de venatione cuniculorum in territorio ejusdem, concedit ac confirmat, reservato quod in predicta Roccella custodiam fieri faciat, sed amota clausula ista quae dicitur *salvo mandato et ordinatione nostra.* In urbe felici Panormi, julio.

(Inedit. in Archiv. monast. Montisvirg., *Regest.* VIII, n° 84; ex transumpto originali facto mense madii 1251, none indictionis, regnante Conrado, ante magistrum Nicolaum de Trano, magnae regiae curiae judicem, ad requisitionem fratris Mauri ejusdem coenobii monachi.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex

(*a*) In *Diction. Mass.* legitur, sed male, *quarto decimo.*

Sicilie. Per hoc presens scriptum notum fieri volumus universis quod cum monachi et fratres monasterii Sancte Marie de Monte Virginis nobis humiliter supplicassent ut Roccellam (1) cum rationibus et possessionibus suis in qua sita est ad honorem Salvatoris ecclesia Sancte Marie de novo fundata que est grangia monasterii supradicti, ac etiam tertiam partem molendinorum Golisani et tres uncias auri de venatione cuniculorum in territorio ejusdem, sicut in instrumento et scripto publico a Paulo comite Golisani inde confecto plenius continetur (2), et quicquid aliud tam in possessionibus quam in libertatibus in eodem apertius declaratur ac ipsum monasterium nunc omnia predicta libere tenet et possidet, de gratia et benignitate nostra eidem monasterio concedere et confirmare nostra serenitas dignaretur; nos attendentes religionem ejusdem monasterii, obsequia etiam et orationes que ibidem Domino jugiter offeruntur, petitiones eorum benigniter admittimus, locum ipsum de Roccella cum rationibus et possessionibus suis in quo prefata sita est grangia et universos fratres ejusdem monasterii sub nostra protectione et defensione recipimus et tertiam partem molendinorum Golisani ac etiam tres uncias auri de venatione cuniculorum in territorio ejusdem et quicquid in presentiarum juste tenet et quiete possidet, sicut in instrumento et scripto publico a Paulo comite Golisani inde facto plenius continetur [et] tam in possessionibus quam in libertatibus in eodem apertius declaratur ac ipsum monasterium nunc ea omnia libere tenet et possidet vel in antea prestante Domino justo titulo poterit adipisci, eidem monasterio

(1) Roccella, locus insulae Siciliae in territorio Golisani.

(2) Instrumentum vero continens donationem istam factam per *Paulum de Cicala Dei et regia gratia comitem Golisani et regie private Masnedie magistrum comestabulum*, datum fuit anno 1216, mense junii, quartae indictionis, apud Panormum. Quod quidem Henricus de Tocco, Roffridus de Sancto Germano et Guillelmus de Vinea magnae imperialis curiae judices ad requisitionem Joannis abbatis Montisvirginis transumi et in scripturam publicam redigi fecerunt, anno 1243, mense augusti, primae indictionis, apud Melfiam; sicut constat ex pergam. origin. in eodem archiv., *Regest.* VIII, n° 80. Donationem ipsam edidit Mastrullo, *Monte Vergine sagro*, p. 365, cui adsunt signa Pauli comitis, Sicae comitissae uxoris ejus, Andreae, Simonis et Matthaei filiorum ejusdem, Stephani de Partenico tunc magnae regiae curiae magistri justiciarii et aliorum.

Montis Virginis pro remedio animarum felicium augustorum parentum nostrorum recolende memorie et pro salute nostra perpetua in eleemosinam de novo damus, concedimus et in perpetuum omnia predicta confirmamus, reservato quod, sicut solitum fuit tempore regis Guilielmi felicis recordationis, in predicta Roccella custodiam fieri faciamus quandocumque fuerit opportunum. Preterea licet in quibuslibet privilegiis nostris illam clausulam jubeamus apponi que dicitur : Salvo mandato et ordinatione nostra, ab hujusmodi tamen privilegio de solita benignitatis nostre gratia quam pluribus jam monasteriis fecimus super clausula illa, eam omnino precipimus amovendam. Ad hujus itaque protectionis, donationis, concessionis et confirmationis nostre memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum sibi fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratum.

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense julii, none indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiae Sanctae Mariae de Admirato in excambium sacrorum ejus vasorum quae ad sumptus belli sustentandos abstulerat, casale Scopellum cum suis pertinentiis, exceptis portu et tonnaria, concedit. Panormi, 15 augusti.

(Memorat. ap. FAZELLUM, *De reb. sicul.*, *dec.* I, lib. 8, p. 181, et PIRRUM, *Sicil. sacr.*, t. II, p. 1359, § 5, ex originali in thesauro ecclesiae. Cum autem ambo ad ann. 1220 se referant, et Pirrus tertiam indictionem indicet, notas chronologicas non sine aliquo dubio ad hunc locum pertinere censemus.)

Datum Panormi, XV augusti. . . . .

Laterani, 21 augusti.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribens de negotio Terrae Sanctae conqueritur quod ipse christianum exercitum pollicitis fefellerit, gravesque superaddit minas quod ad electiones ecclesiarum in regno ejus vacantium manus extenderit; privilegium renuntiationis quod edidit memorat, monetque ut a tanta temeritate desistat.

(Edid. partim Raynald., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1221, § XXXII, e Regest. Honor., lib. VI, epist. 1.)

Honorius, etc., Frederico, etc. . . . . Certe pollicitis tuis graviter diceris christianum exercitum fefellisse, ita quod sub tui expectatione securus in magno est hodie discrimine constitutus. Et quid est quod jamdudum audivimus et nuper etiam perculit aures nostras quod ad electiones episcoporum videlicet manus extendas, electioni Aversane presertim ecclesie et episcopatuum in provincia Salernitana vacantium te immiscens? An forte suspiras ad progenitorum tuorum abusum quem Dominus zelotes abominans ita illis sua providentia obviavit ut preter te vix de ipsorum progenie quis supersit? Sed et recolis te abjurasse abusum eumdem et bone memorie Innocentio pape predecessori nostro et postmodum nobis renuntiationem hujusmodi privilegio confirmasse. Numquid ergo, spretis privilegiis et promissionibus tuis et juramenti religione contempta, gladium in nos acues? [Alia adjicit eodem pertinentia ut a coeptis animum ejus avertat; hortatur ne improbis hominibus faciles aures det, famam gloriamque suam inquinet; secum ipse volvat quam prospere, quam feliciter cuncta ei venerint dum apostolicae Sedis amplexibus haeserit; pro certo vero sciat irritato illius in se odio omnia sibi acerba atque aspera eventura; eorum qui superbe se in illam extulerunt infelices exitus atque exempla imitari perhorrescat; providentiae ac sollicitudini suae potissimum acceptum

referat ipsius filium pacatum in Germania regnum tenere; non deesse sibi tum in Germania tum in aliis imperii provinciis atque ipsa Sicilia vires ad ea molienda quae admodum illi ingrata futura essent. Tum pergit:]

Cum semper ad personam tuam veri patris affectum gesserimus et geramus, imperatoriam majestatem monemus et rogamus attente per Dominum obsecrantes quatenus nobis et tibi prospiciens inter te et ecclesiam nasci tantum scandalum non permittas, quia profecto si in hoc scandalisati a te fuerimus in quo contra nos nostra reputaremus interiora moveri, hujusmodi doloris aculeus transverberaret cor nostrum et per intima ossium pertransiret. Sed cum ad te ob hoc dilectum filium priorem Sancte Marie Nove cum nostris litteris et transcripto tui privilegii dirigamus, per te ipsum que aliter quam deceat acta sunt corrigas, electiones juxta privilegium et promissiones tuas libere ac sine impressionis vitio fieri permissurus. Alioquin noveris quod id nulla poterimus ratione in proprie anime periculum sustinere, presertim cum contra nos intra et extra Romanam Ecclesiam jugiter acclametur quod tibi detulerimus in pluribus contra Deum; sed difficultates tuas in quas te hactenus ingessisti et inducis in totius orbis notitiam adducemus, celi et terre testimonium invocantes quod ad hoc procedimus dolentes plurimum et inviti.

Datum Laterani, XII kalendas septembris, pontificatus nostri anno sexto.

Hoc anno vicesima a personis ecclesiasticis, laicis vero decima pro subsidio terrae sanctae per totum regnum colligitur, et per Gualterium de Palear regis cancellarium et per Henricum de Malta comitem marini stolii ammiratum ipsam Damiatam transmittit [imperator], licet tunc temporis amissa fuerit culpis exigentibus Damiata (1). Propter quod ipse cancellarius iram imperatoris me- 8 septembris.

(1) Quomodo cancellarius et ammiratus, sine dubio ex ipsius imperatoris mandato, restitu-

tuens se Venetias contulit, et dictus comes redit in regnum, qui ab imperatore captus est et terram quam tenebat amisit (1). . . . . Igitur per compositionem reddita Damiata soldano, liberati sunt utrinque captivi et Christiani principes qui contra soldanum inconsulte processerant liberati, mense septembris, in festo nativitatis beatae Virginis. RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.*

In urbe felici Panormi, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium a se ipso ante tempus coronationis suae civibus Panormitanis indultum et sibi post curiam Capuanam resignatum eis restituit et ea quae in eo continentur perpetuo confirmat.

---

tioni Damiatae obstiterint, discimus e documento coaevo cujus partem hic rursus edimus: « Nos igitur cum aliis nunciis de communi legatione totius exercitus Damiatam adivimus » populo civitatis pactiones nobis injunctas omnibus ostendentes, que episcopo Achonensi, » cancellario (scilicet Gualterio de Palear) et Henrico comiti de Malta quos ibidem invenimus » plurimum displicebant. Voluerunt enim civitatem defendere; quod nos multum approba» remus si utiliter fieri potuisset. . . . . Sed habita por civitatem indagatione sagaci rerum » et personarum, nec pecuniam nec gentem quibus civitatem defendere potuissent invenerunt. » Nos itaque huic pactioni adquiescentes sacramento et obsidibus eam firmavimus, treugamque » firmam octo annorum statuimus. » *Epist. P. de Monteacuto magistri Templ. ad Angliae praeceptorem*, ap. MATT. PARIS., *Hist. maj. Angl.*, p. 217. Cf. litteras imperatoris, 6 decemb. 1227, tom. III, p. 41.

(1) Alia vero adscribitur causa a scriba januensi qui res ad comitem Henricum pertinentes optime noscit et refert: « In hoc anno MCCXXIII Saraceni Siciliae rebelles facti sunt Frederico » imperatori quorum perfidiae cum strenuus comes Maltae Henricus ad honorem imperii viri» liter repugnasset, demum quia de offensione ipsorum se justissime excusavit ad quam infe» rendam cum parvissima acie bellatorum eum mittere satagebat, ipsum fecit carceris custodiae » mancipari et demum gubernatione Maltae privari; sed demum nulla restitutione ei facta de » castro Maltae, in sua gratia reconciliavit. » CAFFARI, *Annal. Gen.* ap. MURATORI, *Script.* VI. Arbitramur tamen quamdam ibi temporum confusionem esse, quum Henrici captivitas circa primos anni 1222 menses, reconciliatio autem ad annum 1223 reponenda videatur.

(Edit. ap. DE VIO, *Privileg. urb. Panorm.*, p. 14, et AMATO, *De principe templo Panorm.*, p. 117. Quod quidem privilegium in tabula marmorea sinistrae parieti vestibuli cathedralis ecclesiae Panorm. affixa incisum exhibetur, coaetaneo charactere lineisque coloris nigri et rubri alternantibus.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Per presens scriptum notum facimus universis quod post solemnem curiam quam Capue celebravimus ubi de resignandis privilegiis universis edictum fecimus generale, cives felicis urbis nostre Panormi fideles nostri nobis in sacro palatio regni nostri feliciter existentibus quoddam privilegium a majestate nostra regia ante tempora coronationis nostri imperii sacri eis indultum (1) nostre curie resignarunt, supplicantes humiliter ac devote ut eis dictum privilegium restituere et quicquid in eo continebatur concedere et confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos autem supplicationes eorum benignius admittentes et considerantes grata et accepta servitia que semper nostris predecessoribus recolende memorie et nostre celsitudini tempore pueritie nostre fidelitate lucida exhibuerunt et de cetero exhibebunt, dicti privilegii tenore diligenter inspecto, illud sibi restituimus ea que continebantur in eo eisdem concedentes et perpetuo confirmantes, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus igitur restitutionis, concessionis et confirmationis nostre memoriam ac robur de cetero valiturum presens scriptum per manus Joannis de Trajecto (*a*) notarii et fidelis nostri inde scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense septembris, decime indictionis, imperii domini nostri Friderici Dei gratia Romanorum imperatoris, semper augusti ac regis Sicilie anno I, regni vero Sicilie anno XXIV, feliciter. Amen.

(*a*) In impressis *Tregeto*, minus recte.

---

(1) Vide supra ad ann. 1200, mense septembri.

Apud Trepanum, 25 septembris.

Fridericus, Romanorum imperator, abbati et conventui Sancti Stephani de Nemore iterato mandat ne homines casalium Mentabri, Gasparinae, Arunchi et Oliviani ultra quam consueverunt temporibus praedecessorum suorum et eidem monasterio de jure tenentur, de caetero indebite molestent.

(Edit. ap. MACCIUCCA, *Esame delle carte vantate di S. Stefano*, append. n° XXIII, et TROMBY, *Stor. del ord. Cartus.*, t. V, append. n° LXXVI; quod mandatum vide infra p. 215, in integro litis hujus instrumento.)

Datum apud Trepanum, vicesimo quinto septembris, decime indictionis.

In urbe felici Panormi, octobri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem fratrum monasterii Sanctae Mariae de monte Virginis locum de Roccella in quo sita est grangia monasterii cum omnibus possessionibus quas nunc juste tenent et in futurum potuerint adipisci eis concedit et confirmat, reservato quod in praedicta Roccella custodiam fieri faciat, salvoque suo mandato et ordinatione.

(Ineditum in archivo Montis Virginis, ex originali in *Regest.* VIII, n° 71.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo tricesimo octavo et terciodecimo (*sic*) anno imperii domini nostri Federici gloriosissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, et vigesimo quinto anno regni domini nostri Henrici regis Sicilie et Italie legitimi filii ejus, octavo intrantis mensis februarii, duodecime indictionis. Dum ego Guilielmus judex Avellini astante mecum notario Salerno ejusdem civitatis, presen-

tibus etiam domino Thoma de Avellino et magistro Michaele medico et Malfrido Sapio civibus Avellini testibus ad hoc specialiter rogatis et vocatis, essemus intus monasterium Sancti Benedicti de Avellino, frater Riccardus monachus et infirmarius monasterii Sancte Marie Montis Virginis mihi exposuit quod necessarium erat quoddam privilegium predicti monasterii alias transmittere pro suis negotiis exequendis. Unde ne fortuito casu contingere possit eum quoquo modo deperdi, quod privilegium erat domini nostri serenissimi imperatoris, me rogavit ut inspecta figura et per totum tenore ipsius una cum eodem notario supradictorum testimonio ejusdem tenorem per totum ad cautelam ipsius monasterii in scripturam publicam redigerem. Quod privilegium est per omnia taliter continens :

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per hoc presens scriptum notum fieri volumus universis quod cum monachi et fratres monasterii Sancte Marie de Monte Virginis nobis humiliter supplicassent ut Rocchellam in qua sita est ad honorem Salvatoris ecclesia Beate Marie de novo fundata que est grangia monasterii supradicti de gratia et benignitate nostra eidem monasterio concedere et confirmare nostra serenitas dignaretur, nos attendentes religionem ejusdem monasterii, obsequia etiam et orationes que ibidem domino jugiter offeruntur, locum ipsum de Rocchella in quo prefata sita est grangia et universos fratres ejusdem monasterii sub nostra protectione et defensione recipimus et quidquid in presentiarum juste tenet et quiete possidet vel in antea justo titulo prestante Domino poterit adipisci eidem monasterio Montis Virginis pro remedio animarum fidelium augustorum parentum nostrorum recolende memorie et pro salute nostra perpetua concedimus et in perpetuum confirmamus, reservato etiam quod, sicut solitum fuit tempore regis Guilielmi felicis recordationis, in predicta Rocchella custodiam fieri faciamus quandocumque fuerit opportunum; salvo quoque mandato et ordinatione nostra (1). Ad hujus itaque protectionis, conces-

(1) In praecedenti tamen privilegio de loco Roccellae hanc clausulam amoveri jusserat imperator. Vide supra p. 197.

sionis et confirmationis nostre memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum sibi fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratum.

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense octobris, decime indictionis.

Sic itaque ipso privilegio inspecto et ejusdem perlecto tenore, considerans illud esse in sui plena figura nec cancellatum nec vitiatum nec in sui qualibet parte vituperatum, sed legitime conscriptum et firmatum, considerans etiam sigilli figuram quoniam veracissima erat et in ejus propria et debita figura, justas ejusdem infirmarii preces admittens ipsum privilegium in publicam scripturam per manus dicti notarii ego prefatus judex reddigi feci et illud declaravi mea subsignatione communitum. Et taliter Salernus publicus Avellini notarius rogatus interfui, scripsi et meo signo signavi. Ego qui supra Wilielmus judex; ego Thomasius miles testis sum; ego Michael testis sum; ego Malfridus rogatus interfui.

Apud Panormum, 25 octobris.

Fridericus, Romanorum imperator, Honorio papae scribit de confusione exercitus Christiani (scilicet de redditione Damiatae), nuntiatque se jam ad maturum subsidium accinctum nunc ad apparatum instantem invigilare.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1222, § V, e regest. Honor., lib. VI, epist. 81. — Coll. cum BOEHMERO, *Regest. imper.*, p. 119, n° 460.)

Sanctissimo in Christo patri Honorio, etc. Fredericus, etc. Tristis et tristitie nuncius, venerande pater, nobis rumor insonuit et cordi nostro gladium doloris affixit quia glorificavit Dominus in peccatis nostris vexillum hostium ut conculcaret exercitum Christi sui; et quis est jam in populo christiano qui ad talem non inhorreat confusus eventum, videns eum qui crucem persequitur triumphare de cruce? quasi non sit otiosum credere quod in plebe sua Christo displiceat cultus fidei dum vias ita dirigit perfi-

dorum. Proh pudor! filios Ecclesie fugant catuli synagoge et de bello Domini magnificatur victoria Machometi. Hec inquam tanti doloris acerbitas inter omnes quos fidei character insignit tanto nos vehementius exacerbat, quantum ad maturum subsidium zelus ferventior accingebat; et quod in iis apud nos, pater sanctissime, decens sollicitudo non dormiat nec dormierit usque modo id quod precessit insinuat et apparatus instans manifestat. [Addit suos oratores illum certiorem facturos quantum in Sarracenos apparatum instruat: latores enim praesentium, scilicet J. suum fidelem et L. capellanum domini Papae, remittit qui intentionem ejus super hoc negotio audiant.]. . . . .

Datum apud Panormum, VIII kalendas novembris, indictione X.

Fridericus, Romanorum imperator, navim sanctimonialium de Königsbrück sub speciali sua protectione recipit, statuitque ut quocumque per Renum navigaverit ab omni pedagio et exactione sit penitus immunis. In urbe felici Panormi, 25 octobris.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 347, n° CCCCXXVIII, e tabulario Regispontano.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per hoc presens scriptum notum fieri volumus universis quod pro salute nostra et ob remedium animarum felicis memorie divorum augustorum parentum nostrorum navim sanctimonialium de Kunigesbrucge sub nostra speciali protectione recepimus. Statuentes firmiter presentis scripti auctoritate ut quacunque vel quocunque per Renum navigaverit ab omni pedagio et aliis ceteris exactionibus sit libera penitus et immunis, cum de gratia nostra tam pedagium quam ceteras alias exactiones predicte navi duxerimus perpetuo indulgenda. Sancimus insuper ut nullus sit qui navi predicti monasterii aliquod impedimentum vel molestiam

inferre presumat. Quod quicumque presumpserit sciat se indignationem nostri culminis incursurum. Ad hujus itaque protectionis et indulte libertatis memoriam presens scriptum sibi fieri fecimus sigilli nostri munimine roboratum.

Data in urbe felici Panormi, vicesimo quinto mensis octobris, decima indictione.

Novembri. Rogerius Attavus imperialis justitiarius Calabriae judiciale instrumentum redigi facit super quaestione quae vertebatur inter monasterium Sancti Stephani de Nemore et villanos Mentabri, Arunchi, Gasparinae et Olviani, in quo totius litis series (1) et eorumdem villanorum condemnatio inseruntur.

(Edider. Tromby, *Storia del ord. Cartusiano,* tom. V, append. n° LXXVI; rectius tamen Vargas Macciucca, *Esame delle vantate carte di S. Stephano del Bosco,* append. n° XXIII, ex Cod. cui titulus : *Atti tra l'università e cittadini della terra di S. Stefano di Bosco e i R. P. Certosini,* fol. 340-344. Sed iste sine probabili causa totam hujus litis seriem in dubium revocat.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense novembris, decime indictionis, imperante domino nostro Federico Dei gratia illustris-

---

(1) Scilicet introducta villanorum querela, Neocastri martio 1221.

Primum imperiale mandatum, Messanae 3 julii.

Lis Syracusis agitata et sententia prolata ab archiepiscopo Regino et justitiario Calabriae, Gyracii 20 augusti.

Lis denuo a monasterio intentata apud Tropeam.

Secundum imperiale mandatum, apud Trepanum, 25 septembris.

Causa coram justitiario audita primo apud monasterium Sancti Stephani, 4 vel 5 octobris, secundo apud Nicoteram, 17 octobris, ubi diffinitiva profertur sententia.

Redactio totius instrumenti ineunte novembri.

simo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno imperii sui primo, feliciter. Nos Rogerius Attavus, imperialis justitiarius Calabrie, per hujus scripti seriem declaramus quod accedens ad presentiam nostram frater Stephanus monachus et generalis procurator monasterii Sancti Stephani de Nemore, dum essemus Neocastri mense scilicet martio, none indictionis, et officium justitiariatus ibidem exerceremus pro questionibus altercantium ordine judiciario finiendis, nobis pro parte ipsius monasterii est conquestus de hominibus seu villanis de casalibus Mentabri, Arunchi, Gasparine et Oliviani (1) monasterii memorati qui dum imperialem curiam adirent apud Rocham Nicastri, petitiones offerre nitebantur contra monasterium supradictum, exponentes quod dictum monasterium eosdem homines seu villanos indebitis servitiis et multis molestiis aggravaret; et dum hoc ad audientiam domini Riccardi imperialis aule camerarii pervenisset, eosdem homines seu villanos coram eo fecit audire a quo revocati ne contra dictum monasterium tales petitiones offerrent, idem dominus Riccardus abbati et conventui dicti monasterii suas speciales litteras monitorias destinavit ut idem monasterium ab ipsorum indebita molestatione cessaret; petens dictus procurator ut cum grave sit monasterio supradicto contra ipsum injustas taliter inferri querelas et imperialis curie aures impleri questibus falsitatis, dictos homines seu villanos casalium predictorum in curia ad nostram presentiam accersiri ut si quid homines seu villani ipsi indebite aggravati ab ipso monasterio paterentur, coram nobis exponerent; et si forte ostenderent rationabiliter in aliquo esse gravatos, promittebat dictus procurator monasterii nominati sub satisdatione solemni eis facere gravamina sive damna quelibet resarciri et de omnibus que vellent contra prefatum monasterium proponere per justiciam respondere et facere quod ratio postularet. Qui homines seu villani propterea per nos vocati et in nostra presentia constituti dixerunt : — « Nolumus cum dominis nostris causam » intrare nec subire judicium cum eisdem, imo parati sumus facere » debitum servitium ecclesie et prefatis abbati et conventui tanquam

---

(1) Scilicet *Montauro, Arungo, Gasparina* et *Olviano*.

» nostris dominis obedire. » Abeuntes igitur a nostra presentia predicti homines seu villani post hujus modi supplicationem, intervallo brevis temporis acto, cum abbas predicti monasterii foret Rome, sepius requisiti ut debita et consueta servitia peragerent, monasterio suprafato facere ac exhibere nolentes imperiali celsitudini sunt conquesti cum esset Messane, a cujus benignitate litteras impetrarunt continentes hunc modum:

Fredericus, etc. Religiosis viris abbati et conventui monasterii Sancti Stephani de Nemore, fidelibus suis, etc. Ex parte hominum quos in casalibus Mentabri, Gasparine, Arunchi et Olviani monasterium vestrum habet, gravem pridem querelam serenitas nostra recepit quod cum ipsi in certis servitiis vobis servire debeant et certos redditus solvere annuatim, sicut in vestris instrumentis olim a comite Rogerio bone memorie qui homines ipsos dicto monasterio contulit plenius continetur, que instrumenta redditus et servitia que vobis tenentur exolvere continent speciatim, vos eos his certis servitiis non contenti pluribus et intolerabilibus gravaminibus hactenus afflixistis, collectas et exactiones eis multiplices imponendo et alia gravamina irrogando. Quocirca fidelitati vestre mandamus firmiter injungentes, si res se taliter habuerit sicut superius continetur, vos ab hujus modi indebitis vexationibus et inconsuetis molestiis dictorum hominum desistatis, et justiciis et rationibus vestris quas in eis habetis contenti penitus existentes nihil ab eis ultra tam graviter extorquere debeatis, quia non decet viros religiosos et maxime ordinis vestri ab hominibus suis qui vobis pietatis intuitu sunt collati preter justitias et rationes debitas aliud extorquere. Datum Messane, tertio julii, none indictionis.

Cum ergo litteras ipsas prefati abbas et conventus postmodum recepissent, prenominatum eorum et dicti monasterii procuratorem miserunt dicti abbas et conventus ad venerabilem Reginum archiepiscopum per imperialem clementiam in omnibus causis dicti monasterii judicem delegatum et ad nos cum essemus Siracusiis pro negotiis imperialis curie exequendis, de rebellione hominum casalium predictorum facta contra monasterium memoratum et de detentione consueti servitii de eisdem hominibus conquerentem. Ad cujus procuratoris instantiam ipsos citatos

legitime et comparere nolentes idem dominus Reginus archiepiscopus et nos damnavimus ad quinque millia tarenorum auri penam imperiali curie applicandam, cumque tandem quidam ex ipsis hominibus advenissent, predictus dominus archiepiscopus et nos cum eo de questione procuratoris predicti et responsione hominum predictorum ex sententia quam inde protulimus crismum monasterio prefato fecimus taliter continentem :

Mense augusti, none indictionis, vicesimo scilicet die. Nos Lando Dei gratia Reginus archiepiscopus domini imperatoris consiliarius et familiaris ac in omnibus causis monasterii Sancti Stephani de Nemore per imperialem clementiam judex delegatus, et Rogerius Attavus imperialis justiciarius Calabrie presenti pagina declaramus quod cum essemus Siracusiis pro servitiis imperialibus exequendis, venerabilis abbas et conventus Sancti Stephani de Nemore conquesti sunt in plena curia coram nobis per fratrem Stephanum monachum generalem procuratorem eorum de hominibus seu villanis eorum monasterii supradicti, de casalibus Mentabri, Gasparine, Arunchi, et Oliviani, quod vi et auctoritate sua se a dominio predicti monasterii subtrahentes, debitum servitium a mense madii solvere recusarunt. Quin etiam contra prohibitionem abbatis ejusdem monasterii factam sub pena mille tarenorum auri, communiter in casalibus dicti monasterii collectas et adjutoria in prejudicium ipsius monasterii posuerunt. Vocatis igitur villanis et hominibus dictorum casalium et in curia presentibus coram nobis, Nicolaus Asy eorum procurator, ut constitit, respondit quod prohibitionem abbatis receperant et servaverant super caput suum, licet primitus homines qui venerant et dictus eorum procurator respondissent quod parati non venerant respondere. Instante tamen dicto procuratore monasterii supradicti et conquerente quod dominium monasterii denegassent et debita servitia subtraxissent, dixerunt quod dominium monasterii non denegaverant, verum tamen servitia subtraxerant pro eo quod gravabantur ab eis; sed tamen nunquam se esse homines monasterii negaverunt. Super quo decrevimus quod si procurator monasterii probare posset quod ipsi homines seu villani collectas generaliter posuissent, ad penam debitam imperiali curie

tenerentur. De servitiis vero que indebite subtraxerant, quia confessi sunt se subtraxisse illa, dictum procuratorem eorum nomine et eosdem homines seu villanos ut eadem servitia reddant prefato monasterio sententialiter condemnamus ab illo tempore quo illa per violentiam subtraxerunt, scilicet ab initio mensis madii hujus none indictionis. Nam pro eo quod dicti homines seu villani et procurator eorum exposuerat imperiali celsitudini quod ipsum monasterium eos gravaret indebite collectas eis et alia gravamina irrogando, ad hoc ut ostenderet dictus procurator monasterii prelibati quod falsa expositione fuerint celsitudini imperiali conquesti, presentavit nobis in curia privilegium donationis bone memorie Rogerii Calabrie et Sicilie comitis, ubi continetur quod idem comes pro miraculo quo orationibus beati viri Brunonis extitit ante civitatem Capue de manibus hostium suorum divinitus liberatus ubi hujusmodi homines seu villani cum odiosissimo Sergio proditionem nequissime procurabant; propter quod idem comes progenitores prefatorum hominum seu villanorum dictorum casalium participes nefande proditionis hujusmodi in servos et heredes eorum perpetuo dicto monasterio tradidit et etiam indissolubiliter obligavit. Unde dicti monasterii procurator petebat prefatos homines seu villanos coactos per nos juxta ipsius monasterii privilegii tenorem cogi atque compelli ad perpetuam servitutem. Sicque procurator prefatorum hominum seu villanorum quoddam instrumentum remissionis seu gratie facte eisdem hominibus seu villanis per quondam Guillelmum abbatem monasterii prelibati ejusdem abbatis sigillo et subscriptione ac monachorum dicti monasterii subscriptionibus communitum nobis ad eorum cautelam in curia presentavit, et quod ad alia servitia preterquam ad illa in prefato instrumento contenta que inferius designantur prefato monasterio minime tenebantur. Quod instrumentum procurator monasterii prelibati coram nobis in curia recognovit. Unde visis et intellectis rationibus dicti monasterii per eosdem homines seu villanos nobis in curia per ipsorum instrumentum ostensis, dictorum hominum procuratorem eorum nomine et eosdem homines seu villanos ad infrascripta debita in dicto eorum gratie seu remissionis instrumento contenta sententialiter condemnamus : in primis videlicet quod quilibet

villanus omni septimana per annum duobus diebus angariam monasterio facere debeat et duodecim dies faciat per annum pro perangaria, videlicet qui pariclam habuit octo tarenos auri solvat annuatim eidem monasterio et cum paricla quatuor diebus tempore seminum serviat eidem monasterio, quatuor ad areas, quatuor ad vineas excolendas. Omnes alii qui pariclam non habent quatuor tarenos exolvant et quatuor diebus serviant ad zappandum, quatuor ad metendum, quatuor ad vineas excolendas. Item ut debeant omnes semel in anno ire ad nemus pro faciendis et portandis abinde lignaminibus grancie seu loco Mentabri necessariis. Item semel in anno eant ad faciendos in nemore circulos et ad dictum locum Mentabri ferendos. Item et quicumque habet asinum duodecim salmas victualium portet ab area usque ad horreum ejusdem loci et unam salmam tede debeat dare per annum. Item ut quicumque oves habet herbaticum donet secundum consuetudinem terre Squillacii. Item ut quicumque habuerit porcos de eisdem glandaturium solvat grancie seu loco predicto. Item ut omnes de musto decimam tribuant et agraria (*a*) de terris, sicut soliti sunt secundum instrumentum quod eis monasterium fecit. Item ut de olivis suis quintam solvant et de hortis (*b*) et domibus sicut et alii forenses solvere debeant sicut solent. Item ut quicumque pariclam habuerit lignum unum in Natali Domini ferat dictum Grece buccila (*c*), et de sale tam qui habet pariclam quam qui habet asinum uno viagio de salina ferat. Item ut quicumque semotus a patre suo uxorem duxerit et per se vixerit, integram teneatur monasterio angariam exhibere et gallinam unam in Natali Domini et Pascha resurrectionis ova decem dare eorum quilibet teneatur. Liceat autem eisdem hominibus seu villanis filias suas dare in uxores quibus voluerint, accepta tamen prius licentia et salvis rationibus quas monasterio proinde dare debent secundum consuetudinem villanorum. Item quia villani militum prestant eis adjutorium pro arfro (*d*) ad servitium domini imperatoris vel quando

(*a*) Ap. Tromby *angaria.*

(*b*) Ibidem *terris.*

(*c*) Ibidem, sed male : *ferat ad dictum monasterium Grece Duyla* (Ξὺλα).

(*d*) Ap. Tromby *Confro* : vox corrupta seu lectu difficilis.

aliquis concedit filium suum militem vel dat filiam suam conjugio, quod isti non faciunt, adjutorium abbati dicti monasterii prebeant juxta posse eorum cum vocatus ad sinodum fuerit a summo pontifice vel ire voluerit ad capitulum Cisterciense. Precipimus eis firmiter ex sententia sub pena tarenorum auri quinque millium ut monasterio integre et sine aliqua diminutione supradicta servitia et debita debeant congruis temporibus exhibere; quin etiam ad mandatum nostrum ad majorem cautelam monasterii gaudiam (*a*) dedit procurator eorum et fidejussores posuit, scilicet Nicolettam de Gasparina, Gregorium Platogens (?) papam, Michelem Grassum, Petrum Asy, . . ., Constam Bunchiniri, Joannem Burrectam ac Arcudium . . . Marcum (*b*), ad recompensanda monasterio integre dudum subtracta servitia et ad respondendum plenarie de futuris. Ad que servitia facienda si quis processu temporis rebellis fuerit inventus, bonis suis omnibus ad manus dicti monasterii devolutis, mercedi curie supponatur. Ad memoriam autem hujus cause processus et securitatem perpetuam monasterii prelibati, assidente nobis judice Nicolao de Siracusia judice et assessore imperiali justitiariatus ejusdem, presens scriptum scribi fecimus per manus notarii Philippi de Salerno actorum ejusdem justitiariatus notarii, nostris predictique judicis et subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum. Scriptum et actum Gyracii, anno domini millesimo ducentesimo vigesimo primo, mense et indictione premissis, imperante domino nostro Frederico Dei gratia illustrissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno imperii sui primo, feliciter.

Post hec dum essemus Tropee pro dicti nostri justiciariatus officio exercendo, prefatus procurator monasterii prelibati comparuit querulus coram nobis exponens quod homines seu villani casalium predictorum necnon et fidejussores eorum requisiti pro parte monasterii supradicti de debitis et servitiis prefato monasterio exolvendis, dicti homines seu villani et fidejussores eorum predicti prefata debita et servitia ipsi monas-

(*a*) Ibidem *godiani*, pessime.

(*b*) Haec omnia nomina apud Macciucca omittuntur.

terio tradere et solvere recusarunt; cumque vellemus de his plenius informari, immediate prefatos homines seu villanos et fidejussores eorum mandavimus ad nostri presentiam accersiri. Quorum convenientes aliqui coram nobis quarto (a) die mensis octobris, decime indictionis, apud monasterium memoratum, presente ibidem venerabili Tropiense episcopo et quibusdam aliis nobilibus, assignaverunt quasdam litteras abbati monasterii pretaxati continentes hunc modum :

Fridericus, etc., religiosis viris abbati et conventui monasterii Sancti Stephani de Nemore, fidelibus suis, etc. Querela pro parte hominum de casalibus Mentabri, Gasparine, Arunchi et Oliviani fidelium nostrorum iterato nostre est celsitudini presentata quod cum ipsi libenter velint vobis et monasterio vestro debita servitia facere que tempore felicium regum predecessorum nostrorum facere consueverunt et debent, vos modum et consuetudinem excedentes, ut dicitur, eos non cessatis gravissime molestare, et cum super hoc vobis vice alia scripsissemus, mandatum nostrum ut asserunt clausis oculis transeuntes eis studuistis graviores molestias irrogare. Quod, si verum est, grave ferentes fidelitati vestre iterato precipiendo mandamus quatenus prefatos homines predictorum casalium fideles nostros ultra quam consueverunt temporibus aliorum regum predecessorum nostrorum et de jure vobis et monasterio vestro tenentur, de cetero debeatis indebite minime molestare, ut iterato de vobis majestati nostre juste conqueri non cogantur. Datum apud Trepanum, vicesimo quinto septembris, decime indictionis.

Ad has litteras devote receptas abbas monasterii prenominati conquestus est curie nostre dicens : « Peto rationem ab istis hominibus qui do-
» mino imperatori mentiti sunt me contemptis primis litteris suis eis gra-
» viores molestias irrogasse. » Tunc curia interrogavit eos dicens : « Vos
» omnes an pars vestri mendacia domino imperatori suggessistis? . . .
. . . . ait ad eos curia : « Vultis
» vos qui hic estis pro omnibus respondere? » Et dixerunt : « Pro nobis
» tantum respondebimus; terminum tamen petimus ut de omnibus res-

(a) Ap. Tromby *quinto*.

» pondeamus. » Tunc dictus procurator prefati monasterii ostendit predictum crismum dicto eorum procuratore presente : quo viso. . . . . quod ibi continetur tam ab his qui intererant quam ab absentibus aliis hominibus seu villanis casalium predictorum adimpleri debeat et firmiter observari. Dedit etiam prefati monasterii procurator gaudiam (*a*) et fidejussoriam cautionem ut si probaretur imperiale mandatum. . . . . in aliquo preteriisse mercedi curie subjaceret. Interrogatus ipsorum hominum seu villanorum procurator ad hec si probare id posset, respondit quod non; super hoc censuit curia penam mercedis curie eos incurrisse pro eo quod imperiali celsitudini sunt mentiti tam apud. . . . . curiam imperialem quam apud eosdem abbatem et conventum. Demum injunximus utrique parti ut septimo decimo die mensis octobris coram nobis apud Nicoteram in curia conveniret de his diffinitivam sententiam auditura. Presente igitur utraque parte in curia in termino supradicto, per diffinitivam sententiam tam dictos fidejussores dictorum hominum seu villanorum casalium predictorum in suprafato crismo notatos pro eo quod non adimpleverunt dictam fidejussionem eorum Gyracii factam. . . . . curie subire mercedem quam dictum procuratorem eorumdem hominum seu villanorum nomine eorum et eosdem villanos pro eo quod juxta sententiam domini Regini archiepiscopi et nostram prelibato monasterio exhibere sive prestare servitia et debita recusarunt, ad quinque millium tarenorum penam imperiali curie applicandam et ad prestandum de cetero annis singulis prefato monasterio prenominata servitia et debita que in prescripta sententia domini Regini archiepiscopi et nostra lata exinde plenius continentur, condemnandos duximus sententialiter et in scriptis. Lata est hec nostra sententia in terra Nicotere, presente et assistente nobis predicto judice Nicolao de Siracusia (*b*) judice et assessore imperialis curie nostre necnon notario Philippo de Salerno ejusdem curie actorum notario, predicto die septimo decimo mensis octobris, decime indictionis. Ad cujus rei memoriam et inviolabile firma-

(*a*) Ap. Tromby *guardiam*, minus recte.

(*b*) Ap. Tromby *de Gyriace*, male.

mentum et ad securitatem memorati monasterii Sancti Stephani de Nemore hoc presens judiciale instrumentum per manus predicti notarii Philippi de Salerno scribi fecimus, nostris sigillo et subscriptione et aliorum subscriptorum testium signis et subscriptionibus fecimus et jussimus communiri, anno, mense et indictione premissis. Ego Rogerius Attavus imperialis justitiarius Calabrie predicta confirmo. Ego Nicolaus de Syracusiis judex et assessor. Ego Nicolaus de Flumaro (*a*) testis sum. Ego Aymericus interfui. Ego Joannes Comertius (*b*) testis sum. Ego Goffredus de Bisiniano testor. Ego Leo de Protopapa bajulus Nicotere testor. Ego Johannes Rufus testis sum. Ego Convitalis (*c*) filius quondam Convitalis testis sum. Signum manus Matthei notarii. Ego Rogerius bajulus Nicotere testor.

Fridericus, Romanorum imperator, Ravennatibus significat se Gotefrido Blandratensi comiti Romaniolae inter caetera causam cognoscendam de nece Ugolini de Juliano quondam comitis Romaniolae et secundum ordinem judicandam commisisse (1). Panormi, 9 novembris.

(*a*) Ap. Tromby *de Humaro.*
(*b*) Ibidem *Camertus.*
(*c*) Ibidem *Comitialis.*

---

(1) Comes Blandratensis, quaestione hac de re habita, cum neminem qui diceret contra rempublicam Ravennatem invenisset, atque Ravennas syndicus jurisjurandi religione cum viginti sacramentalibus se purgasset, Gallinum Alliatem Mediolanensem Ravennae potestatem libris Ravennatibus MDCL, rempublicam autem Ravennatem marcis argenti trecentis primo, mox quadraginta tantum, mulctavit. Quamobrem Paulus Traversaria, cum esset postero anno kalendis martii Pisauri, decrevit ut Gallinus et respublica Ravennas Gotfrido comiti libras Ravennates mille quingentas quinquaginta solverent et ipse Gotfridus pignora restitueret. Unde Gotfridus, lata VI nonas martii prope Hospitalem domum Cavedonam sententia, Canusino Gotazaga multisque praeterea adhibitis testibus, Ravennates absolvit. Cf. RUBEIS, *Histor. Ravenn.*, lib. VI, ad ann. 1221. Differt tamen, praecipue de numero librarum, instrumentum

(Memorat. a Hier. Rubeis, *Histor. Ravenn.*, lib. VI, ad ann. 1221.)

Datum Panormi, V idus novembris, indictione decima.

Panormi, 12 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, officialibus per episcopatum Aquini constitutis mandat ne quasdam libertates Gregorio episcopo Aquinati et ecclesiae ejus a se ipso per privilegium suum concessas infringere audeant.

(Inedit. in archiv. monast. Montis Cassini e cod. pergam. 468 scripturae coaevae, fol. 41 verso, et *Cod. diplomat.* MSS., ibid., tom. V.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, magistris justiciariis, justiciariis, camerariis, comitibus, baronibus, militibus, castellanis, balivis per episcopatum Aquini constitutis presentibus et futuris, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Notum facimus fidelitati vestre quod nos ad supplicationem Gregorii venerabilis Aquini episcopi quasdam libertates sibi et ecclesie sue Aquinati de nostra gratia concessimus et exinde sibi privilegium fieri jussimus nostri sigilli impressione roboratum (1). Volentes igitur privilegia fidelibus nostris a nobis indulta robur firmitatis habere, fidelitati vestre mandamus et sub pena gratie nostre precipimus firmiter quatenus nullus vestrum privilegium ipsum, sicut de nostra gratia confiditis, infringere audeat vel aliquatenus contravenire presumat. Si quis autem vestrum ausu temerario

---

ap. Fantuzzi, *Monum. Ravenn.*, t. V, p. 167 memoratum: « Anno 1222, martii 2, indic- » tione X, in civitate Pesari, dominus Gullielmus (*sic*) de Alliate potestas Ravennae promisit » domino Gottifredo de Blandrata comiti Romaniae se soluturum nomine communis Ravennae » 650 libras Ravennates quas illi solvere debebat pro facto mortis Ugolini quondam Juliani. »

(1) Quod non invenimus, neque usquam alibi memoratur.

contra hujus mandati nostri tenorem venire presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum.

Datum Panormi, XII novembris, indictionis decime.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiae Montis Regalis confirmat duas barcas quas eadem ecclesia habet in portu Panormi libere ad piscandum. Panormi, 13 novembris.

(Memorat. ap. Lello, *Descriz. del monast. di Morreale*, ind. summar. n° 91, qui ad ann. 1220, qua nescimus causa, se refert. Indicat quoque Taballo, *Elenco dei diplomi di Monreale*, p. 44, n° 155.)

Datum Panormi, XIII novembris, ...

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis et acceptis servitiis Pisanorum, Alberico Pandimiglio potestati Pisarum nomine communis ipsius omnia privilegia confirmat jamdudum ei indulta per imperatores Romanorum praedecessores suos, eisdemque civibus multas gratias et exemptiones indulget (1). Panormi, 17 novembris.

---

(1) Januensibus contra circa hoc tempus se gravem praebuit imperator, quibus diversa jura in regno Siciliae usurpata subtraxit. Rem ita narrat Januensis scriba ap. Muratori, *Script.*, t. VI, p. 422-423, ad ann. 1221 : « Potestas Januensis . . . . . viros nobiles et discretos » Obertum de Volta, Sorleonum Piper et Ubertum de Novaria ad eum legatos direxit, qui » quum ipsum diu insequuti fuissent multis expensis et laboribus fatigati, demum inde nihil » proficere valuerunt. . . . . . . Palatium quondam Margariti quod dederat hominibus Januae » habitandum a nobis atrociter sublevavit, et insuper fracta libertate quam beneficio privile- » giorum suorum concesserat nobis, in regno ad drictum praestandum, quod omnibus cir- » cumspectis decenum et eo amplius computatur, nos injuste subjecit, et comitem Alemannum

(Memorat. ap. Roncioni, *Istor. Pisane*, in *Arch. storico Italiano*, t. VI, p. 489. Adest etiam in Cod. *Pagnini*, in arch. Florent. cum hac nota : 16 novembris.)

Datum Panormi, anno dominice incarnationis MCCXXI, XVII novembris, decima indictione.

Laterani, 19 novembris.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori infelicem exercitus christiani casum exprobrat, quem sibi etiam multi imputant quum toties dilationem processus postulanti morem gesserit; hortatur ad hoc vituperium Deo et hominibus satisfaciendo diluendum, monens quod si nimis remisse egerit ipsi ulterius parcere non poterit, mittitque ad eum Nicolaum Tusculanum episcopum apostolicae sedis legatum.

(Edidit, sed partim, solito suo more Raynald., *Annal. eccles.*, t. I ad ann. 1221, § XVIII, e Regest. Honor., lib. VI, epist. 61.)

Honorius, etc., Frederico, etc. Merore plenas tibi cogimur litteras destinare quia nostram animam acerbi doloris gladius pertransivit, et adhuc incessanter concidimur vulnere super vulnus. Cum enim flebilis casus exercitus christiani nos dolore intolerabili sauciaverit, deplorantes non tam labores et sumptus quos jam per quinque annos indesinenter pertulimus quosque christianus populus in rebus et personis subiit esse prorsus amissos quam confusionem christiani nominis et ipsius injuriam Jesu Christi qui peccatis nostris exigentibus blasphematur; ecce novi doloris

---

» qui inter alios fidelissimus existens ei tot ac tanta servitia contulerat inhoneste a guberna- » tione civitatis Syracusanae privavit. Guilelmus Porcus scilicet admiratus, quum ipsum capere » vellet, sicut divinae placuit voluntati, manus ejus aufugit et liminibus regni coactus inde [se] » separavit. »

vulnere sauciamur, clamante contra nos universo populo christiano et nobis ruinam prefati exercitus imputante ac publicis improperante clamoribus quod totum orbem confudimus christianum eo quod te sicut noveras transire non compulimus in subsidium Terre Sancte, culpam tuam in nos penitus refundendo et utique non prorsus immerito, quia revera dum tibi nimis detulimus, reliquimus christianum exercitum sub periculo casus quem hodie deploramus. Ut enim recenseamus ab exordio culpam nostram, scis quod te jam a pluribus annis crucesignatos sub spe ac specie tui transitus detinente, nos tue morem gessimus voluntati ne promotio tue sublimitatis ad quam aspirabamus ex animo posset nobis aliter facientibus retardari. Postmodum vero te cum instantia postulante ut excommunicaremus te et crucesignatos Theutonie universos nisi una cum illis in subsidium Terre Sancte transires infra eum quem ipse tibi terminum prefixisti, in hoc quoque gessimus tibi morem; sed quoties ipsum prorogari terminum postulaveris et quoties in hoc tue acquieverimus voluntati et nos scimus et tua prudentia non ignorat. Denique quam solemniter et quam publice in tua coronatione promiseris te in succursum dicti exercitus transiturum, cismarini noverunt et etiam transmarini. Unde propter expectationem tui subsidii quod etiam per litteras tuas promisisti exercitui sepe dicto, refutata est compositio per quam Hierosolymitana civitas restituebatur cultui christiano ac demum tota christianitas passa est illius confusionem opprobrii quod nulla poterit oblivione deleri. Quid igitur mirum si contra nos et contra te murmurat, immo clamat populus christianus, si credit et dicit nos tibi dedisse licentiam remanendi, ac per hoc nobis imputans totum malum quod accidit, nos et Romanam Ecclesiam pro te inauditis lacessere contumeliis non desistit. Certe si hoc tecum digna meditatione pensaveris, recognosces in te gravis culpe periculum nec ante letitia letaberis quam feceris aliquid per quod satisfecisse Deo et hominibus videaris. Expergiscere igitur, expergiscere, serenissime princeps, et ad vindicandam injuriam Christi et nominis christiani accingere totis viribus toto corde. . . . .

[Plura addit ut ejus animum ad suppetias crucesignatis illis quam primum ferendas accendat. Tum etiam memorat litteras ac legationem quas

haud multo ante ad se Fridericus miserat (1) in quibus magno dolore ex christiani exercitus infortunio affectum se ostendere conabatur affirmabatque omnem operam studiumque in sacra expeditione instruenda conferre. Tum pergit papa :]

Illud autem nolumus te latere quod si nec christiane fidei zelo nec nostris exhortationibus excitatus in negotio, quod absit, fueris tepidus memorato, nos tibi non parcemus ulterius nec saluti nostre ac utilitati totius populi christiani te amplius preferemus. Quinimmo te tanquam voti proprii contemptorem excommunicatum solemniter publicabimus idque per totum christianum orbem faciemus in confusionem tuam publice nunciari. Tu ergo sicut vir sapiens et catholicus princeps diligenter attende que dicimus et cave prudenter ne te ipsum in ejus articulum difficultatis inducas de quo facile nequeas expediri. . . . .

[Postremo de legatione ad Fridericum decreta subjungit mitti Nicolaum Tusculanum episcopum apostolicae Sedis legatum (2) quem honorifice excipiendum mandat, atque imperatorem illius monitis faciles aures praebere adhortatur.]

Datum Laterani, XIII kalendas decembris, pontificatus nostri anno sexto.

Agrigenti, novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, pro eo quod Agrigentina ecclesia licet ad inopiam redacta septem millia tarenorum in ser-

---

(1) Cf. supra epist. 25 octobr., p. 206.

(2) « Postea eumdem episcopum Tusculanum monuit pontifex ut si revera Fridericus Terram » Sanctam recuperare in animum induxisse comperisset, daret operam ut ad se quamprimum » de hujusmodi negotio in colloquium veniret; tumque litteris ad cunctos imperii populos missis » eoque die quem constitueret expeditionem movendam ediceret, omnesque hortaretur secum » trajicerent Hierosolymitanum regnum e manibus impiorum vindicaturi. De hac legatione ad » Fridericum a se missa cunctos occidentalium regionum episcopos certiores fecit, eosque sibi » commissos populos ad subsidium Terrae Sanctae ferendum resque ibi labantes reparandas adhortationibus incitare jussit. » RAYNALDUS, *ibid.*, § XXII, ex epist. 142.

vitia sua contulit, Ursoni episcopo et praedictae ecclesiae concedit et perpetuo confirmat Mussarum et Minzarum cum omnibus eorum tenimentis et pertinentiis.

(Edit., non tamen integre seu correcte, ap. PIRRUM, *Sicil. sacr.*, t. I, p. 708.)

[Fridericus, etc.] . . . .
. . . .
Attendentes quod Agrigentina ecclesia antiquitate nobilis multa sui (?) persecutione vastata (*a*) ad extreme devenerat inopiam paupertatis, considerantes nihilominus quod pro servitiis nostris ad valorem septem millium tarenorum dudum recepimus, ad supplicationem etiam tuam, Urso, venerabilis Agrigentine episcope, fidelis noster, qui tue fidei et honestatis merito hec et majora a nostre munificentie gratia cerneris meruisse et crederis in antea promereri; illius intuitu qui regibus dat salutem et pro salute nostra et remedio animarum felicium quondam parentum nostrorum memorie recolende, de solita pietatis nostre gratia concedimus tibi et memorate Agrigentine ecclesie et perpetuo robore confirmamus Mussarum et Minzarum cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis suis, ut ipsum videlicet Mussarum et Minzarum perpetuis temporibus ipsa ecclesia Agrigentina teneat et possideat cum omni jure suo libere et absque juris et servitii requisitione. Ad hujus autem concessionis et confirmationis nostre memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium per manus Aldoyni notarii et fidelis nostri scribi et majestatis nostre sigillo jussimus insigniri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Agrigenti, anno Dominice incarnationis MCCXXXII, mense novembris, X indictione (1).

(*a*) In impresso *vallata*, minus nostra sententia recte.

---

(1) Hic majorem indictioni quam anno apud Pirrum expresso fidem censemus adhibendam, quum locus dati privilegii sat bene itineris ordini conveniat.

Catiniae, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, memorat confirmationem omnium libertatum domibus Sanctae Mariae Theutonicorum, hospitalis Sancti Johannis et militiae Templi ad intercessionem suam ab Honorio papa concessam, et specialiter domui Theutonicorum concedit de civitatis Brundusii redditibus ducentas uncias auri annuatim ad pallia alba comparanda, donec in terris laboratoriis competens excambium fieri possit.

(Inedit. in archivo Berolinensi, e libro copiali ord. Theuton. saeculi XIII.)

Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperium et regnum nostrum tunc bene stabiliri confidimus, cum regem regum omnium de cujus munere que possidemus bona recepimus honoramus. Tanto enim largitori bonorum omnium in signum devocionis et laudis tenemur assurgere quanto ipsum in cunctis nostris profectibus clementem et munificum experimur. Universorum itaque fidelium nostrorum presencium discat etas et futura posteritas quod nos olim ad Urbem diadema imperii recepturi felici omine accedentes et sollempniis ad tantum tripudium concedentibus celebratis, ut in sublimationis nostre principiis sacrificium Domino redderemus acceptum, beatissimum patrem dominum Honorium sancte Romane sedis summum antistitem filiali devocione flagitavimus et monuimus diligenter ut venerabilem domum Sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane que divorum augustorum Friderici avi et Henrici patris nostri inclite recordationis structura fuerat specialis, et ipsius domus religio ipsorum immitacione laudabili ac sancte conversationis affectu serenitati nostre grata est et accepta, totum et integrum ordinem venerabilium domorum hospitalis Sancti Johannis in pauperibus et infirmis, et domus milicie Templi in clericis, militibus et aliis fratribus suis....., ceterasque libertates et immunitates ac indulgencias eisdem domibus ab apostolica Sede concessas indulgere et concedere libe-

raliter dignaretur. Qui peticionem nostram pietatis et devocionis studio conspiciens adherere, de plenitudine apostolice potestatis eam infra pium sacrarium exauditionis admisit et voti nostri benignus et ylaris extitit executor. Nos igitur gratiam quam intercessionibus nostris domui memorate Sedes apostolica fecerat diligencius intuentes, volentes etiam quod magister et fratres ipsius domus in conservandis hiis que nostro interventu concessa sunt imperialis munificencie subsidium persentirent, pro salute nostra et remedio animarum predictorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, fratri Hermanno magistro ac fratribus ipsius domus Sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitane de gratia nostra concessimus et donavimus in civitate nostra Brundusii, de redditibus nostris sive de bajulatione sive de sicla, pro elemosina ad pondus Baruli ducentas auri uncias annuatim de quibus pallia alba ad usum ipsorum fratrum militum statuimus et sanccivimus comparanda. Quas uncias erunt usque adeo de nostra gratia recepturi, donec pro ipsis ducentis unciis in terris laboratoriis seu aliis possessionibus in regno nostro predicte domui competens excambium nostra munificencia largiatur. Statuentes auctoritate presentis privilegii [et] injungentes firmiter universis ne quis contra hanc concessionem et donationem nostram ausu temerario venire presumat aut magistrum et fratres predictos in aliquo perturbare. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem culminis nostri et penam centum librarum auri se noverit incursurum, medietatem camere nostre et reliquam medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus autem concessionis et donationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium per manus Johannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario majestatis nostre impressa jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Cathanie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense decembris, decime indictionis, imperii domini nostri Frederici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno secundo, regni vero Sicilie vicesimo quarto, feliciter. Amen.

Cataniae, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, pro religiosa vita fratrum hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum, eis generaliter confirmat et renovat quaedam privilegia a se et a praedecessoribus suis eisdem indulta; specialiter autem concedit in regno suo exemptionem juris doanarum et libertatem de passagio Phari.

(Edid. Mongitore, *Mans. S. Trinit. monum. hist.*, cap. IV, p. 25-26, ex autographo, ap. Graevium, *Thes. antiquit. Sicil.*, t. XIV.)

In nomine Dei eterni et salvatoris nostri Jesu Christi. Amen. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter alia pietatis opera quibus imperialis dignitas uberius exornatur liberalitas obtinet principatum, illa precipue que ad utilitatem et commodum locorum venerabilium exercetur; nam si a terreno principe particula datur, illius interventu qui affluenter tribuit universa, quod dat ad eum cum fenore multo revertitur, maxime cum per hoc videtur quod pro terrenis eterna provida meditatione mercamur. Ea propter notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos meditatione piissima attendentes qualiter sacra domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem a divo quondam augusto domino imperatore Friderico avo nostro pietatis intuitu propagata in multiplices fructus prodiit laude dignos (*a*) et a domino quondam imperatore Henrico inclyte recordationis patre nostro rebus ac libertatibus premunita et incrementum suscepit spiritualiter ac temporaliter Domino famulando et erga nostram magnificentiam fratrum dedicatorum ibidem ad divina servitia cum fide devotio semper crevit, nec non celebrem vitam et honeste religionis cultum quibus dilectus nobis in Domino frater Hermannus magister domus hospitalis

(*a*) Haec : *a divo quondam — laude dignos* desunt in privilegio, dat. Tarenti, mense aprilis. Cf. supra p. 160 et 163, not. 1.

ejusdem et fratres sui clarere noscuntur, labores etiam et sudores assiduos quos pro fide christianorum et gloria sustinent incessanter, eterne retributionis intuitu et pro remedio animarum progenitorum nostrorum recolende memorie et pro nostre salutis ac glorie incremento ipsorum favori et profectui intendentes, eamdem sacram domum et ab ipsa quaslibet derivatas, fratres et confratres ipsarum cum omnibus bonis suis stabilibus et mobilibus que per totum regnum (a) nostrum rationabiliter possident in presenti et que in antea dante Domino justo titulo poterunt adipisci, necnon subditos etiam (b) ejusdem legationem atque negotia exercentes sub speciali protectione et defensione nostra recipimus et eidem perpetuo confirmamus omnia privilegia et scripta quelibet tam a parentibus nostris quam a nobis sibi pro liberalitate concessa, necnon etiam castra, casalia, homines et possessiones que donatione regum, concessione principum et oblatione fidelium sive quolibet alio justo titulo est adepta vel in futurum poterit adipisci, eximentes ipsos ab omni datia, collecta seu exactione, ab omni angaria et ab omni onere cujuslibet servitutis. Concedimus etiam eidem sacre domui de munificentia liberali libertatem aquarum, herbarum et lignorum ubique per demanii nostri terras (c) ad suarum domorum usum et ut de ipsis per totum regnum nihil pro plateatico vel consuetudinibus aliquibus vel statutis in terra vel in mari solvere teneantur, firmiter statuentes ne quis fratres predictos de tenimentis et possessionibus hospitalis ejusdem sine judicio et justitia presumat aliquatenus dissaisire. De abundantiori quoque gratia nostra eidem domui et fratribus suis concedimus et perpetuo confirmamus ut de proventibus et bonis suis que ad partes dirigunt transmarinas pro ipsorum utilitatibus et servitio Jesu Christi nihil ab ipsis ratione portatici, plateatici, falangatici, ripatici, tholonei vel alicujus alterius exactionis et juris dohanarum et portuum in introitu vel exitu exigatur. Insuper de passagio Phari eundo a Sicilia in Calabriam et a Calabria in Siciliam eidem sacre domui et fratribus suis et omnibus bonis eorum perpetuam damus et concedimus

(a) In altero, *imperium.*
(b) In altero, *earum.*
(c) In altero, *per proprias imperii nostri terras.*

libertatem (*a*), statuentes et auctoritate presentis privilegii injungentes firmiter universis ne aliquis memoratam domum, fratres et confratres ipsius super predictis omnibus aliquatenus molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam centum libras auri puri componat, medietatem camere nostre et alteram medietatem passis injuriam persolvendam. Ad cujus rei certam evidentiam et perpetuam firmitatem presens privilegium per manus Joannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Catane, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense decembris, indictione decima, imperii domini nostri Frederici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno secundo, regni vero Sicilie vigesimo quarto, feliciter. Amen.

(*a*) Haec scilicet *De abundantiori quoque — concedimus libertatem* ab altero privilegio omnino discrepant.

ANNO 1222. — INDICTIONE 10.

Nicolaus Tusculanus episcopus, apostolicae Sedis legatus, in praesentia Friderici Romanorum imperatoris et Siciliae regis multorumque archiepiscoporum, episcoporum et abbatum ecclesiam Cusentinam dedicat et altare majus ibidem consecrat. Apud Cusentiam, 30 januarii.

(Edit. ap. UGHELLI, *Italia sacr.*, t. IX, p. 211.)

Nicolaus Dei gratia Tusculanus episcopus, apostolice Sedis legatus (1). Presenti scripto posterorum notitie tradimus quod Cusentiam venientes rogati fuimus a Luca venerabili archiepiscopo et capitulo ejus ut ecclesiam Cusentinam, que licet antiqua esset nusquam tamen aliquando consecrata fuerat, consecrare solemniter deberemus. Quorum precibus grato concurrentes assensu, presente domino Friderico illustrissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, cum venerabilibus Landone Regino et Nicolao Tarentino archiepiscopis, cum Rogerio Militensi, Gulielmo Bisinianensi, Andrea Sancti Marci, Bartholomeo Syracusano, Bernardo Genicocastrensi (*a*), Thaddeo Neocastrensi, Philippo Marturanensi episcopis, astante abbatum et monachorum, cleri et populi multitudine copiosa, dedicavimus ecclesiam et consecravimus manibus nostris altare majus ad honorem Dei et beatissime Dei genitricis semperque virginis Marie, in quo recondidimus reliquias istas. [Sequitur reliquiarum catalogus.] Que utique consecratio celebrata est anno dominice incarnationis M. CC. XXII, tertio kalendas februarii, indictione X, pon-

(*a*) Rectius *Geneocastrum* sive *Belcastrum* (*Belcastro*).

(1) Vid. supra, p. 220 et 222.

tificatus domini Honorii pape III anno VI. Secunda vero die perambulavimus et benediximus cœmiterium, etc. . . . Ad indicium autem hujus consecrationis et indulgentie presens scriptum fieri jussimus per manus Guglielmi clerici et publici notarii Cusentie, nostra et predictorum archiepiscoporum et episcoporum subscriptionibus et sigillorum impressionibus communitum. [Sequuntur subscriptiones.]

Apud Trojam, 7 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Wolkenrode Cisterciensis ordinis ab omni jure exactionis et collectae eximit, eique bona civitati Mülhausen adjacentia quae possidet seu adipisci poterit confirmat.

(Edit. ap. RUDOLPH., *Gotha diplomat.*, t. II, p. 269; correctius vero ex autographo ap. SCHOETTGEN et KREYSIG, *Diplomataria*, t. I, p. 757. Integrum tamen diploma neque apud illum neque apud hos prodiit.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, omnibus in perpetuum. Cum ex auctoritate commissi nobis a Deo regiminis, etc. Noverint itaque presentes et posteris innotescat quod nos munificentiam et gratiam quas monasterium in Volkenroth ordinis Cisterciensis ab antecessoribus nostris Romanis imperatoribus et regibus super concessis sibi libertatibus est assecutum irritare nolentes, sed potius augmentare cupientes, ex nostra regali munificentia et gratia eidem monasterio indulgemus ut ab omni jure exactionis et collecte quod vulgo dicitur Gescoz (1) sit absolutum; et si qua bona civitati regni nostri Mulhusen adjacentia que imperiali jurisdictioni attinere deberent, in molendinis, in terris cultis seu incultis, emptione, donatione, concambio

---

(1) Hodie *Geschoss*. Cf. privilegium Henrici Romanorum regis, datum Nordhausen, ann. 1223, 3 idus septembris, indictione XI.

est adeptum et in futurum poterit adipisci, de nostra gratia libere possideat et quiete. Ut igitur, etc. (*Sic.*)

Testes sunt Hermannus marchio de Baden, Ernestus comes de Velseke, Renaldus dux Spoleti, Reinhardus de Plawe, Hilwardus de Ranis, Conradus de Werden, Gunzelinus dapifer.

Datum apud Trojam, anno Domini M. CC. XXII, indictione decima, nonis martii.

Fridericus, Romanorum imperator, Ludewico lantgravio Thuringiae et Juttae marchionissae Misnensi mandat ut Brunoni episcopo Misnensi quasdam foveas argentinas et decimas pertinentes ad illas quas violenter occupaverunt, libere dimittant.

Apud Neapolim, 23 martii.

(Edit. ap. Kreysig, *Beitrag. zur Sächs. Geschicht.*, II Theil, 6, n° IV.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus et rex Sicilie, dilecto principi suo L. (*a*) lantgravio Turingie et nobili femine J. (*b*) marchionisse Misnensi graciam suam et omne bonum. Fidelis nostri B. (*c*) Misnensis episcopi principis nostri gravem accepimus questionem quod quasdam foveas argentinas et decimas pertinentes ad illas sitas in territoriis episcopatus sui et ei ac ecclesie libere pertinentes occupatis utpote violenter et vestris usibus vendicatis, alias in quibusdam bonis ecclesie sue graves existentes eidem. Quia vero illa specialiter nostre pertinet majestati et nos tueri teneamur eamdem, volumus et precipiendo mandamus ut quod episcopi est et ecclesie pertinet antedicte eis libere relinquatis, ita ut per hoc vestram circa nos possimus benevolentiam experiri.

Datum apud Neapolim, X kalendas aprilis, indictione decima.

(*a*) Scilicet *Ludewico.*
(*b*) Scilicet *Juttae.*
(*c*) Scilicet *Brunonis.*

Aversae, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Johannicii abbatis monasterii Sancti Michaelis Archangeli de Monte Caveoso, ea quae a praedecessoribus suis eidem monasterio collata fuerunt confirmat.

(Memorat. ap. Mabillon, *Annal. Benedict.*, t. V, p. 414, ex copia a Serafino Tansi sibi communicata. Opus autem ejusdem Tansi, cui titulus : *Chronaca di S. Michele di Montescaglioso*, ubi in appendice documentorum, p. 127, hoc exhibetur diploma, diu frustra requisivimus.)

Datum Averse, anno incarnationis dominice MCCXXII, mense martio, [decime indictionis.]

Capuae, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, translationem conventus sanctimonialium in monte Salvatoris prope Aquisgranum ad monasterium Porceti (Burtscheid) monachorum incuria dissolutum ab Engilberto Coloniensi archiepiscopo de mandato suo factam, ratam habet et confirmat.

(Ediderunt Lunig, *Reichsarchiv*, tom. XVIII, p. 804. — Quix, *Cod. Aquens.*, p. 145. — Lacomblet, *Urkundenbuch für die Geschichte des Niederrheins*, zw. Band, p. 53, n° 98, ex transumpto ann. 1351. — Innovat. et confirmat. a regibus Romanorum Rudolpho primo, Coloniae, 15 kal. decemb. 1278; Adolpho, Confluentiae, 2 non. februar. 1297; Alberto, Coloniae, 5 kal. septemb. 1298.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Cum ecclesiarum Dei statum collapsum reformare non inferioris apud Deum meriti credamus esse quam ab exordio instaurare, universorum notitie tam presentis etatis quam future

posteritatis duximus declarandum quod cum monasterium in loco qui dicitur Porcetum civitati nostre Aquisgrani conterminum abbatum et monachorum nimia dissolutione et incuria, tam religione monastice conversationis interius quam sustentatione rerum exterius nec non utriusque pro defectu, numero etiam personarum ad divini cultum obsequii ibidem mancipatarum destitutum pene penitus videretur, quorumdam prudentum nos usi consilio arbitrati sumus fore consultius in provisione ejusdem monasterii pro mutatione personarum et ordinis animum inclinare. Eo igitur tenore venerabili principi nostro Engelberto Coloniensi archiepiscopo, cui gubernationem imperii in partibus Germanie necnon tutelam filii nostri Heinrici qui in presentiarum rex habetur [commisimus], imperatoriis litteris mandatum dedimus in reformationem prefati cenobii consilium et cum effectu operam adhibendi. Qui cum conventum sanctimonialium Cysterciensis ordinis in Monte Salvatoris, ex opposito civitatis predicte versus plagam septentrionalem aggregatum, multis intellexisset affligi molestiis et incommodis, brumali sevicia et ventorum turbidine propter loci eminentiam eisdem infestis adeo ut cum districtione ordinis vix ibidem valerent subsistere, prenominatum ancillarum Dei cetum prudentum et religiosorum usus consilio in monasterium memoratum duxit provide subrogandum. Cum igitur sit hec mutatio dextere Excelsi ut pro conditione virili assumptum Christi jugum [suave et onus ejus leve rejiciente et post concupiscentias suas abeunte, sexus femineus idem devote ac humiliter portandum cum ejusdem observantia regule multo tamen artiore subintraret; qui quanto divine majestati religionis sue justitia est acceptior, tanto ad interpellendam ejus clementiam pro incolumitate nostra et stabilitate imperii nostri imploratus ipsius efficacior : nos memorati principis, immo excellentie nostre factum ratum habentes, monasterium sepefatum cum bonis universis eidem attinentibus jam dictis sanctimonialibus ut eis perpetuo utantur, fruantur quiete ac libere hoc nostre majestatis caractere confirmamus. Ut hec autem nostre liberalitatis concessio futuris temporibus perpetue robur obtineat firmitatis, hanc paginam exinde conscribi et sigilli nostri munimine jussimus communiri.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vi-

cesimo secundo, imperii nostri anno secundo, regni vero Sicilie vicesimo quarto.

Datum Capue, annis predictis, mense marcii, decime indictionis.

Neapoli, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sancti Michaelis de monte Caveoso ea omnia quae tenet ex concessione Emmae comitissae civitatis Severianae (1) olim amitae suae, ipsius monasterii fundatricis, et quae ab Umberto, Radulfo et rege Rogerio collata aut confirmata fuerunt, iterum confirmat.

(Memorat. ap. MABILLON, *Annal. Benedict.*, t. V, p. 414, ex copia a Serafino Tansi sibi communicata. Cujus libro frustra diu requisito, fragmenta quaedam edimus ex dissertatione cui titulus : *Il collegio Mabilloniano*, etc., p. 341.)

[Fridericus, etc.]. . . . . presentavit curie nostre privilegium confirmationis scripti comitisse predicte sibi et monasterio a serenitate nostra indultum post curiam Capuanam. . . . . Volumus quod dictum monasterium super his que sibi concessa sunt et confirmata non molestetur. Volumus. . . . . restituatur eidem ut circa tenorem privilegii sui super premissis non molestetis eumdem. . . . . Nos igitur considerantes sacram religionem ipsius monasterii et devotionem fidei quam abbates et fratres ejus semper ad nostram majestatem per effectum operis habuerunt, attendentes etiam illustris regis Rogerii pietatem qua memorate sororis sue opus acceptans dotationem simul et devotionem ipsiu monasterii per proprium quod vidimus autenticum confirmavit, concedimus, etc. . . . .

---

(1) Nomen antiquum urbis nunc dictae *Montescaglioso*. Cf. GIUSTINIANI, *Dizion. Geogr. del regno di Napoli*, ad verb. *Montescaglioso*, ubi etiam hoc idem diploma memorat.

Datum Neapoli, anno dominice incarnationis MCCXXII, mense aprilis, [decima indictione.]

Fridericus, Romanorum imperator, civitatem Justinopolim quae alio nomine Capras vocatur (Capo d'Istria) sub sua protectione suscipit ejusque privilegia confirmat. Capuae, aprili.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 120, n° 467, ex copia sibi a Pertz communicata.)

Datum Capue, anno dominice incarnationis MCCXXII, mense aprilis, decima indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, episcopo, civitati et communitati Justinopolis litteras protectionis et libertatis impertitur. Sorae, 12 aprilis.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 120, n° 468, ex copia sibi a Pertz communicata.)

Datum Sore, XII aprilis, decima indictione.

Fridericus imperator III idus aprilis cum processione solemni receptus et hospitatus fuit in Casaemario (1). Sequenti die Verulas Apud Casaemarium, 11 (12) aprilis.

---

(1) Cum verisimile sit Fridericum Sora Casaemarium advenisse, quoddam in notatione diei mendum irrepsisse arbitramur legendumque *II idus aprilis* (12 april.), sicut in praecedenti documento.

intravit et plures dies cum papa Honorio moratur ibidem, de succursu Terrae Sanctae et frequenter et publice tractans. Rondininus, *De monast. Casem.*, cap. IV, p. 50, ex *Cod. Vatic.* — Honorius papa mense februario urbem exiens venit Anagniam ad quem imperator vocatus vadit et apud Verulas cum ipso papa conveniens per dies quindecim solemne insimul colloquium habuere. Ricc. de S. Germ., *Chronic.*, *ad ann.*

Apud Verulam, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Sancti Dominici situm in territorio civitatis Sorae pro reformatione religionis et personarum monasterio Casaemarii committit et incorporat, ut abbas Casaemarii deinceps de utroque provideat et ordinet secundum statum Cisterciensis ordinis.

(Ediderunt Baronius, *Annal. eccles.*, ad ann. 1030, § XIX. — Manriquez, *Annal. Cisterc.*, tom. IV, p. 223. — Rondininus, *De monast. Casemarii*, cap. IV, p. 51.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Edocti per eum qui transfert regna, qui nos constituit sua clementia super gentes evellere, destruere, disperdere, dissipare que noxia sunt, promovere et propagare que prosunt, monasterium Sancti Dominici situm in territorio civitatis nostre Sorane quod in spiritualibus et temporalibus ita collapsum est ut vitam improbam monachorum . . . . per religiosos et Deo placentes Cisterciensis ordinis fratres in melius reformemus, monasterio Casemarii cujus fama est celebris, unguentum effusum nomen ejus et recta religio, illud providimus committendum et incorporandum ut ex hoc nunc et in seculum seculi sint ista duo monasteria corpus unum, grex unus et pastor unus, et abbas Casemarii qui pro tempore fuerit de utroque disponat, de utroque provideat et ordinet secundum statum Cisterciensis ordinis ut de uno.

Intendentes igitur et volentes placere summo pontifici domino Honorio III reverentissimo et amantissimo patri nostro qui et nobis ordinante divina providentia. . . . . et monasterium Casemarii inter alia sui ordinis plus dilexit, cum ipsius assensu (1) et gaudio cordis concedimus et donamus monasterium Sancti Dominici, quantum ad jurisdictionis pertinet potestatem, monasterio Casemarii memorato cum omnibus tenimentis, montanis, pascuis, silvis, aquis, capellis, hominibus, libertatibus omnibus et omni jure suo, ut ipsa sint unum sub unius dominio pastoris, abbatis videlicet Casemarii, sicut supra diximus. Turbatores autem temerarios nostre hujus libertatis et unionis tanquam rebelles lumini in tempus omne bannimus, et quicumque fuerint, ab imperiali gratia sic se noverint cecidisse ac si rei principi teneantur de personis et rebus. Ad hujus itaque concessionis et donationis nostre memoriam et roboris firmitatem, presens privilegium per manus Johannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario nostro impressa jussimus communiri, anno et mense et indictione subscriptis.

Datum apud Verulam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo secundo, mense aprilis, decime indictionis, [imperii] domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno secundo, [regni] Sicilie vicesimo quarto, feliciter. Amen.

F. Halberstadensis episcopus, vigore mandati Friderici Romanorum imperatoris cujus tenor inseritur, praeposito, decano totique Apud Verulas, 20 aprilis.

---

(1) Extant etenim duae Honorii papae bullae de re eadem : prima scilicet dat. Alatri, kal. junii 1222, anno pontificatus sexto; secunda dat. Laterani, 5 idus maii 1223, anno septimo. Cf. RONDININ., *ibid.*, p. 46 et 128 et BARONIUM, *loco citato*, § XIV. Praesens ipse papa insuper quinto kal. maii ejusdem anni 1222 monasterium S. Dominici ecclesiae Casaemarii incorporavit et solemniter monachos Casaemarii in corporalem possessionem introduxit, ut testatur *Chartul. Casaemarii*, nunc codex Vatic. Vid. *ibid.*, p. 45.

Hamburgensis ecclesiae capitulo sub processus interminatione praecipit ut nihil attemptare praesumant quod cedat in damnum ecclesiae Bremensis et imperii.

(Edidit Lappenberg, *Hamburg. urkundenb.*, p. 400, n° CDLVI, ex pergam. in civit. registr., B n° 24, 6. — Originale extat in archivo Hannoveriano.)

Venerabilibus dominis et in Christo dilectis H. preposito, W. decano totique Hammenburgensis ecclesie capitulo, F. Dei gratia Halberstadensis episcopus promptum cum orationibus sue possibilitatis obsequium. Mandatum serenissimi domini nostri imperatoris accepimus in hec verba :

F. Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilectis principibus suis archiepiscopo Magdeburgensi et episcopo Halberstadensi gratiam suam et omne bonum. Scripsimus dilectis principibus nostris Lubicensi et Racesburgensi episcopis ut prepositum et capitulum Hammenburgense moneant efficaciter et inducant quatinus a molestatione Bremensis ecclesie desistentes nichil attemptare presumant quod cedat in dampnum imperii et ecclesie memorate. Quod si forte monitis ipsorum acquiescere noluerint, vobis damus in mandatis ut hoc ipsis sub obtentione gratie imperialis districte precipiatis. Mandantes nichilominus dilecto principi nostro G. in archiepiscopum Bremensem electo ut nichil cum predictis Hamburgensibus attemptare presumat quod cedat in prejudicium imperii et sepedicte Bremensis ecclesie lesionem. Datum apud Verulas, XII kalendas maii, indictione X.

Venerandam igitur universitatem vestram monemus in Domino, rogamus attente, consulimus bona fide ne quid contra Bremensem ecclesiam talium attemptetis per quod offensam domini nostri imperatoris que ecclesie vestre nimis dampnosa est incurratis; quia, licet vos ut dominos in Christo dilectos semper honorare velimus, tamen si monitis nostris acquiescere nolueritis, quod de vobis nec credimus nec speramus quin parere debeatis propriis vestris profectibus consulendo, secundum mandatum nobis injunctum manum extendere et procedere cogeremur (*a*).

(*a*) Ita, deficientibus notis chronologicis.

Fridericus, Romanorum imperator, comitibus, baronibus, justiciariis caeterisque officialibus suis in regno Siciliae constitutis mandat quod omnino abstineant molestationibus ecclesiis clericisve illatis et immunitates omnes quibus tempore regis Willelmi secundi uti consueverunt eis integre conservent.

Veruli, 23 aprilis.

(Inedit. ex originali in archivo reg. S. Severini ap. Neapolim.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, comitibus, baronibus, magistris justiciariis, magistris camerariis, bajulis, catepanis, comestabulis, judicibus, et universis fidelibus suis per regnum Sicilie constitutis gratiam suam et bonam voluntatem. Ex querela ecclesiarum et clericorum regni nostri nostra nuper serenitas intellexit quod vos eos collectis, exactionibus, angariis et perangariis, exercitibus et procurationibus, et trahendo in civilibus et criminalibus ad judicium seculare, nec non et aliis multipliciter offenditis et gravatis, quod tanto nostre displicet pietati quanto ecclesias et clericos regni nostri in suis libertatibus et rationibus volumus conservare. Verum quum ejus intuitu per quem feliciter vivimus et regnamus tam ecclesias quam personas ecclesiasticas manutenere volumus et fovere, nec pati volumus nec debemus ut a vobis officialibus aut aliis fidelibus nostris debeant molestari, quas tenemur in perpetuis libertatibus et honoribus ex commisso nobis regimine conservare, fidelitati vestre sub pena gratie nostre districte precipiendo mandamus quatinus. . . . . . . ecclesias quam personas ecclesiasticas regni nostri in nullo indebite agravantes. . . . . et immunitates quas tempore regni W. secundi predecessoris nostri habere consueverunt eis integre conservetis et in omnibus justiciis et racionibus suis sic manuteneatis easdem quod in nullo de cetero se senciant agravatas et nos devocionem vestram exinde commendemus. Nos enim tanto eas in omnibus

volumus protegere et in suis racionibus specialiter conservare quanto nos divina clementia pre aliis orbis principibus exaltavit.

Data Veruli, vicesima tercia die mensis aprilis, indictionis decime.

Apud Casaemarium, 21 aprilis.

VIII kalendas maii per Casaemarium [imperator] rediens participium bonorum omnium quae in monasterio fiunt et fraternitatem cum patre et matre in humilitate digna memoria et petiit et accepit, et hoc per studium et industriam venerabilis Johannis hujus monasterii abbatis. Rondininus, *de Monast. Casem.*, cap. IV, p. 50, ex *Cod. Vatic.*

Verulis, 25 aprilis.

Honorius papa Pelagio Albanensi episcopo apostolicae Sedis legato scribit se, colloquio nuper cum Friderico Romanorum imperatore de rebus Terrae Sanctae celebrato, aliud colloquium apud Veronam circa festum beati Martini indixisse; ad quod invitandos decernit Johannem Hierosolymitanum regem ipsumque Pelagium, si possint sine damno a Terra Sancta abesse; Fridericum insuper juravisse quod iter arripiet termino quem sive in praedicto colloquio sive circa colloquium ipsi praefigendum duxerit.

(Edidit Raynaldus, *Annal. eccles.*, tom. I (XIII) ad ann. 1222, § II. Adest etiam de re eadem altera summi pontificis epistola, data ibidem 17 aprilis.)

Honorius, etc., Pelagio Albanensi episcopo, apostolice Sedis legato, etc. Celestis altitudo consilii ex iis que mala videntur bona novit elicere et adversa feliciter in prospera commutare. Licet igitur gravem jacturam et grande opprobrium in partibus transmarinis nuper passus fuerit po-

pulus christianus et inimicis fidei videatur nimis prospere successisse, speramus tamen in eo in cujus manu cuncta sunt posita et cujus nemo potest resistere voluntati, quod permisit cadere suum exercitum ut resurgeret fortior et passus est infideles erigi ut gravius allideruntur. Cum enim charissimus in Christo filius noster Fridericus Romanorum imperator semper augustus et rex Sicilie dudum in animo gereret ad liberationem intendere Terre Sancte, nunc propter casum qui accidit digno dolore permotus et animatus divinitus ad ulciscendam tantam injuriam Christi et populi christiani, tanto ferventius ad id se preparat et accingit quanto ipsum predicti casus adversitas et indignatio vehementius animavit. Denique nos et ipse ad id unanimiter intendentes celebre colloquium nuper habuimus specialiter pro negotio memorato, et post multos tractatus super hoc diligentissime habitos demum concorditer disposuimus aliud colloquium in Lombardia in civitate Verone circa festum beati Martini proximum celebrare (1), in quo nos et ipse imperator personaliter esse decrevimus, Domino annuente, et ad illud christianos principes tam ecclesiasticos quam mundanos ac fideles alios quos expedire videbimus convocare, ut prosecutio dicti negotii quod christianos tangit communiter universos cum deliberatione in tanto negotio necessaria ordinetur, et universi et singuli eo magis proprium ipsum negotium reputantes quo cum ipsorum consilio et deliberatione ordinatum fuerit, ad illud prosequendum fortius animentur. Cum igitur ad ipsum colloquium, in quo tam de ipsius imperatoris passagio quam de aliis negotium contingentibus decrevimus plenius ordinare, invitemus charissimum in Christo filium nostrum Joannem regem Hierosolymitanum illustrem et in eo propter notam industriam et probatam prudentiam tuam habere tuam quoque presentiam affectemus,

(1) Colloquium autem aegritudine pontificis superveniente ad speratum eventum produci non potuit, licet res usque ad praefixum tempus fuerit agitata. Quod testatur instrumentum hujus aevi ap. Moriondi, *Monum. Aquens.*, t. II, p. 651 : « 1222, die VI novembris, Alexandrini » praetoris responsio ad marchionis Montisferrati postulationem qua ei indixerat ut decem » milites ad se mitteret qui eum Veronam ad imperatorem proficiscentem comitarentur, idque » ratione feudi quod ipsa communitas a marchione acceptum ferebat. »

fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus super hoc habens consilium cum ipso rege et patriarcha et aliis quos ad hoc videris opportunos, quod si sine discrimine terre quam christiani tenent in partibus transmarinis possis venire ad colloquium sepe dictum, ad illud personaliter venire cures termino suprascripto; quod si venire forte nequiveris, per literas vel nuncios tuos super jam dicto negotio tua nos fraternitas procuret instruere de quibus videris expedire. Id autem fraternitati tue volumus esse notum quod ipse imperator volens propositum et desiderium suum super dicto Terre Sancte negotio facere manifestum et ad sublimitatis sequelam alios animare, in jam celebrato colloquio publice in conspectu multitudinis prelatorum, principum et baronum ac aliorum qui ad colloquium ipsum convenerant manu propria spontanea voluntate juravit quod iter transfretandi arripiet termino quem sibi seu in colloquio apud Veronam ut diximus celebrando seu circa tempus quo colloquium ipsum indictum est duxerimus prefigendum.

Datum Verulis, VII kalendas maii, pontificatus nostri anno VI.

Apud Aquinum, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis et acceptis servitiis comitis Gerardi de Gelre (Geldern) ei et haeredibus ejus in perpetuum confirmat commutationem theolonei de Arnheim quam de consilio principum suorum ei jam fecit apud Lobed (Lobith) in archiepiscopatu Coloniensi.

(Edidit Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrheins*, zw. Band, p. 55, n° 100, ex chartul. ducat. Gueldr., n° 104. Reperitur quoque in cod. Redinghovenio Bibl. Monachi, 10, 2.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperialis munificentia id vere suis usibus applicat quod sibi devotis et bene meritis fidelibus elargitur. Ea propter notum facimus

universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes sinceram fidem et devotionem quam predecessores dilecti fidelis nostri comitis Gerardi de Gelre habuerunt ad Romanum imperium et ad predecessores nostros memorie recolende, attendentes etiam grata plurimum et accepta servitia que idem comes Gerardus majestati nostre hactenus exhibuit et poterit in antea de bono in melius exhibere, commutationem theolonei de Harnehem quod sui predecessores ab imperio tenuerunt, quam de consilio principum nostrorum et specialiter de consilio dilecti principis nostri venerabilis Coloniensis archiepiscopi sibi fecimus apud Lobed in archiepiscopatu Coloniensi, sicut in privilegio sibi a nostra regia majestate concesso plenius continetur, eidem comiti et heredibus suis de nostre munificentie gratia in perpetuum confirmamus, mandantes et injungentes firmiter universis quatinus nullus sit qui predictum comitem fidelem nostrum super predictis contra hanc nostre confirmationis paginam molestare presumat. Ad hujus autem confirmationis nostre memoriam presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum apud Aquinum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo secundo, mense aprilis, indictione decima.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiam Faucensem in specialem suam et imperii recipit protectionem, simulque omnibus praepositis suis et officiatis circa possessiones ejusdem ecclesiae commorantibus mandat ut eam manutenere et defendere non omittant; denique antiquam illi libertatem confirmat, salvo omni jure sibi et haeredibus suis. Venafri, 27 aprilis.

(Editum in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 109, num. DCLVII, ex originali cujus sigillum cum filis periit. Membrana tenuissima locum habet exesum qui facile restitutus est ex repetita confirmatione Heinrici regis, eodem anno 23 junii data.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus quod nos attendentes fidem puram, devotionem sinceram necnon et laudabilem conversationem dilecti fidelis nostri Dietonis venerabilis abbatis Faucensis et fratrum in eodem loco famulantium, ipsum et ecclesiam suam cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus, agris, pascuis, piscaturis, nemoribus et montanis in nostram specialem et imperii recipimus protectionem, statuentes et auctoritate presentis scripti confirmantes ut nulla omnino persona cujuscumque fuerit conditionis, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, antedictum D. abbatem vel aliquem successorum suorum in bonis ecclesie presumat perturbare nec eis dampnum aliquod irrogare. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostri culminis se noverit graviter incursurum. Damus preterea universis prepositis et officiatis nostris circa possessiones prememorate ecclesie commorantibus firmiter in mandatis ut quicumque sepefatum abbatem in bonis ecclesie sue indebite et contra justiciam offendere presumpserit, sibi consilium et efficax auxilium ad defensionem et tuicionem ecclesie sue [impendere] nullomodo contradicant et eam manutenere atque defendere non obmittant, quia tociens dictam ecclesiam in omni jure et libertate ejus permanere volumus, sicut tempore imperatoris Heinrici patris nostri inclite recordationis dinoscitur permansisse, salvo omni jure quod nos et heredes nostri ibidem habere debemus.

Datum Venafri, anno Domini M° CC° X° XII°, V kalendas maii, indictione decima, anno imperii nostri secundo.

Apud Venafrum, 27 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, fidelem suum Witigonem praepositum de Reithenbuech (Raitenbuch) ejusque ecclesiam in specialem suam et imperii recipit protectionem; simulque mandat

praepositis et officiatis suis ut eam manutenere et defendere non omittant, alium nisi se in ea advocatum esse prohibens.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. VIII, p. 21, n° 13. — ap. HUND, *Metropol.*, III, 159-160. — SCHEID, *Origin. Guelf.*, II, 636. — Insertum et confirmatum in diplomatibus Rudolfi I, dat. Ulme, 15 april. 1274, et Alberti, dat. Ezzelingen, 27 junii 1299.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes fidem puram, devotionem sinceram necnon laudabilem et honestam conversationem dilecti fidelis nostri Witigonis prepositi in Raitenbuech, ipsum et ecclesiam suam cum omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus, agris, pascuis, piscaturis, nemoribus et montanis in nostram specialem et imperii recipimus protectionem, statuentes et auctoritate presentis scripti confirmantes ut nulla omnino persona cujuscunque fuerit conditionis, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, antedictum Witigaw prepositum dilectum fidelem nostrum vel aliquem successorum suorum in bonis ecclesie sue presumat perturbare nec eis dampnum aliquod irrogare. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostri culminis se noverit graviter incursurum. Damus preterea universis prepositis et officiatis nostris circa possessiones prenominate ecclesie in Raitenbuech commorantibus firmiter in mandatis ut quicumque sepefatum prepositum dilectum fidelem nostrum in bonis ecclesie sue indebite et contra justitiam offendere presumpserit, sibi consilium et efficax auxilium ad defensionem et tuitionem ecclesie sue impendere nullo modo contradicant et eam manutenere atque defendere non omittant, quia totiens dictam ecclesiam in suo jure et libertate atque honore ejus permanere volumus, sicut tempore imperatoris Henrici patris nostri inclite recordationis dinoscitur permansisse, salvo quoque omni jure quod nos et heredes nostri ibidem habere debemus. Volumus etiam et districte prohibemus ut nullum alium preterquam nos et charissimum filium nostrum Heinricum Romanorum regem super possessiones suas vel qui insignia imperialia tenuerint habeant advocatum.

Datum apud Venafrum, quinto kalendas maii, anno Domini MCCXXII, anno imperii nostri secundo, indictione X.

Anno 1222, circiter.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Raitenhaselach in suam specialem protectionem suscipit arcens ab eo oppressionem, eique possessiones, nominatim autem salinam in Mulbach et augeam in Ettenowe, eidem donatas confirmat.

(Edit. ap. *Monum. Boica*, t. XXXI, pars 1ª, p. 506, ex cod. membran. Raitenh. fine seculi XII et initio seculi XIII conscripto, in quo privilegium istud initio ac fine truncatum posteriori manu exaratum legitur.)

[Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie.] Quomodo omnibus ecclesiis in imperio nostro longe lateque fundatis pro suscepta administratione terreni principatus communem et generalem defensionem impendere tenemur, profusiorem tamen et ampliorem protectionis gratiam his monasteriis que de ordine Cisterciensi derivantur exhibere cogimur, qua re orationum ipsorum suffragiis indesinenter fulciri credimus. Proinde monasterium Reitenhaselach ejusdem religionis cum omnibus attinentiis suis nunc in continenti acquisitis et in futuro per Dei gratiam munificentia principum, collatione fidelium acquirendis, pro interventu venerabilis B. (1) ejusdem loci abbatis fratrumque suorum, in imperialem specialiter et nominatim suscipimus defensionem, arcentes ab eis violentorum qua huc usque graviter attriti sunt oppressionem, et pacem et quietem auctoritate imperii qua preeminemus ab omnibus eos gravare volentibus firmiter interdicimus. Decernimus etiam ut omnes donationes prediorum suorum, vinearum, salinarum, pascuorum vel quecunque oblationes fidelium prefatis fratribus collate fuerint nostra

---

(1) Scilicet *Bertholdi*, qui praefuit ab anno 1207 et obiit 16 augusti 1224.

auctoritate firmitatem perpetuo habeant, simulque cum dantibus damus, confirmata plenius denuo confirmamus, nominatim tamen et expresse salinam in Mulbach quam venerabilis dominus Eberhardus Salzpurgensis archiepiscopus predictis fratribus petitione chori sui et conniventia ministerialium suorum legitime contulit, simul et nos auctoritate imperiali contribuimus et privilegio presenti inconcusse tenendam eis stabilimus. Adjicimus etiam pretaxatis augeam in Ettenowe quam dux Bawarie Ludwicus pari devotione prememoratis contulit fratribus, quam et nos una cum ipso eis possidendam conferimus et scriptis nostris appositoque sigillo perpetuo confirmamus. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona prescriptam nostre confirmationis formam aliquo direptionis ingenio cassare seu retractare intenderit, iram et indignationem imperialis majestatis se incurrisse pro certo cognoverit, nisi se a presumptionis inceptis continuo rediens correxerit (1).

Fridericus, Romanorum imperator, universis hominibus per terras monasterii Sanctae Florae constitutis sub poena banni mandat ut Brunoni abbati monasterii ejusdem firmiter intendant pro militibus sibi transmittendis et ei restituant expensas quas pro servitiis imperii fecisse dignoscitur. Apud Venafrum, 28 aprilis.

(Edidit CAMICI, *Notiz. istor., Supplem. de vicarii imper. di Federigo II*, tom. XI, p. 42, ubi de *Averardo di Lutra* disserit.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis hominibus per terras monasterii Sancte Flore constitutis,

---

(1) Privilegium istud alterius ab eodem Friderico tunc rege Romanorum 15 julii 1216 collati confirmatorium, pro sua insolita forma fictitium aut saltem rescriptum forsan haberi poterit. Admisimus tamen, et deficientibus notis chronologicis omnibus, hic collocamus, medio scilicet intervallo inter 22 novemb. 1220 et 16 augusti 1221.

fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Quia a Bruno venerabili abbate monasterii nominati servitium militum pro exequendis servitiis nostris duximus requirendum, quia etiam idem abbas ad mandatum nostrum V. sacristam monasterii fratrem suum ad majestatem nostram. . . . . terras misit ubi expensas dinoscitur fecisse valde grandes, fidelitati vestre tam sub obtentu gratie nostre quam etiam sub pena banni, quod idem abbas vobis propter hoc duxerit imponendum, firmiter precipiendo mandamus quatenus quicquid vobis abbas monasterii sepedicti pro militibus transmittendis et aliis etiam nostris servitiis faciendis duxerit injungendum firmiter attendatis; restituentes eidem expensas quas fecisse dignoscitur pro eo quod prenominatum sacristam ad mandatum nostrum ad presentiam celsitudinis nostre misit. Alioquin si predicta non curabitis observare, per senescalcum (?) familiarem dapiferum et totius Tuscie legatum (1) fidelem nostrum vos in personis et rebus cogi faciemus et teneri ad bannum superius nominatum.

Datum apud Venafrum, XXVIII aprilis, indictione X (2).

Ante Roccam Magenul, exeunte aprili vel ineunte maio.

Imperator . . . in regnum rediens Roccam adiit Magenul (3) quam jussit arctius obsideri a Thoma Acerrarum comite et iis qui

---

(1) Quis nescimus, quum hic non agatur de Everardo de Lutra qui nusquam cum titulo senescalci seu dapiferi apparet. Locum autem fuisse corruptum valde suspicamur et pro verbis *senescalcum familiarem dapiferum* legendum esse *Gunzelinum imperialem dapiferum*, qui mox a Bertholdo vocatus e Tuscia prorumpens ducatum Spoleti invasisse videtur. Vid. infra, 22 novembris. Documenta tamen ad rem elucidandam omnino desunt.

(2) Cum in impresso legatur: « Datum apud *Benasium*, XXVIII aprilis, indictione *IX*, » tanto securius haec duo menda correximus, quod ipse Camici in alio loco scilicet ad pag. 16 has litteras memorans dicat fuisse scriptas *anno 1222 con la data in Venafro nel regno di Napoli*.

(3) Hodie *Rocca Mandolfi* juxta Bojanum. Ad ornandam autem rerum seriem quid de hac rebellione Riccardus narrat, hic addimus:

« [Novemb. 1220.] Thomas Molisii comes ad ipsum imperatorem pro illius gratia obtinenda

cum eo erant; et ipse festinus in Siciliam reversus est. — RICC. DE S. GERM., *Chronic.*, *ad ann.*

Fridericus, Romanorum imperator, renovat et confirmat Petro episcopo Massiliensi privilegium alteri episcopo nominis ejusdem ab imperatore Friderico primo avo suo indultum, anno 1164 septimo decimo die aprilis, in quo possessiones hujus episcopatus recensentur nec non et multa jura conferuntur.

In civitate Cusentiae, maio.

(Inedit. ex arch. praefectur. Massil.; coll. in tribus exemplaribus: 1° *Livre verd de l'Evêché*, fol. 1 recto, ex copia; 2° *Pergam. distincta*, n° 29, ex transumpto mensis aprilis 1244; 3° *Regest. spec.*, fol. 15 et 16. — Memoratum ap. Peyresc (collect. Bibl. Carpentor.), regest. 74, vol. II, fol. 12. In transumpto quod iste vidit appendebant septem sigilla cerea cum filis sericis, imagines episcoporum exhibentia, in ovata et acuta forma.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Ex consuetudine imperialis clementie

---

» misit filium suum; sed cum obtinere eam non posset, contra ipsum imperatorem se in Roccam » recipit Magenul, comitissa uxore sua in Rocca Bojani constituta et relicta cum suis.

» [Circa primos menses ann. 1221.] Bojanum imperatori se reddidit, ubi cum barones comi- » tatus qui imperatori manum dederant contra Thomam Celani et Molisii comitem convenis- » sent, comes super eos ipse irruens in fugam vertit eosdem, Bojanum combussit et de illius » victualibus Roccam Bojani munivit, uxorem suam comitissam secum ducens ad Roccam » Magenul.

» [Thomas de Aquino] Acerrarum comes [magnus justitiarius Apuliae et Terrae Laboris] cum » imperiali exercitu Roccam Bojani adiens illam arctat et obsidet. Qui eam per compositionem » obtinens pro ipso imperatore, dictae Roccae Magenul in qua dictus comes Thomas se rece- » perat obsidionem parat.

» Celanum imperatori se reddidit, quibusdam in turri Celani et in Obinulo se ad fidelitatem » comitis Molisii recipientibus; propter quod Celanenses imperatoris gentem in suum succur- » sum vocant, cum qua turrim ipsam aggredientes viriliter vi eam capere nequiverunt.»

ecclesiarum et locorum venerabilium paci intendimus et quieti ut augustalis potencie communita presidio tam in se quam in rebus et tenimentis eorum et quiete [in] presentiarum et securitate in posterum perfruantur. Inde est quod tu, Petre, venerabilis Massiliensis episcope, dilecte fidelis noster, ad nostram presentiam veniens privilegium quoddam domini Friderici illustrissimi Romanorum imperatoris semper augusti, carissimi avi nostri inclite recordationis, quod ecclesie tue Massiliensi concesserat et indulserat nostre curie ostendisti, supplicans humiliter et devote ut quia privilegium ipsum jam videbatur vetustate consumptum renovare et confirmare tibi et ecclesie tue in perpetuum dignaremur. Nos igitur supplicationes tuas tanquam favorabiles infra exauditionis nostre thalamum benigniter admittentes, considerantes etiam fidem puram et devotionem sinceram quam erga majestatem nostram habere dinosceris laudabiliter et honeste, privilegium ipsum de verbo ad verbum renovandum duximus, et sicut tempore avi nostri ac postmodum tempore domini Henrici imperatoris patris nostri uti tua ecclesia consuevit, tibi et successoribus tuis et ecclesie Massiliensi in perpetuum confirmamus; cujus tenor talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Majestatis nostre mos et auctoritas et antique institutionis tenor exposcit ut ecclesiis sub Romano imperio constitutis solerti studeamus provisione consulere et ut earum jura sive possessiones sine lesione serventur imperialis privilegii munimine subvenire. Cunctis igitur nostri imperii fidelibus volumus esse cognitum quod nos tibi, Petre, venerande Massiliensis episcope, cuncta jura cunctasque possessiones ad te vel ad tuam ecclesiam pertinentes quas nunc rationabiliter possides aut possidere debes, antiquam et rationabilem predecessorum nostrorum concessionem servantes, tibi confirmamus et presenti privilegio communimus; ex quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: videlicet civitatem episcopalem de Massilia et Roccam Barbaram et sicut Rocca Barbara cincta est vallis et cum aliis vallis et muris eamdem civitatem circumeuntibus, cum omnibus territoriis suis, sicut de Plumberiis, de Prato longo, de Monte judaico, de valle Sancti Justi, de Casa alta, de Guarberiis, de valle Sancti Bausilii, de valle de

Moreriis, quicquid in his vel in aliis locis et toto territorio Massilie ecclesia tua juste per se vel per alium possidet, castellum Babonis sicut vadit Seta usque ad monasterium monialium et inde ad thorum de Boscarla usque ad Roccam Barbaram, quicquid inde est versus mare, portum de porta Gallica (1) et ut omnes ibi cargantes vel decargantes sint securi omni tempore in portu antiquo qui est intra monasterium et civitatem, quod et tu et homines tui qui habitant vel habitaturi sunt in toto honore ecclesie in omnibus negociis et mercationibus quas ibi facere voluerint nullum censum vel usaticum solvant; super judeos Arelatenses dominium et consuetum censum; judeos omnes de Massilia tam de episcopali villa quam de vicecomitali; vineas et terras de Calcadicio ad Arcus in territorio de villa vicecomitali; monasterium monialium Sancti Salvatoris de Lasachoas (2) quod infra muros urbis Massilie situm est cum omnibus pertinentiis suis; falcones de terra majori a castello de Vier usque ad Columpnam, dominium et libertatem quam habes in montibus ultra Vuelnam (3) et in molendinis de toto territorio Massilie et in piscatione maris de delphinis et aliis piscibus et aliis usaticis; in castro de Pennis (4) et ejus territorio medietatem in proprietate tua et in alia medietate dominium; castrum de Alaugio (5) cum territorio et pertinenciis suis et pedaticum ejusdem castri; villam scilicet Juliani cum territorio et pertinentiis suis; villam Sancti Justi cum terris et vineis quas in ejus territorio tam per te quam per tuos homines juste possides; castrum de Nercio cum territorio et pertinenciis suis; castrum de Albania (6) cum territorio et pertinenciis suis et duos recetos pro censu ejusdem castri in natale Domini et in Pascha; castrum de Marranegas cum territorio et pertinenciis suis; castrum de Melna cum

---

(1) Scilicet *Portegalle* : portus vero hodie dictus *de la Joliette*. Cf. RUFFI, *Hist. de Marseille*, VIII, 6.

(2) Scilicet *de las Accoas* (*des Accoules*).

(3) *Le Veaune* sive *l'Huveaune*.

(4) *Les Pennes*.

(5) *Alauch*.

(6) *Aubagne*.

territorio et pertinenciis suis; castrum de Auroneves (1) cum territorio et pertinenciis suis; in castro de Evena (2) quartam partem, in villa et in roca et in territorio ejusdem castri in terris cultis et incultis; castrum etiam de Bauceto (3) cum toto territorio et pertinenciis suis; in stagno de Leonio (4) in proprietate tua totum novenum de salibus et terciam partem ledde, in reliquis vero duabus partibus ledde et in toto stagno dominium; in Vitrola et Marignana (5), in Papia (?) et Sancto Victore de Cella (6) similiter terciam partem in ledda de salibus venditis vel vendendis, et quotiens tuum salem vendere in eodem stagno volueris nemini liceat suum salem vendere dum tui sales vendentur de stagno eodem; in portu de Bagneriis (7) de omnibus navibus ibidem applicantibus de ledda et de omnibus usaticis que debent in tercia parte proprietatem, in reliquis vero duabus partibus [et] in toto portu dominium. Concedimus etiam ut in tua civitate Massilia super Rocam Barbaram et in quacunque possessione tue ecclesie que placuerit liceat tibi tuisque successoribus turrem vel quamlibet munitionem ad honorem imperii et ecclesie tue utilitatem hedificare, et ne aliqua ecclesiastica secularisve persona in ejusdem ecclesie possessionibus turrem vel aliam munitionem sine tuo vel successorum tuorum assensu hedificare seu possessiones ecclesie alienare vel auferre presumat auctoritate imperiali modis omnibus inhibemus; adjicientes ut super cunctis possessionibus Massiliensis ecclesie tu et successores tui plenam habeatis jurisdictionem et potestatem disponendi et ordinandi possessiones ecclesiasticas, prout vobis melius visum fuerit ad honorem imperii et ecclesie vestre utilitatem. Preterea perpetua stabilitate sanccimus ut episcopus vel Massiliensis ecclesia nulli

---

(1) Verisimiliter *Aurons*.

(2) Verisimiliter *Evenos*.

(3) Verisimiliter *Les Baux* vel *Le Beausset*.

(4) Agitur evidenter de stagno de Berre in quo refluunt aquae sinus dicti *de Lion*.

(5) *Vitrolles* et *Marignane*.

(6) Verisimiliter *St-Victoret*.

(7) Forsitan hic agitur de portu hodie dicto *de Bouc*. De his omnibus locorum nominibus, cf. Ruffi et caeteros qui de Massiliensi topographia disseruerunt.

unquam dominio vel potestati in rebus temporalibus debeat subjacere nisi nobis tantum nostrisque successoribus regibus et imperatoribus Romanorum. Volumus etiam ut in signum amplioris gratie nostre persona et ecclesia tua specialiter ad cameram imperialem pertineat et sub nostra protectione omni tempore secura permaneat. Statuimus autem ut quascunque possessiones, quecunque bona in presentiarum juste possides aut in futurum largitione imperatorum vel regum et aliorum principum, oblatione fidelium vel aliis justis modis tu vel successores tui poteritis adipisci, firma vobis et illibata permaneant vestris et ecclesie vestre usibus omni tempore profutura, salva in omnibus supradictis justicia, honore et auctoritate imperiali. Decernentes igitur firmiter statuimus ut de cetero nullus princeps, non comes, non vicecomes, non marchio vel capitaneus, non archiepiscopus vel episcopus vel abbas, nulla potestas, non rectores, non civitas vel consules, nulla ecclesiastica secularisve persona, magna sive parva, predictum episcopum Petrum suosque successores et ecclesiam Massiliensem in hac autentica nostra concessione molestare vel perturbare aut inquietare aliquatenus presumat. Si quis vero hujus nostre auctoritatis violator extiterit, procul dubio post nostre indignationis iram centum librarum auri penam sustinebit, cujus medietas fisco nostro et reliqua jam dicto episcopo et ejus ecclesie integre persolvetur. Ut autem hec verius credantur et ab omnibus inviolata fuerint, presentem inde paginam scribi et sigillo nostre majestatis injunximus insigniri. Signum domini Frederici Romanorum imperatoris invictissimi (*Monogramma*). Ego Christianus cancellarius vice domini Raynaldi (*a*) Coloniensis archiepiscopi et Italie archicancellarii recognovi. Id actum quoque est anno dominice incarnationis MCLXIIII, indictione XII, regnante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XII, imperii vero VIII. — Datum apud Sanctum Salvatorem juxta Papiam, V° decimo kalendas maii.

Ad hujus autem renovationis et confirmationis nostre memoriam et robur in perpetuum valiturum presens privilegium conscribi et bulla aurea tipario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

(*a*) Sic in transumpto. Sed legendum est *Reynoldi*.

Datum in civitate Cusentie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXII°, mense maii, decime indictionis, imperii domini nostri Friderici Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno II, regni vero Sicilie vicesimo quarto, feliciter. Amen.

[In Sicilia, Junio.]

Imperator in Sicilia de Mirabetto [Saracenorum duce] triumphat et de ipso et suis fecit quod eorum meruerat exigentia commissorum. Ricc. de S. Germ., *Chronic., ad ann.* — Anno Domini MCCXXI (1222), decima indictione, dominus Fredericus ivit cum magno exercitu super Saracenos Jacis (1) et cepit Benaveth cum filiis suis et suspendit apud Panormum (2). *Append. ad Galfr. de Malat.*, ap. Muratori, *Script.*, t. V.

---

(1) Non hic intelligendum *Jaci reale* prope Catanam, sed castrum dictum *Jato* vel *Giato* in dioecesi Mazzarensi; quem locum Silius et Plinius memoraverunt. Regnante Guillelmo II, episcopi Mazzarenses jus dioecesanum, decimas et alia jura in locis Jati et Calatrasi sibi pertinentia ecclesiae Montis Regalis concesserunt. Cf. Giudice, n[is] 21-29. Castro autem diu a Sarracenis occupato et postea diruto, nihil inde superest nisi parvula quaedam ecclesia, vulgo *San-Cosmano* vocata. Vid. Pirro, *Sicil. sacr.*, I, 454.

(2) Mirabettus iste (Emir Ben-Abed) tota fere Mazzarensi valle potitus caeteris Sarracenorum regulis praefuisse videtur qui plurimas arces in montibus mediae Siciliae tenebant, videlicet Entellam, Capicium, Centoripem et Trainam. Huic piratae tam Moslemi quam Christiani rerum hominumque copiam ministrabant. « Mercatores Massiliensium . . . . . Hugo Ferreus et Guil- » lelmus Porcus [qui pueros crucesignatos anno 1212 Sarracenis Africae vendiderant] postea » venerunt ad principem Saracenorum Siciliae Mirabellum et cum eo traditionem imperatoris » Frederici facere voluerunt. Sed imperator de iis dante Deo triumphavit et Mirabellum cum » duobus filiis et istos duos traditores in uno patibulo suspendit. » Alber. Triumfont., *Chronic.*, ap. Leibnitz, *Access.*, II, 460. Nil dubium quin Guillelmus Porcus idem iste fuerit admiratus, Januensium amicissimus, quem Fridericus in exilium compulerat. Vid. supra, p. 219, not. 1.

Fridericus, Romanorum imperator, universis per Lombardiam, Romaniolam et marchiam Trevisii constitutis mandat se confirmasse bannum ab archiepiscopo Magdeburgensi imperii legato contra Bononienses et Faventinos eorum sequaces promulgatum, pro eo quod, pluries archiepiscopo ipso pro Imolensibus intercedente, Bononienses nuntios ejus contumeliis affecerunt et honorem imperii graviter offenderunt. In castris in obsidione Jati, 17 junii

(Edider. Savioli, *Annal. Bologn.*, t. III, pars 2a, p. 25. — Fantuzzi, *Monum. Ravenn.*, tom. III, p. 70-71.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis per Lombardiam, Romaniolam et marchiam Trevisii constitutis, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Per litteras celsitudinis nostre quas generaliter transmisimus universis ad audientiam vestram credimus pervenisse quod nos de prudentia circumspecta et puritate fidei venerabilis Magdeburgensis archiepiscopi dilecti principis nostri fiduciam plenariam obtinentes, eum legatum statuimus, committentes sibi in partibus ipsis plenarie vices nostras. Inter alia si quidem que ipsius discretioni et prudentie in partibus ipsis ad honorem imperii commisimus exequenda, negotium Imolensium (1) quos post longas preces et supplicationes assiduas ad mandata nostra recepimus sibi fuit specialiter a nostra majestate commissum. Accepimus itaque ab eodem quod

---

(1) Extant apud Savioli, *Annal. Bologn.*, t. II, Append. docum., duo documenta : primum 16 augusti 1220, quo commune Bononiensium Frederico regi Romanorum comitatum et castellum Imolense restituit, salvis rationibus suis; secundum 1o septembris ejusdem anni, quo Conradus Metensis et Spirensis episcopus legatus Frederici regis Romanorum civitatem Bononiensium absolvit fructibus, conditionibus, usibus, etc., specialiter ad comitatum Imolensem pertinentibus.

cum per nuntium et litteras nostras potestati et communi Bononie sub debito fidelitatis et tenore gratie nostre dederimus in mandatis ne in personis aut rebus dictos offenderent Imolenses et eo quia ad mandata nostra rediissent jussioni nostre per omnia parituri, dicti potestas et commune ipsum nuncium nostrum ignominiose tractantes eum minis et jurgiis turpiter affecerunt, responsum aliud non prebentes [nisi] quam contra Imolenses manum extenderent graviorem et si nostram offenderent gratiam facile repararent et in contemptu mandati nostri eos potentius et patentius agravarent. Postmodum cum archiepiscopus memoratus eos per litteras et nuntium attente rogaverit quod ob reverentiam precepti nostri et suarum precum supplicem interventum a lesione Imolensium usque adeo continerent donec suum ad partes ipsas properaret accessum ut inter eos concordiam procuraret, ipsi, licet litteras recepissent, nuncium tamen turpiter vinculatum verbis et factis contemptibiliter tractaverunt. Deinde quemdam clericum et subdiaconum suum cum litteris suis ad ipsos Bononienses transmittere procuravit; quas cum post multa impedimenta et obstacula serio interjecta potestati Bononiensi obtulisset, eas ille recipere non curavit, sed verbis illum contumeliis afficiens quedam verba ignominiose protulit in vulgari que sine contumelia et injuria imperii nostri et ipsius principis et legati nostri explicare aliquatenus non possemus. Dictis igitur nunciis sic ignominiose tractatis, adhuc alios meliores et honestiores quos habere potuit duxit ad eos dictus archiepiscopus destinandos, videlicet venerabilem archiepiscopum Ravennatem, episcopum Faventinum et Petrum Traversarium fideles nostros qui ubi ad exercitum ipsorum Bononiensium propinquarent, non sunt ausi ad eos accedere, certo timore timentes, sicut quidam amici eorum de exercitu venientes eis veraciter suggesserunt, graves offensas et personarum pericula formidantes. Demum vero comitem Gottifredum de Blandrato ire permisit ad eos qui satis ultra terminum expectatum quatuor Bononienses ambasciatores et duos Faventinos secum adduxit qui more suo coram eo plurima proponentes nihil obtulerunt quod ad honorem imperii pertineret. Hiis igitur sic peractis, ipsorum Bononiensium contumacem superbiam prefatus legatus multa patientia prosecutus de consilio fidelium nostro-

rum imperii qui cum eo presentes extiterant, bannum in Bononienses quinque millia marcarum argenti et trium millium in Faventinos sequaces suos solemniter promulgavit, majestati nostre supplicans ut bannum ipsum confirmare nostrarum litterarum robore dignaremur. Nos igitur attendentes quod hec et alia que ab ipsis Bononiensibus contra predictum legatum nostrum sunt temere attentata in opprobrium nostrum et imperii perpetuo redundarent, si et ipsorum superbia non domaretur et bannum ipsius legati nostri ratum et solidum nostra serenitas non haberet, universitati vestre volumus esse notum nos bannum ipsum in eosdem Bononienses et Faventinos super predictis negotiis tam solemniter promulgatum ratum habere et ipsum presentis pagine serie confirmare (1).

Datum in castris in obsidione Jati, decimo quinto kalendas julii (2), X indictione.

---

(1) Jam anno 1221, mense maio, Bononienses et Faventini Imolam obsederant et in partibus exterioribus devastaverant. Anno autem sequente, nonobstante archiepiscopi et imperatoris banno, mense augusto Imolam denuo obsederunt et ad tales redegerunt angustias ut Imolenses ad deditionem coacti munitiones suas destruxerint, centum obsides dederint et portas etiam civitatis Faventiam et Bononiam portaverint. Quibus conditionibus Gottifredus de Blandrato comes Romaniae, tunc Bononiensium fautor, manus dedit. « Anno Domini MCCXXII, quinto » kalendas decembris, indict. X, Guiffredus de Pirovalo potestas Bononie constituit Julianum » Leonardi notarium nuntium et procuratorem communis Bononie coram domino imperatore » et in ejus curia de facto Imole, scilicet quod quidquid ibi factum fuit, fuit ad honorem et » utilitatem domini imperatoris et ad vindicandam suam injuriam et de voluntate nuncii sui » comitis Romanie; et specialiter ad excusandum dictum commune de omnibus de quibus » archiepiscopus Magdeburgensis vellet eum potestatem onerare et dictum commune vellet » accusare coram domino imperatore, etc. » Cf. Tolosani *Chronic.* ap. Mittarelli, *Access. Favent.*, p. 165, et *Mantissa chartar.*, ibidem, p. 624.

(2) Legitur apud Fantuzzi : Dat. in obsidione *castri Sati*, decimo quinto kal. *junii;* quam lectionem ex editione Savioliana correximus, nisi quod male in hac ipsa invenitur *Jan.* pro *Jati.* Agitur autem de Giato, castro Siciliae juxta Trepanum sito (vid. supra p. 254, not. 1), in quo tunc temporis Fridericus Sarracenos rebelles arctabat. Ex itineris serie facile etiam constat obsidionem non ante mensem junium incepisse.

---

23 junii. Imperatrix in Sicilia obiit. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.* Hoc est corpus domine Constancie illustris Romanorum imperatricis, semper auguste et regine Sicilie, uxoris domini imperatoris Frederici et filie regis Aragonum. Obiit autem anno dominice incarnationis millesimo CC.XXII, XXIII junii, X indictione, in civitate Catanie (1). *Inscript.* ap. Daniele, *I reg. Sepolcri di Palermo,* p. 82.

. . . . . . junio. Fridericus, Romanorum imperator, Amelio Garzieperis de Ballihari feudum quoddam dictum Pietre Tagliate concedit.

(Memorat. ap. Emanuele e Gaetani, *Della Sicilia nobile*, pars II, lib. 2, p. 219, ex confirmatione Friderici tertii Aragonensis, maio 1313. Nusquam alibi reperimus et suspectum fore censemus.)

Datum. . . . . , anno dominice incarnationis MCCXXII, mense junio, X indictionis.

In castris apud Jatum, 8 julii. Fridericus, Romanorum imperator, domino papae conqueritur

---

(1) Haec inscriptio in argentea lamina incisa reperta fuit in ipso sepulcro quod bis, annis scilicet 1491 et 1782, apertum fuisse noscimus. Urna marmorea antiqui et eximii laboris in ecclesia cathedrali Panormitana cernitur, ibique insculpta legitur inscriptio recentior :

SICANIE REGINA FUI CONSTANTIA CONJUNX
AUGUSTA : HIC HABITO NUNC, FEDERICE, TUA.

quod Johanni de Trajecto notario suo a capitulo Brundusino (1) unanimiter electo confirmationem impertiri non voluerit, licet contra eumdem nihil argui possit nisi quod infra tres menses non fuerit electus; monet tamen se iterum intercessionem suam pro eodem renovare, et B. abbatem Sancti Spiritus de Panormo ad sedem Apostolicam super hoc negotio transmittere.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 121, n° 478, ex copia quam Pertz in regestis Vaticanis transcripsit.)

Datum in castris apud Jatum, VIII idus julii, indictione XII (*a*).

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Johannis abbatis Casaemarii cui custodiam sigilli sui commisit, confirmationem privilegiorum eidem monasterio jamdudum indultam rescribi jubet, amota clausula ista, scilicet *salvo mandato et ordinatione nostra*. In castris in obsidione Jati, julio.

(Edidit RONDININUS, *Histor. monast. Casaemarii*, append. p. 136.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Licet nostrorum justis petitionibus subditorum excellentia nostra se debeat favorabilis exhibere, nostri tamen favorem et gratiam promeretur assensus cujus gratior in conspectu nostro devotio ac

(*a*) Recte autem *X*, cum in regestis pontificiis ad septimum annum Honorii haec epistola referatur.

---

(1) Post mortem, ut videtur, archiepiscopi Peregrini. Cum autem apud Boehmerum legatur *vom capitel zu Capua*, ita correximus ex indice litterar. Honorii III, in Biblioth. Parisiensi. Praeterea nondum tres menses a morte archiepiscopi Capuani effluxerant. (Cf. p. 272, not. 1.) Unde liquet quod de ecclesia Capuana hic non agatur.

cujus sedulitas circa servitia tam utilis quam necessaria comprobetur. Quia igitur dilectus fidelis noster Johannes abbas Casemarii et Sancti Dominici nostre supplicavit humiliter majestati ut privilegium ex liberalitate nostra predicto monasterio Casemarii indultum post curiam Capue celebratam super restitutione et confirmatione videlicet privilegiorum quondam divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende que monasterio ipsi contulerunt, pro eo quod in fine ejusdem privilegii nostri continebatur clausula ista salutaris salvo mandato et ordinatione nostra, rescribi et eamdem clausulam adimi juberemus, attendentes honestam vitam et conversationem laudabilem abbatis predicti, considerantes etiam qualiter eum etsi mandatis nostris obnoxium ob religionem tamen ordinis repugnantem (*a*) probitatis et scientie sue merito post curiam nostram traxerimus, honestati sue sigilli nostri custodiam committentes in quo ad honorem nostrum se fideliter et prudenter exercet (1), ob sue devotionis meritum speciale suis justis supplicationibus favorabiliter annuentes, privilegium ipsum, remota clausula salvo mandato et ordinatione nostra, jussimus rescribendum; cujus privilegii tenor talis est :

[*Sequitur de verbo ad verbum, remota tamen praedicta clausula, privilegium datum Salerni, februario* 1221, *quod supra exhibuimus*, p. 117.]

Ad hujus autem rescriptionis et predicte clausule [remote] memoriam presens privilegium per manus Johannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario majestatis nostre impressa jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in castris in obsidione Jati, anno dominice incarnationis MCCXXII, mense julii, indictione X, imperii domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno II, regni vero Sicilie XXIV (*b*).

(*a*) Locum corruptum, videlicet : *qualitatem ejus. . . . ob religionem tanti ordinis repugnantes*, ita correximus.

(*b*) Sic, et in sequentibus quoque documentis. Recte tamen *XXV*.

(1) Verisimiliter post Gualterium de Palear tunc in exilio commorantem (vid. supra p. 204), cancellarii officium, licet titulo non adornaretur, Johannes iste exercuit.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Sanctae Mariae Montis Virginis eximit ab illa clausula libertati ejus praejudicante qua dicitur *salvo mandato et ordinatione nostra*, eique restituit sexaginta sertas anguillarum de pantano Alexinae. In castris ante Jatum, julio.

(Inedit. in archiv. monast. Montis Virg., vol. VIII, n° 62, ubi renovatur ab ipso imperatore. — Transcribitur quoque et inseritur in alio instrumento, secundo die mensis februarii ann. 1232, VI indictionis, quo Guillelmus Avellini judex ad requisitionem Johannis monachi et praepositi Montis Virginis hoc et alia in scripturam publicam redigi facit. *Arch. ibid.*, vol. VIII, n° 69, origin. — Quod quidem infra daturi anno 1224, junio, hic tantummodo locum, annum et mensem ad ornandam documentorum seriem indicamus.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus, etc.

Data in castris ante Jatum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tercio (1), mense julii, decime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum praedium ecclesiae Sanctae Mariae in Regelstede quod a fratribus ecclesiae Sanctae Mariae ad gradus Maguntinae pro centum marcis argenti emerunt, in perpetuum confirmat et advocatiam a Sifrido archiepiscopo Maguntino eis ibidem concessam, cum omnibus pertinentiis et rationibus. In castris apud Jatum, julio.

---

(1) Notarium in scribendo anni numero errasse liquet, cum ex praecedentibus et sequentibus documentis clare pateat imperatorem anno 1222 Saracenos apud Giatum expugnasse.

(Inedit. in arch. Stuttgartensi, ex copia pergamena seculi XIII exeuntis, qua fasciculus chartarum ad ord. Theuton. spectantium cooperitur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperialis excellentia exigit ut sicut ceteris potestatis culmine preminemus, ita pietatis studio ceteris preeuntes omnibus prebeamus virtutis exemplum, maxime liberalitatis officium exercendo circa religionis augmentum et cultum divini nominis ampliandum. Ea propter notum facimus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod quidam de fratribus domus hospitalis Sancte Marie in Jherusalem Theutonicorum, dilecti nobis in Domino, ad nostre majestatis presentiam venientes pro parte universorum fratrum ejusdem domus celsitudini nostre tam devote quam humiliter supplicarunt ut predium ecclesie Sancte Marie in Regelstede (*a*) situm quod a fratribus ecclesie Sancte Marie ad gradus Maguntine pro centum marcis argenti emerunt et advocatiam a dilecto principe nostro Syvrido Maguntine sedis archiepiscopo eis pia liberalitate concessam ibidem, ad quem ipsa donatio specialiter pertinebat, sibi et successoribus suis ac eorum domui confirmare nostra serenitas dignaretur. Nos igitur profectui et augmento predicte domus eo amplius intendere cupientes quo per ipsam sub cultu religionis et habitu forcius ad liberationem Terre Sancte in qua Salvator noster corporaliter mysteria nostre redemptionis exhibuit . . . . (*b*), preter humanitatis officia que multipliciter impenduntur pauperibus et infirmis, attendentes quidem honestam vitam et religionem laudabilem eorumdem fratrum ibidem Domino laudabiliter famulantium, predictum predium et advocatiam cum patronatu ecclesie, agris cultis et incultis, pascuis, pratis, aquarum decursibus, loco molendinari, hominibus et cum omnibus aliis justis pertinentiis et rationibus suis, sibi et successoribus suis ac domui nominate de nostre liberalitatis gratia in perpetuum confirmamus, sicut ea omnia tam a fratribus quam et archiepiscopo memoratis sunt rationabiliter assecuta,

(*a*) Ap. Boehmer, Regest. imper., n° 479 : *Nagelstede.*

(*b*) Deest aliquid in copia : *militatur* aut hujusmodi.

et in eorum privilegio continetur; statuentes et sub obtentu gratie nostre strictius injungentes ne quis ipsam domum super hanc nostram confirmationem molestare vel modo quolibet perturbare presumat. Quod qui fecerit in sue temeritatis vindictam centum libras auri componat, dimidium camere nostre et dimidium prelibate domui passe injuriam et offensam. Ad cujus rei certam evidentiam hoc privilegium conscribi et bulla aurea typario majestatis nostre impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt N. archiepiscopus Tarentinus, J. abbas Casemarii, C. burgravius de Nurimberg, A. de Justingen imperialis aule marescalcus, R. dux Spoleti, comes H. de Eberstein, C. de Tuffen, C. de Werda, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie (*Monogramma*).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M° CC° XXII°, mense julii, decime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus secundo, regni vero Sicilie XXIIII°, feliciter. Amen.

Datum in castris apud Jatum, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, fratribus Sanctae Mariae Theutonicorum donat duas curias in Kulstorf, dimidium mansum ibidem terrae arabilis, pratum inter montem Lomen et fluvium Sahel cum piscaria ac loco dicto Molendim, quae bona Elherus de Thanheim jure feodali ab imperio possedit.

In castris apud Jatum, julio.

(Inedit. in archivo reg. Dresdensi, ex originali, ut putant, unde pendet sigillum. Extat etiam aliud exemplar coaetaneum nitidioris scripturae, unde pendent filorum sericorum flavi et rubri coloris fragmenta, sed mendosum praesertim in nominibus testium, sicut infra videre erit. Neutrum tamen genuinum originale dici potest, sed copiae videntur quibus sigilla, forsan ex aliis documentis deprompta, addita sunt. Sigillum enim quod vidimus in isto cereum cum filis

flavi et rubri coloris, aut fictitium est aut posterius appensum, cum ex utroque latere sedis imperialis clare legatur REX. . . . . IERLM.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis hanc litteram inspecturis gratiam suam et omne bonum. Eterne retributionis premia profecto meretur accipere qui militibus Christi per temporalia stipendia manu larga curaverit subvenire. Inde est quod nos bona subscripta, videlicet duas curias habitationum cum suis pertinentiis in Kulstorff et dimidium mansum ibidem terre arabilis ac pratum inter montem Lomen et fluvium Sahel (1) cum piscaria dicta Lachsgrube a villa Kulstorff in ascensu Sahel usque ad pratum predictum pretendente ac locum Molendim ibidem situatum, que bona Longus (2) Elherus de Thanheim miles noster dilectus jure feodali possedit a nobis, religiosis fratribus ordinis Sancte Marie Ierosolymitane Theutonicorum liberaliter dedimus et apparamus (?) per presentes perpetuo possidenda. Ad cujus rei memoriam presentem paginam inde conscribi jussimus et majestatis nostre sigillo communiri.

Hujus rei testes sunt N. archiepiscopus Tharentinensis, Johannes abbas Casemarii, C. burggravius de Nuremberg, A. de Justingin imperialis aule marscalcus, R. dux Spoleti, comes H. de Ebirsteyn, C. de Swartzpurgh, C. de Werda (*a*) et alii quamplures.

Datum in castris apud Jatum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo secundo, mense julii, decime indictionis, Romani imperii nostri anno secundo, regni vero Sicilie vicesimo quarto.

(*a*) In altero exemplari, sed minus recte, *Albertus de Justingen imperialis aule marscalcus, Rudolfus dux Spoleti, Henricus de Ebirstein, comes Henricus de Swartzpurch, comes Conradus de Werda.*

---

(1) Scilicet *Saale*.

(2) Verisimiliter istius Elheri cognomen : germanice *der Lang*.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sancti Johannis de Flore Cisterciensis ordinis privilegia a praedecessoribus suis indulta confirmans, specialiter exemptionem a potestate fori secularis eidem concedit. In castris in obsidione Jati, 18 augusti.

(Edit. ap. Jac. Graecum Syllaneum, *Joachimi abb. Flor. chronologia*, sect. IV. Quod opus Cusentiae impressum ann. 1612, frustra requisivimus. — Memorat. autem ap. *Acta sanctorum*, maio, t. VII, p. 127, et in Macciucca, *Esame delle carte vantate della certosa di S. Stefano*, p. 500.)

Datum in castris in obsidione Jati (*a*), decimo octavo augusti, decime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, H. (Heinricum) praepositum de Ranshoven, quem in capellanum suum recipit, cum bonis ejus sub speciali sua et imperii protectione constituit. Cataniae, 1 octobris.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. III, p. 331, num. 18, ubi erronee ad ann. 1238 documentum reponitur. — Sigilli valde laesi pars media major appendet ex filis sericis nigri et rubri coloris, quae figuram excepto capite imperatoris fere totam exhibet.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis fidelibus suis per imperium constitutis omne bonum. Fidelitati vestre volumus esse notum quos nos adtendentes prudentiam et

(*a*) Sic correximus, cum legatur ap. Act. sanct. *in obsidione Januensi*, et ap. Macciucca *in obsidione Janue*.

honestatem H. (1) prepositi de Ranshoven fidelis nostri, ipsum in dilectum capellanum recepimus et tam personam ipsius quam omnia bona que in presenti habet vel in futuro, dante Domino, poterit adipisci sub speciali nostra et imperii suscepimus protectione; districtius inhibentes ne quis eum in persona vel rebus suis contra protectionis nostre tenorem molestare aut perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum.

Datum Cathanie, kalendis octobris, indictione XI.

---

octobri. Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Thaddaei abbatis monasterii Sanctae Mariae de Ferraria et fratrum ejus, inspectis privilegiis quae parentes sui eidem monasterio indulserunt, universas possessiones ejus, libertates et immunitates recenset, concedit et confirmat.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. VI, p. 563, qui alia quaedam privilegia a Friderico nostro eidem monasterio indulta, praecipue unum de anno 1206 obiter notat.)

In nomine Dei eterni Salvatoris nostri Jesu Christi. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter cetera pietatis commercia et insignia majestatis illud uberiori fructu colligimus et perpetuitatis erario conservamus quod venerabilibus locis et in castris Dei militantibus provida deliberatione largimur. Dum enim beneficiorum stipendiis indigentium relevamus inopiam, dedicatis ad divina obsequia fratribus liberiorem famulandi Domino copiam impertimur. Ea propter universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris pre-

(1) Scilicet *Heinricus*. Istum praepositum inter annos 1230-1245 huic monasterio praefuisse legimus in Catalog. praepos. Ranshov., ap. *Monum. Boic.*, t. III, p. 235, et in Hund, *Metrop.*, t. III, p. 202. Verum potior fides diplomati quam dicto catalogo habenda erit.

sens scriptum cernentibus innotescat quod venientes (*a*) ad nostre celsitudinis curiam Thadeus venerabilis abbas [et fratres] conventus sacri monasterii Sancte Marie de Ferraria Cisterciensis ordinis significaverunt sublimitati nostre quod frater Nicolaus qui quondam fuerat abbas ejusdem monasterii, pro imperfectione sua removendum a cura regiminis se prenoscens, antiqui hostis stimulis instigatus (*b*) quedam privilegia domus inaudita scindens nequitia dissipavit, sicut ex privilegio domine imperatricis Constantie matris nostre, felicis auguste, recordationis inclyte, ipsi monasterio facto et nostre curie presentato nobis innotuit; manifeste significaverunt etiam nobis quod sigillum privilegii domini imperatoris Henrici patris nostri felicis augusti, memorie recolende, eidem monasterio facti, cum ad edictum nostrum idem privilegium post generalem curiam Capue solemniter celebratam nobis assignaverunt cum aliis privilegiis monasterii memorati, ex custodis incuria dignoscitur esse fractum, sicut veraciter constat nobis ex ipso privilegio nostre celsitudini presentato. Propter quod prece supplici petierunt ut pro securitate ac pace ipsius monasterii ipsis successoribusque suis et eidem monasterio concedere et confirmare dignaremur quicquid idem monasterium juste acquisivit vel possidere dignoscitur usque ad hec tempora nostri imperii, tam in possessionibus quam et in libertatibus, donatione, concessione et confirmatione Guiglielmi II consobrini nostri et predictorum felicium augustorum parentum nostrorum inclyte recordationis : videlicet locum ipsum in quo idem monasterium fundatum est et terras cultas et incultas que sunt prope idem monasterium infra et extra rivos Januli et Ballanorum, flumen Vulturni, montes majores Sancti Petri et Sancti Eleutherii et viam publicam qua per fines Tramontium itur a Petra Fixa ad Torum Sindonis, triginta modios terrarum Fraxiti Presentiani, Corullanum, Pantanellum, Perticella, startiam Sancti Petri, locum scilicet (*c*) jardinum Galerani, duo aratra in Bagnoli vel scalerata Rocce Dragonis; in tenimento Theani startias de Fraxo et de Pedemontis

(*a*) Ap. Ughellium *mittentes*, male.
(*b*) Ibidem *instigatum*, male.
(*c*) Ibidem *locus S.;* quod non sine summo dubio restituimus.

cum alimentis omnibus et accessionibus suis; in Prato rotundo terre Cantie et Delfiana castelli ad mare prope flumen Vene quatuor aratra, bubus terrarum quatuor per quodlibet aratrum deputatis; in Alifia startiam de Corvaro cum molendino quod est ibidem et quidquid aliud in possessionibus domorum, nemorum ac terrarum cultarum vel incultarum et ubicumque habet et possidet vel idem monasterium acquisivit ex dono et concessione Conradi marchionis Molisii, Joannis comitis Alifie, Guillelmi comitis Caserte, . . . comitis Telesie, Rogerii comitis Molisii, Riccardi comitis Sangri, Guffridi de Draconis, Ugonis, Rainonis, Simonis et Matthie amite ipsorum de Prata, Gismundi de Rocca Romana, Tallacotii filii et Jacobi nepotis ipsius, Filippi de Bussone, Rainonis Raonis Jussi, Malgerii Sorelli militis, Ugonis de Cerolanis et Ugonis consobrini ipsius, Tallacotii de Cajano, Roberti de Fossaceca, Pandulphi. . . . . et Johannis Zicti fratris ejus, Marie de Albiniano, Roberti Totomonis de Peutomis, Matthei de Surrento, Roberti de Prata, Simonis Spatarii de Vinclatorio, Guilielmi de Cantalupo, Ugonis de Sancto Petro in fine et aliorum fratrum suorum, nec non et Guarinam, Surretellas, pastina de Alderado, molendinum Corradi cum tornis et balcatorio, Campum majorem et campum de Capite campi, montem Pedirculi cum libero usu pascuorum, lignantium, aquarum et piscationum Matesii fluminis et castri Pedismontis; vineas, domos, cannabisertum et alias terras, domos et molendina civitatis Alifie cum quadam terra de Cesis; terras, molendina, balcatoria et cavatoria Pratelle; domos, terras, molendina et torfam civitatis Telesie cum tenimentis Johannis Bassi et Bartholomei Pagani; terras et molendina Pentimarum; startiam de Silice cum molendino Clanei et domo Averse; molendinum et terras quasdam Roberti filii Minoris de Capua; domos terrasque Marie uxoris Mazoleni Protojudicis Capuani protonotarii et Johannis de Riccardo; startiam de Cerro; quamdam petiolam terre arbustatam existentem et alias startias quas idem monasterium habet et possidet vel noscitur possidere titulo oblationis, emptionis et concambii in Vaiitano, in Cajatia civitate, ad Sanctum Maximum et Sanctum Damianum et Sanctum Germanum, in Alifia, Aglano, Miniano, Capua, Sancta Agatha, Beneventana, Prata, Marchano, Leajario, Marzano,

Calvi civitate (*a*), civitatibus (*b*) Suesse et Trajecti, Capriata, Venafro civitate, Monterodone, Bojano civitate, Campoclaro, Albiniano, Daja, Sancto Johanne in Clusa, et precipue cambium terrarum Sancti Angeli de Ravecanina ad Geronem, Sanctum Maurum, Sanctum Stephanum, limatam, peditam et cataliscam, curtem Johannis de Nicolao et alias terras Todini. Nos autem precibus eorum intra sacrarium exauditionis nostre benigne admissis, considerantes religionem et honestatem eorum qui Deo et hominibus placere noscuntur, jamdictum monasterium cum omnibus supradictis tenimentis et possessionibus suis et omnium ecclesiarum vel grangiarum suarum sub nostra speciali protectione et defensione in jus regium recipientes, presenti divali pagina ipso (*sic*) monasterio, prefato abbati, successoribus ac fratribus ejus donamus, concedimus et in perpetuum confirmamus prescripta omnia libera et exempta ab omni servitio vel qualibet exactione; et de abundantiori quoque gratia nostre sublimitatis eidem monasterio donamus, concedimus et in perpetuum confirmamus quicquid de feudis suis Niel civis Beneventanus, Bartholomeus de Petra Pulcina, Nazarius gener ejus, Severinus dominus Terre Rubee et Tammarii, Michel filius ejus et Girardus de Monteleone ipsi monasterio contulerunt, secundum quod continetur in instrumentis que sunt inde confecta; videlicet Palatam totam et omnes pertinentias ejus cum terris omnibus quas idem monasterium habet in Petra Pulcina, Terra Rubea, Tammaro, Monteleone cum medietate cujusdam molendini quod ibidem. . . . . Concedimus etiam et perpetuo robore confirmamus dicto abbati, successoribus ac fratribus ejus omnes donationes seu oblationes quas fecit dicto monasterio frater Machabeus cum fratribus suis de omnibus ecclesiis et locis quos ipsi acquisiverunt cum omnibus tenimentis et rationibus suis, et quicquid aliud ubicumque idem monasterium possedit vel possidet per privilegia vel publica instrumenta, donatione, oblatione, concessione et confirmatione prescriptorum regis Willelmi secundi consobrini nostri et felicium augustorum parentum nostrorum vel aliarum personarum. Hec autem predicta omnia et singula [cum] terris cultis et incultis,

(*a*) In impresso *civitatis*, minus recte.
(*b*) In impresso *civitatis*, minus recte.

sylvis et nemoribus, pratis et paludibus et libero usu aqueductus faciendi ac quecumque alia idem monasterium in presenti possidet vel in antea oblatione, donatione, concessione et venditione, dante Domino, poterit adipisci tam de demanio quam de feudis et tenimentis eorum omni jure nostre majestatis seu quibuslibet benefactorum (?) nostrorum quod inde pertineat, nonobstantibus privilegiis seu litteris a nostra majestate hactenus impetratis vel amodo impetrandis, eidem concedimus et in perpetuum confirmamus. De affluenti quoque gratia nostre liberalitatis eximimus monasterium ipsum, grangias et homines ipsius ab omnibus datiis, collectis, adjutoriis, bannis publicis vel privatis et defensionibus comitum, baronum et aliorum fidelium et officialium nostrorum; confirmantes eidem omnes libertates et immunitates que a Romanis pontificibus seu ab aliis nostris fidelibus hactenus indulte sunt dicto monasterio, [vel] aliquas in posterum indulgendas. Volumus insuper et mandamus ut nullus infra septa monasterii supradicti vel grangiarum suarum hominem capiat vel interficiat vel in aliquo ledere seu molestare presumat, et quicumque criminosus ad predicta loca confugerit, securus sit donec ibi permanserit. Injuriarum et contumeliarum quoque tumultus, rapinas, rupturas et violentias in predictis locis fieri prohibemus. Fugientes et deserentes seculum eique perpetuo renunciantes cum omnibus rebus suis liceat (a) fratribus predicti monasterii ad. . . . .
tempore et absque alicujus contradictione retinere. Concedimus etiam et dicte majestatis gratia perpetuo confirmamus libera pascua pro animalibus suis absque herbatico et glandatico et absque exactione qualibet [per] universas demanii nostri terras necnon et liberum usum incidendi viridia siccaque ligna, ubique mutandi vias et aliunde reddendi et ducendi aquas per terras suas, faciendi molendina, fulloria et quelibet alia eorum ordini congruentia in locis suis. Ea. . . . .
preterea fratres et homines dicti monasterii cum rebus suis terra marique et fluminibus ab omnibus plateaticis, passagiis, pedagiis, doanaticis, falangaticis, herbaticis seu quibuslibet generibus exactionum vel anga-

(a) In impresso *licite*, minus recte.

riarum; concedentes eidem liberam facultatem vendendi res suas et alienas emendi ad misuram propriam sine datione seu qualibet exactione, et habendi judices et notarios quos voluerit in agendis suis ac faciendi liticarias in aquis juxta terras suas, et ut secularium judicio de rebus et personis suis minime subjiciatur (*a*) nec teneatur alicui contra statuta ordinis eorum jurare. Preterea irritamus penitus et annihilamus omnes stipulationes, alienationes factas vel promissiones seu pacta que aliquando abbas seu fratres vel rectores cum conventu dicti monasterii fecerunt aut fecerint in prejudicium ipsius, districtius inhibentes ne aliquis id quod dicto monasterio semel dedit aut dederit auferre audeat ab eodem, nullis hujusmodi pagine litteris obviantibus a nostra majestate hactenus impetratis vel amodo impetrandis; et si apparuerint alique littere contrarie hujusmodi nostre donationi, concessioni et confirmationi, careant effectu, et licet in omnibus privilegiis clausula illa de salvo mandato et ordinatione nostra consueverit annotari, in isto tamen privilegio de speciali gratia jussimus non apponi. Ad hujus autem nostre protectionis et confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Johannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data Messane, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo secundo, mense octobris, decime indictionis (1), imperante domino nostro Friderico Dei gratia excellentissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus secundo et regni Sicilie vicesimo quarto (*b*), feliciter. Amen.

(*a*) In impresso *subjaceatur,* pessime.
(*b*) Rectius autem *vicesimo quinto.*

---

(1) Cum locus dati privilegii optime itineris ordini conveniat, majorem hic fidem anno incarnationis expresso censemus adhibendam quam numero indictionis quae undecima notari deberet.

Apud Messanam, 26 octobris.

Fridericus, Romanorum imperator, domino Papae canonicos Cephaludenses peculiariter commendat, precaturque ut justis eorum precibus assensum praebeat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 121, n° 482, ex copia quam Pertz in Regestis Vaticanis transcripsit.)

Datum apud Messanam, XXVI octobris, undecima indictione.

Apud Regium, 29 octobris.

Fridericus, Romanorum imperator, dominum Papam rogat ut electionem decani Hugonis ad archiepiscopatum Capuanum (1) ratam habere velit, cum capitulum huc usque discors in istum tandem convenerit et ipse eumdem electum huic dignitati sufficientem recognoverit.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 121, n° 483, ex copia quam Pertz in Regestis Vaticanis transcripsit.)

Datum apud Regium, XXIX octobris, undecima indictione.

Apud Joham, 22 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Ecclesiae Romanae cardi-

(1) Archiepiscopus autem Capuanus hoc anno, circa mensem junium, obierat. « Cognito » [quod comes Molisii Celano fuerat potitus], comes Acerrarum, paucis in obsidione Roccae » Magenul relictis, una cum Stephano Casinensi abbate et Raynaldo Capuano archiepiscopo » contra ipsum comitem super Celanum vadit. Dictus tamen archiepiscopus subita infirmitate » correptus in via mortuus est. » Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

nalibus scribit quantum moleste tulerit injuriam R. Sanctae Mariae in Cosmedin cardinali diacono et rectori ducatus Spoleti a Gunzelino imperialis aulae dapifero illatam; nunc autem ipsorum litteris et nuntio monitus quod iste dapifer contra jura Ecclesiae Romanae graviter attentaverit, ei mandat ut balivos ecclesiae restituat, juramenta ab hominibus de ducatu recepta relaxet, et satisfactionem exhibeat, unde liquide cognoscatur haec omnia, se nolente, fuisse praesumpta.

(Edidit RAYNALDUS, *Annal. ecclesiast.*, tom. I ad ann. 1222, § 27, e regest. Honor. III, lib. VII, epist. 41.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilectis in Christo patribus et amicis suis dominis U. Ostiensi, N. Tusculano episcopis, S. Basilice duodecim Apostolorum, T. tituli Sancte Sabine, B. tituli Sanctorum Joannis et Pauli presbyteris, . . . Sanctorum Cosme et Damiani et P. Sancti Georgii ad velum aureum diaconibus cardinalibus salutem et intime dilectionis affectum. Alia vice scripsimus fideli nostro G. (*a*) Imperialis aule dapifero quod injuriam illatam dilecto in Christo patri et amico nostro domino R. Sancte Marie in Cosmedin venerabili diacono cardinali, rectori ducatus Spoleti, et juramenta que fuerunt per eumdem dapiferum ad suggestionem Bertoldi filii quondam ducis Conradi ab Ecclesie Romane fidelibus de ducatu recepta, moleste nos plurimum ferebamus, utpote qui eidem G. cum discessisset a nobis duximus specialiter inhibendum ne aliquid contra Sedem apostolicam attentaret vel quidquam presumeret, unde inter ipsam et nos scandalum, quod absit, contingeret suboriri. Nunc autem litteris vestris et discreto ac prudenti viro magistro R. (*b*) subdiacono ac notario apostolico ad nos nuncio destinato qua decuit affectione receptis, factum hujusmodi tanto molestius tulimus quanto manifestius

(*a*) Scilicet *Gunzelino*.
(*b*) Scilicet *Roffrido*.

nobis innotuit detestande illius dapiferi temeritatis excessus, et quanto minus credidimus quod rem tam arduam, que adeo nobis displicere deberet, absque nostra conniventia attentaret. Porro cum nonnulla unquam ratione velimus quod mater nostra Romana Ecclesia, cujus tot recolimus beneficia, per nos aut nostros leviter se reputet offensam, prenominato dapifero sub pena gratie nostre districte precipiendo mandamus quatenus quecumque in Marchia attentata sunt et Ducatu non differat revocare ac nequaquam de cetero similia presumpturus Ecclesie balivos suis amotis restituat, bannum relaxando cui omnes supposuit qui non jurarent eidem et que recepta sunt ab eorumdem locorum hominibus juramenta; preterea super predictis omnibus contra Sedem apostolicam attentatis eam sibi satisfactionem exhibeat quod liquido cognoscatur hec nobis nolentibus presumpta fuisse, ac nos indignationem quam ex hoc adversus ipsum concepimus mitigemus. Quocirca paternitatem vestram affectuose duximus exorandam quatenus congruo velitis favore prosequi exuberantem ad Romanam Ecclesiam nostre devotionis affectum, quo ita studemus nostrum imperium Sedi apostolice coaptare ut debeamus semper, quantum in nobis est, inter Ecclesie ubera retineri. Ut autem plenius et nitidius exhiberemus quem ad apostolicam Sedem habemus devotionis ardorem, juxta voluntatem prefati nuntii apostolici in marchia et ducatu mandavimus negotium expediri (1).

Datum apud Joham (2), XXII novembris, XI indictione.

[Scriptum est ab eodem, mutatis competenter mutandis, ipsi Papae apud quem per speciales litteras Jacobum episcopum Pattensem et Hermannum magistrum Theutonicorum plena auctoritate sua suffultos super eodem negotio audiendos commendat.]

---

(1) Extant etenim cum notis chronologicis eisdem litterae et mandata Bertholdo quondam ducis Conradi filio et Gunzelino imperialis aulae dapifero directa, necnon et universis in ducatu Spoleti et marchia Anconitana, quibus contra suam voluntatem factum profitetur quidquid dapifer egerit, sacramenta fidelitatis exigendo et papales expellendo balivos. Vid. Boehmer., *Regest. imper.*, p. 121, nº 484, e copiis quas Pertz in pontificalibus regestis transumpsit.

(2) Videlicet *Gioia*, locus maritimus non multum Regio distans; unde nomen *Golfo di Gioia*.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Rogerii abbatis monasterii Sancti Stephani de Bosco, pro eo quod homines casalium Mentabri, Gasparinae, Arunchi et Olviani per falsas querelas litteras curiae contra eumdem abbatem impetraverunt, dum ex concessione Rogerii magni comitis servi perpetui ejusdem monasterii existerent, eis ultimo supplicio remisso poenam quinque millia tarenorum auri imponit, mandatque ut nudae et primae servituti subjaceant. Syracusiae, decembri.

(Edider. TROMBY, *Storia del ord. Cartus.*, tom. V, append. p. 93. — MACCIUCCA, *Esame delle carte vantate*, etc., raccolt. n° 24. — Coll. cum origin. in archivo reg. S. Sever. ap. Neapolim. Suspectum hoc diploma Macciucca habuit, nec diffitendum quin locus dati privilegii difficile se itineris ordini accommodet.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Si quando celsitudinis imperialis clementia que debito sui vigore presidii erga rectitudines indesinenter versatur justicie, querelis omnium inclinatur, tanto fert gravius que mendacii obductionibus deteguntur quanto contextas veritatis querelas prosequitur ultione. Presens itaque coram nostri culminis majestate frater Rogerius (1) abbas monasterii Sancti Stephani de Bosco, fidelis noster, exposuit humili petitione et devota quod nunquam contra sacri nostri mandati tenorem non solum facere, verum etiam cogitare presumpsit, exhibens se nostre claritatis judicio si verum non facto, sed nutu id valeret aliquis comprobare. Impetraverant enim a curia majestatis nostre licteras homines dicti

---

(1) Ex hoc privilegio liquet sub isto Rogerio qui Petro abbati anno 1221 successisse videtur, sententiam contra villanos fuisse prolatam. Vid. supra p. 208. Unde non comperitur qua causa non nisi interposito totius anni intervallo imperatoria confirmatio fuerit et petita et concessa.

monasterii de casalibus Mentabri, Gasparine, Arunchi et Oliviarum casalium monasterii prelibati de pertinentiis Squillacii, infamiam falsi criminis preseferentes quod idem abbas, cum alias nostra celsitudo scripsisset ne ipsos homines gravaret indebite preter servitia debita quibus dicti homines ex donatione Rogerii comitis eidem monasterio tenebantur. . . . ., iterato extreme nequitie pallium protendentes a nostra curia eidem abbati missas licteras acceperunt quod ferebamus graviter dictum abbatem primas nostras licteras, ut exponebant mendaciter, ipsos homines durius affligendo clausis oculis preteriisse (*a*). De quibus omnibus qualiter se rei geste veritas habuisset, sententiam inde factam per venerabilem Reginum archiepiscopum dilectum consiliarium et familiarem nostrum in omnibus factis ipsius monasterii per nos datum judicem delegatum, una cum Rogerio Attavo justitiario Calabrie, et alteram sententiam per Rogerium eumdem prefate justitiarium regionis idem abbas presentando, nostro culmini patefecit. . . . . per jamdictas sententias predicti homines eidem monasterio tenerentur, privilegia antiqua proferens, donationis videlicet magni Rogerii comitis et concessionis confirmationisve regis Rogerii et regis Guillelmi felicissimorum regum Sicilie predecessorum nostrorum, divi quoque augusti nostri progenitoris; et nostre majestati vere claruit quod pro proditione nequam ante civitatem Capue cum infelicissimo Sergio conspirata, qua destinabant Rogerium comitem magnum eorum dominum tradere manibus hostis sui, sed orationibus venerabilis et beati viri Brunonis, ut in privilegiis ejusdem magni Rogerii comitis. . . . . extitit per oraculum sompnii miraculosius liberatus, eosdem homines servos perpetuos eidem beato viro Brunoni eidemque monasterio tradidit cum eorum filiis filiorum. Auditis quibus omnibus saneque perspectis, conversus noster animus in stuporem, nequitiam patrum propagatam in filios perhorrescens, zelo censuit instigatus nece quam dirissimi patres meruerant sequaces filii plecterentur. Ad petitiones autem venerabilium virorum Regini archiepiscopi, Cataniensis et Syracusani episcoporum aliorumque procerum fami-

(*a*) In impressis *petiisse*, male.

liarium nostrorum, necnon Rogerii (*a*) dictique abbatis, quod censueramus dimisimus; sed quinque milia tarenorum auri quantitas pro pena per dictum Reginum archiepiscopum eisdem servis imposita in integrum nostre curie volumus exolvatur, eidemque monasterio per eosdem interesse quolibet satisfacto, abbatis Guillelmi relaxationem debitorum ingratis servis exibitam volumus non tenere. Preterea presentis constitutionis edicto sancimus quod quicumque ipsi servi generaliter omnes aut eorum aliquis in futurum attemptare presumpserit similia aut dicti monasterii dominium denegare vel servitia debita quibus tenentur distrahere, si quidem omnes si fuerint, quinque millia tarenorum auri ex integro nostre volumus solvi curie per eosdem; quin aliqui eorum si fuerint, decernimus quantitatem quinque millia tarenorum predictorum que eos tangeret in communi nostre curie soluturos, dictis sententiis per predictos nostros officiales prolatis, quibus dicti servi mercedem nostre curie subire debeant, in earum robore duraturis; nullisque ipsis factis in antea relaxationibus faciendisve supradictis servis in aliquo valituris, sed eorum bonis omnibus mobilibus immobilibusque ad jus et proprietatem conversis monasterii memorati, nude primeque mandamus servituti subjaceant, sicut donatio supradicti magni Rogerii comitis protestatur. Ipsum tamen abbatem [pro] timore(?) laudabili commendantes gratiosiorem reddit nostre magnitudinis benignitas consueta. Ad hujus autem nostre decisionis, confirmationis et constitutionis edicti futuram memoriam et inviolabile munimentum, presens privilegium per manus Johannis de Capua notarii et fidelis nostri scribi et majestatis nostre sigillo pendenti (*sic*) jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Syracusie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo secundo, regnante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto et serenissimo rege Sicilie, imperii ejus anno tertio, regni vero Sicilie vicesimo quinto, mense decembris, undecime indictionis.

(*a*) Vice *Rogerii* legitur in pergam. Neapol. *Manuarii clerici* : forsitan *camerarii nostri*, scilicet Riccardi. Vid. p. 209.

Apud Civitatem. 17? decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Alberoni abbati Nwenburgensi in Alsatia et fratribus ejus processum unius navis in ascensu et descensu Rheni cum immunitate cujuscumque exactionis et thelonei concedit.

(Edid. Wurdtwein, *Nova subsid. diplomat.*, tom. XIII, p. 271, ex chartul. membr. abb. Neoburg., fol. 18, b. — Coll. cum transumpto confirmatorio Henrici Romanorum regis ann. 1223, cujus originale extat in archiv. praefect. apud Argentinam, *Titres de Neubourg*, nominibus testium et notis chronologicis in hoc tamen deficientibus.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, omnibus in perpetuum. Cum imperialis eminentia et consuete benivolentie habundantia expertis fidelibus suis debita procuret tempore et loco impertiri beneficia, nos specialius tales promovere intendimus personas quarum orationibus et elemosinis salutem nobis et imperio cum superne retributionis premio speramus provenire. Ea propter considerantes honestatem venerabilis Alberonis abbatis Nuwenburgensis in Alsatia suorumque confratrum qui quadam prerogativa speciali optime conversationis hactenus excellentie nostre familiares extiterunt et accepti, ne merita eorum sine debita nostre liberalitatis permaneant recompensatione, pro salute nostra et imperii animarumque divorum progenitorum nostrorum remedio, recipiente personaliter a manibus imperialis majestatis nostre abbate antedicto, contulimus eidem et conventui Nwenburgensi eorumque posteris omnibus in eodem loco Deo deservientibus processum (a) navis unius in Rheno, ita quod in descensu et ascensu per Rhenum in nullo omnino loco fratres memorati vel eorum nuntii in navi illa quam ipsi sibi ad hoc adaptaverint, ullam patiantur exactionem nomine thelonei vel alterius

(a) In transumpto *fructus*, minus recte.

inquietationis. Volumus etiam et hoc libere contulimus conventui memorato quod quicquid ad exactionem consueti thelonei super Rheno ab aliqua exquiritur navi, id percipiat conventus sepedictus de navi quam ei indulsimus ad sue prebende supplementum sine alicujus ministri aut nuntii nostri contradictione, et ipsi fratres hoc recipiant ab una ut dictum est navi, imperiali de cetero auctoritate, ubicumque ipsis commodius videatur. Mandamus igitur [et sub districta gratie nostre interminatione perpetuo observandum precipimus ne ulla omnino persona, nullus scultetus seu minister, nullus omnino thelonearius seu aliquis eorum nuntius super hac nostre clementie largitione sive concessione aliud aliquid presumat quod in hoc secundum formam pretaxatam imperialis nostra edixit et instituit serenitas (*a*).] Ad hujus autem rei evidentiam, robur atque memoriam hoc inde scriptum prefato cenobio indulsimus sigillo majestatis nostre communitum.

Hujus rei testes (*b*) sunt Albertus Tridentinus episcopus, Bertholdus Brixinensis episcopus, Heinricus Constantiensis major prepositus imperialis aule prothonotarius, Heinricus comes de Eberstein (*c*), Chunradus burcgravius de Nuerimberg, Chuono de Tuffen, Chunradus et Ulricus fratres camerarii de Werda et alii quamplures.

Datum Apulie apud Civitatem (1), anno dominice. . . . . (2) M.CC.XXIII, sexto kalendas januarii, XI indictione.

(*a*) Pars tota uncis inclusa deest in Würdtwein.

(*b*) Nomina testium, ut diximus, et notae chronologicae desunt omnino in transumpto confirmationis originali.

(*c*) In Würdtwein *Ebenstein*, male.

---

(1) Legendum est, ut arbitramur: *datum in Apulia apud Civitatem* aut forsitan *apud Civitatem Apulie*. Vid. infra p. 281, not. 1.

(2) Deest verbum quod *nativitatis* esse debuisset, si notarius usus fuisset anno in die natali (25 decembr.) incipiente. Quemdam tamen in transcriptione notarum anni et mensis errorem suspicamur, quas ita restituendas censemus : *anno dominice incarnationis M. CC. XXII, XVI kalendas januarii*, cum revera Fridericus 17 decembris potius quam 27 apud Civitatem morari potuerit, ut ex documentis sequentibus liquet.

Apud Civitatem, 18 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Beatae Mariae Montis Virginis cum omnibus bonis ejus sub sua speciali protectione recipit, omnia privilegia a praedecessoribus suis et a seipso indulta confirmans; jubetque ne occasione constitutionis Capuanae de feudis revocandis aliquis monasterium perturbare praesumat nec possessiones quas eidem monasterio vendiderit aut obtulerit revocari petat, nisi restituendo pretium cum melioratione beneficiorum.

(Inedit. in archiv. monast. Montis Virg., ex instrumento originali, vol. VIII, n° 69, in quo privilegium istud cum duobus aliis transcribitur et inseritur, secundo die mensis februarii anni 1232, VI indictionis.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, magistris justiciariis, justiciariis, comitibus, baronibus, magistris camerariis, castellanis, bajulis et universis presentes litteras inspecturis, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Cum nos, de solita pietatis nostre misericordia qua circa fideles nostros et specialiter circa monasteria et loca religiosa in quibus omnipotenti Deo et gloriose Virgini matri sue jugiter laudis cantica referuntur ac viros religiosos ad eorum servitia laudabiliter deputatos misericorditer consuevimus providere, monasterium Beate Marie Montis Virginis, abbatem, monachos et confratres suos jugiter famulantes ibidem cum hominibus, obedientiis, possessionibus et omnibus aliis bonis suis que per totum imperium et regnum nostrum Sicilie juste et rationabiliter possidere noscuntur, sub speciali protectione et defensione nostre recepimus majestatis et confirmavimus ei in perpetuum omnia privilegia a divis augustis quondam progenitoribus nostris memorie recolende sibi pia liberalitate concessa et nostra etiam post curiam Capue celebratam; universitati vestre sub optentu

gratie nostre mandamus firmiter injungentes quatenus nullus sit qui contra protectionem et defensionem nostram et tenorem privilegiorum dictorum de omnibus que in eisdem privilegiis continentur predictum monasterium, abbates, monachos et confratres suos cum hominibus, obedientiis et omnibus bonis suis indebite impedire seu molestare presumat. Et quia, sicut ex relatione venerabilis abbatis et monachorum ejusdem monasterii nostre innotuit majestati, quidam sunt qui occasione constitutionis nostre in curia Capue promulgate de feudis integraliter revocandis, que propter turbationem temporis retroacti adeo diminuta fuere quod servitia que ex eis curie nostre debentur eorum domini facere non poterant ut tenentur, in possessionibus et bonis ejusdem monasterii manus illicitas injicientes eas accipiunt pro sue arbitrio voluntatis, statuimus ut nullus de cetero ausus sit qui occasione constitutionis supradicte possessiones et bona ipsius monasterii presumat aliquatenus perturbare; sed si forte quis de possessionibus feudi sui quas eidem monasterio dicitur vendidisse vel pie similiter obtulisse ab obitu regis Guilielmi secundi predecessoris nostri memorie recolende, eas ad feudum suum petierit revocari, monasterium ipsum non presumat exinde aliquatenus dissaisire, nisi primo restituat pretium quod tempore venditionis et quando eas obtulit a jam dicto monasterio pro eis charitative seu titulo venditionis recepit cum melioratione beneficiorum, si qua in eis monasterium ipsum fecit ab eo tempore quo ipsas dignoscitur habuisse; et si qui forte hactenus hoc fecerunt, pretium similiter eidem monasterio restituendum injungimus ab eisdem. Quod si facere noluerunt, possessiones ipse ad jus et proprietatem ipsius monasterii revocentur quousque predictum pretium in integrum restituatur eidem.

Datum apud Civitatem (1), octavo decimo decembris, undecime indictionis.

---

(1) Licet hunc locum cl. vir Staelin interpretetur *Civita a mare* ad fauces Fortoris, non dubitamus quin hic agatur de urbe nunc diruta, *Civitate* dicta, ad dexteram Fortoris ripam, juxta Dragonaram inter Sanctum Paulum et Serram Capriolam, circa locum qui hodie nuncupatur *Ponte* vel *Passo di Civitate* (ap. Barcler d'Albe et vetustiores geographicas tabulas,

---

Apud Precisam, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, domui Sanctae Mariae Theutonicorum praecavens statuit ut nulli postquam ipsius domus religionem assumpserint, super debitis quae ante susceptum habitum contraxerint requirantur, sed illi teneantur ad quorum dominium bonorum successio noscitur devoluta.

(Edider. Duellius, *Histor. ord. Theutonic.*, append. n° 15. — Hennes, *Cod. ord. Theutonic.*, p. 67, n° 62.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Locorum religiosorum incommodis obviari ex commissa sibi plenitudine potestatis imperialis circumspectionis sollicitudo requirit et sic ipsis provideri in omnibus ad cautelam ut nihil apud ea remaneat indiscussum unde locis ipsis dispendium valeat suboriri. Eapropter venerabili domui Sancte Marie Teutonicorum, que divorum augustorum avi et patris nostri ac nostra structura est specialis, in cunctis que sibi et fratribus ibidem constitutis possent obesse volentes augustali providentia precavere, de consilio dilectorum principum et aliorum nostrorum fidelium subscriptorum presentis pagine tenore sancimus ut nulli, postquam ipsius domus religionem assumpserint et habitum gestaverint, super aliquibus debitis que ante susceptum habitum contraxerant, requirantur aut ea solvere compellantur, sed illi pro ipsis debitis teneantur ad quorum dominium hereditatis et bonorum suorum noscitur successio devoluta,

---

sed minus recte, *Civitare* et *Civitaro*). « Da Ferenzuola (Ferentino) caminando 18 miglia al » picciolo colle veggonsi i vestigi sopra quello di Civitato, citta roinata ne tempi de nostri » padri. » Leand. Alberti, *Descriz. di tutta l'Ital.* (1577), Capitinata, p. 253 recto. Huic quoque rei maximam lucem affert Matteo di Gioven., *Diurnali*, § 138 : « In chisto anno 1258 (?) » de lo mese di marzo lo re (Manfredo) fese scasare Siponte et Civitate et comandare che » andassero ad abitare a Manfredonia. » Civitas sedes erat episcopalis, ad Sanctum Severum a Gregorio XIII anno 1580 tandem translata.

etiamsi ipsi fratres cum ordinem assumpserint partem bonorum suorum domui contulerint memorate. Ad hujus autem rei evidentiam et robur in perpetuum valiturum presens scriptum inde fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Albertus Tridentinus et B. Brixinensis episcopi, comes Henricus de Diez, comes S. de Viande, comes Heinricus de Eberstein, Bernardus de Hurstemare, Arnoldus de Gemeneck, Conradus de Dortmunde, Hadamarus de Kauringe (1), Cuno de Tuffen, Conradus de Werda, et alii quamplures.

Datum apud Precinam (2), anno dominice incarnationis M. CC. XXII, mense decembris, indictione XI.

Fridericus, Romanorum imperator, Honorio papae scribit se ab Hermanno Theutonicorum magistro ad se redeunte accepisse quod in curia Romana asseratur litteras per Roffridum subdiaconum notarium apostolicum nuper transmissas super negotio ducatus et marchiae a se fuisse revocatas. Unde miratur quod papa aliquid duplicitatis in se suspicari potuerit, cum de hac re ne cogitaverit quidem. Praedictum autem magistrum et cum eo Gunzelinum dapiferum ad curiam Romanam denuo mittit ut iste per juramentum fidem faciat quod nil tale fuerit attentatum, rogans pa-

Apud Prechinam. 20 decembris.

---

(1) Scilicet de *Kunring* seu *Chunringen*.

(2) In duobus *Aretinam*, male. Hic agitur de loco hodie dicto *Apricena* seu *Aprocina* ad pedem Gargani montis, media via inter lacum de Lesina et Sanctum Severum. Scriptores Neapolitani fingunt Fridericum sibi palatium in hoc loco construxisse post aprum mirae magnitudinis ibidem inter venationem occisum et coenam lautissime celebratam : unde nomen *Apri coena*. (Cf. CAPECELATRO, *Istor. di Napoli*, parte II, p. 92, et P. Razano ap. LEAND. ALBERTI, *Descriz. di tutta l'Ital.*, p. 251 rect.) Sed in coaevis documentis non aliter vocatur locus nisi Precina, Prechina vel etiam Pretina.

pam ut omni sic amoto rancore paternum amorem sibi continuo tribuat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 122, n° 487, ex copia a Pertz in Regestis Vaticanis desumpta et eidem communicata. Cf. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1222, § XXX.)

Datum apud Prechinam, XIII kalendas januarii, undecima indictione.

Apud Prechinam, 27 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Ottoni duci Meraniae comitique palatino Burgundiae et caeteris nobilibus Burgundiae notum facit quod Bisuntinam ecclesiam Beati Stephani in monte in suae immunitatis tuitione suscepit, eisque mandat ut hanc ecclesiam cum atrio in quo multorum principum corpora requiescunt et cum possessionibus et bonis omnibus defendere et manutenere curent.

(Edid. P. F. Chifflet, *Lettre touchant Béatrix comtesse de Châlon*; ex origin. in thesaur. eccles. cathedr. Bisunt., preuves, p. 99.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilectis fidelibus suis Hotoni duci Meranie comitique palatino Burgundie, Stephano et W. (1) comitibus in Burgundia, R. (2) comiti Montis Biligardi, T. de Rubro Monte vicecomiti (3), P. et R. dominis de Ceys (4), W. de Asperomonte (5), G. de Rocha (6), T. de Novo Cas-

---

(1) Scilicet *Willelmo*.
(2) Scilicet *Richardo*.
(3) Scilicet *Theobaldo*, qui dicebatur vicecomes Bisuntinus.
(4) Verisimiliter *Cessey*.
(5) Scilicet *Willelmo d'Apremont*.
(6) Verisimiliter *Guido de la Roche*, ex illa gente quae Athenis cum titulo ducali imperabat.

tro, H. de Viler, T. de Bellovisu (1), G. domino de Arguel, R. de Chavisio, ceterisque nobilibus Burgundie gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre volumus esse notum quod nos divorum augustorum imperatorum et regum predecessorum nostrorum inclyte recordationis vestigiis inherentes, Bisuntinam ecclesiam beati Stephani protomartyris sitam in monte pro sue sanctitatis reverentia merito venerandam, in qua etiam dilectus patruus noster Hoto proavusque noster Renaudus felicis memorie comites palatini Burgundie requiescunt, in nostre immunitatis tuitione suscepimus, et quecumque ei imperatores Romanique pontifices seu quilibet fideles divino intuitu contulerunt aut confirmarunt ei perpetuo possidenda confirmamus atque sancimus, quia felices imperatores et reges predecessores nostri ejusdem ecclesie fundatores, tutores atque advocati fuerunt. Quare universitati vestre precipimus quatenus supradictam ecclesiam cum atrio suo in quo multorum principum et aliorum nobilium corpora requiescunt, cum possessionibus et bonis suis que tam imperatorum quam regum, Romanorum pontificum seu aliorum fidelium largitione vel dono tenuit ab antiquo, ob divinam reverentiam atque nostram defendere et manutenere curetis; non permittentes quod super eis per aliquam personam ecclesiasticam vel mundanam jacturam aut molestiam patiatur. Immo quecumque per invasionem aut violentiam predicta ecclesia pro qualitate temporum jam amisit, eidem restitui faciatis et in dignitatis et honoris statu conservetis eamdem in quo dictorum predecessorum nostrorum florere temporibus consuevit.

Datum apud Prechinam, XXVII decembris, undecima indictione.

Imperator sua statuta per regnum dirigit qualiter in singulis civitatibus, castellis et villis singula mercimonia vendi debeant ad [Ann. 1222 exeunte.]

---

(1) Scilicet *Theobaldo de Beauvoir*.

denarios novos Brundusii, cassatis tarenis novis Amalphiae (1), juxta arbitrium sex bonorum hominum uniuscujusque terrae ad hoc juratorum; et super hoc generales litteras mittit. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

ANNO 1223. — INDICTIONE 11.

Apud Prechinam, 9 januarii. Fridericus, Romanorum imperator, Honorio papae scribit quidquid Gonzolinus dapifer suus et Bertoldus filius quondam ducis Conradi in marchia Anconitana et ducatu Spoletano contra jura Ecclesiae Romanae fecerunt, id se nolente fuisse attentatum; nuntiatque se banna posita et juramenta recepta ab eisdem seu omnia mandata quae praesentibus contraria apparerent penitus evacuasse et irrita declarasse.

(Edidit Raynaldus, *Annal. ecclesiast.*, tom. I ad ann. 1222, § XXXI, ex regest. Honor., lib. VII, epist. 64.)

Sanctissimo patri domino suo Honorio Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus eadem gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie salutem et reverentiam tam debitam quam devotam. Cum super iis que Gonzolinus dapifer noster et Bertholdus filius quondam ducis Conradi ac eorum complices in marchia Anconitana et ducatu Spoletano fecerunt, ad nos magistrum Roffridum subdiaconum et

---

(1) Qui scilicet anno praecedente exeunte in hac urbe cusi fuerant. Anno autem 1225, denarii novi qui *imperiales* vocabantur cusi sunt Brundusii et veteres cassati sunt. Cf. Ricc. de S. Germ., *ibidem*.

notarium vestrum et litteras misissetis, statim dapifero ipsi sub pena gratie nostre scripsimus ut quecumque per ipsum et quoscumque alios facta essent nomine nostro in partibus supradictis, tanquam nobis nolentibus attentata non postponeret revocare. Quod cum non fecerit, ipso ad nostram presentiam veniente, nos indignati plurimum et turbati, quia nostris videbatur jussionibus illusisse ac aliquibus prestitisse materiam suspicandi quod contra litteras de revocatione illorum dapifero memorato directas mandatum aliud fecissemus, quod, testis est nobis Deus, in cor nostrum etiam non ascendit. . . . .
Nos enim banna posita, juramenta recepta et quecumque alia per dapiferum eumdem et alios nomine nostro in marchia et ducatu facta sunt, evacuamus et relaxamus omnino et universis de eisdem partibus ea mandamus non servare. Preterea ut nullus de cetero excusationis sit locus, si quod mandatum, si qua scripta vel nuntii nostro directi nomine presentibus contrarii apparerent, tam mandatum quam scripta et nuntios decernimus non valere. Cum satis jam perpendi valeat et cognosci quod facto vel verius presumptioni dapiferi supradicti et complicum suorum nequaquam consensimus, sed illud potius nimis graviter tulimus et moleste, ac in eodem simus solidati proposito ut nihil unquam velimus facere contra Romanam Ecclesiam, licet ab ipsa etiam provocati, ex quo ledi a nobis se reputet vel offendi, paternitati vestre supplicamus attente quatenus nos tanquam Ecclesie Romane filium devotissimum et sincere devotionis alumnum firmissime teneatis. Super omnia enim cupimus eos qui ante nos fuerunt quantumcumque Sedis apostolice devotos non solum imitari, sed etiam ampliori Ecclesie Romane devotione ac honorificentia superare.

Datum apud Prechinam, I die januarii, XI indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, universis per Anconitanam marchiam et per ducatum Spoletanum constitutis scribit se Gonzo- Apud Precinam, 1° januarii.

linum dapiferum suum ad summum pontificem misisse ut pro omnibus excessibus quos in partibus istis commisit satisfactionem congruam exhibeat; monetque ut cum banna posita et juramenta recepta relaxaverit, omnino summi pontificis seu legatorum ejus mandatis obediant.

(Ediderunt Marino Marini, *Nuovo esame dell' autenticità de' diplomi*, p. 120-123. — Compagnoni, *Memorie d'Osimo*, t. V, p. 47. — Catalanus, *De eccles. Firmana*, p. 354.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, Anconitanis, Firmanis, Auximanis, Camerinensibus, Aesinis, Humanensibus, Fanensibus, Pensauriensibus, Senogaliensibus, Forosimproniensibus, Callensibus, nobilibus et comunitatibus universis per Anconitanam marchiam et universis per ducatum Spoletanum constitutis gratiam suam et bonam voluntatem. Cum Gonzolino dapifero nostro qui preter mandatum et etiam conscientiam nostram ducatum Spoletanum et marchiam Anconitanam ingressus, juramenta recepit ab eorumdem locorum hominibus et non modicam pecunie quantitatem, ecclesie balivis amotis, suos instituens et non jurantes et pecuniam non solventes eidem banno supponens, mandaverimus sub obtentu gratie nostre ut hec omnia sine mora qualibet revocaret, reverentissimo patri nostro summo pontifici satisfactione prestita de commissis, idem Gonzolinus, sicut per litteras et nuntium ejusdem summi pontificis nobis innotuit, id exequi non curavit; propter quod tanto gravius sublimitatem nostram offendit quanto magis nostris videtur jussionibus illusisse. Cum igitur nulla ratione sustinere velimus quod mater nostra Romana Ecclesia, cui tenemur defendere ac conservare jus suum, per nos aut nostros vel leviter offendatur, veniente nuper ad presentiam nostram dapifero supradicto, eum ad apostolicam Sedem transmisimus de tanto satisfacturum excessu et circa universorum revocationem juxta beneplacitum ipsius summi pontificis processurum. Quare volumus et universitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatinus tanquam vassalli Sedis apostolice ac fideles Ecclesie

Romane legatis ac nuntiis plenius obedientes de cetero ac per omnia intendentes, aliis nequaquam admissis ex adverso se ingerentibus, sed repulsis, balivos omnes per nostros et maxime per predictum dapiferum et ejus filium sive per Bertuldum filium quondam ducis Conradi aut etiam per Conradum Gottipuldi et eorum complices seu per quoscumque alios nostro nomine institutos removeatis omnino, balivis per Ecclesiam ordinatis admissis, munitionibus ac aliis juribus hac occasione apostolice Sedi subtractis in integrum restitutis et excommunicatis propter hoc a domino papa, legatis et nuntiis suis, donec Romane Ecclesie plene satisfecerint, pro diffidatis habendis. Nos enim banna posita et juramenta recepta et quecumque alia per dapiferum eumdem et alios nomine nostro in Ducatu facta sunt evacuamus et relaxamus omnino; et vos ea penitus non servetis, scientes quod in presentia magistri Roffredi subdiaconi et notarii ac nuntii summi pontificis nobiles viros de Marchia, Fidessinum de Maione, Guillelmum de Massa et Gottipuldum nepotem Conradi abjurare fecimus sacramenta que nostro nomine prestiterunt, et quicquid per prefatum dapiferum et complices ejus nomine nostro factum est eis mandavimus non servare. Si quis igitur vestrum deinceps Ecclesie Romane in omnibus et per omnia obedire contempserit, indignationem nostram incurret et nos gratam habebimus penam quam dominus papa, legati ejus seu nuntii ex hoc duxerint imponendam. Ad hec si quod mandatum, si qua scripta vel nuntii nostro directi nomine presentibus litteris contrarii apparerent, tam mandatum quam scripta et nuntios decernimus non valere. Quare volumus et mandamus vobis ut uterque (*sic*) vestrum quod eis scribimus in ipsorum partibus studeat publicare.

Datum apud Precinam, I die mensis januarii, XI indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, universis notum facit quod cum ex sententia principum nullam auctoritatem thelonei in alicujus damnum praestare possit et comiti Gelrensi mandaverit ne

Apud Prechinam, 4 januarii.

ullum theloneum apud Arnheim, Osterbeck, Lobede vel ubicumque super Rhenum deinceps acciperet vel haberet, idemque comes mandatum suum contempserit homines ecclesiae Ultrajectensis de Daventria et Sallandia novis theloneis molestando, hoc eidem sub poena indignationis suae denuo prohibet.

(Edider. HEDA, *Hist. episc. Ultraj.*, p. 195. — GELEN, *De Engelberto*, p. 205. — MATTHAEUS, *De nobilit.*, p. 218. — BONDAM, *Charterboek*, t. I, p. 327. — LUNIG, *Cod. germ. diplomat.*, t. II, p. 1746.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Quia cum apud Franckenfort in curia solemniter indicta judicio presideremus, per principes qui ibidem aderant talis data fuit sententia et ab eisdem approbata quod nullam auctoritatem sive warandiam telonei in damnum vel prejudicium alicujus nostra prestare serenitas potuisset; quare cum de comite Gelrensi super teloneo quod se a nobis asseruit tenere, clamor conquerentium non modicus aures excellentie nostre pulsaverit, sub obtentu gratie nostre eidem comiti dedimus in mandatis ac penitus prohibuimus quod nullum teloneum apud Arnhem vel Oesterbeke seu Lobede vel in quocumque loco super Rhenum deinceps acciperet vel haberet, non obstante aliqua warandia quam se dixit habere nec aliquibus litteris obviantibus a nobis vel predecessoribus nostris impetratis, super his litteras apertas universis eas inspicientibus destinantes. Verum quia idem comes in his mandato et scripto nostro temere contraire presumens postmodum theloneum sibi prohibitum non solum extorquere, immo etiam, quod gravius est, in dispendium episcopi Trajectensis et ecclesie sue homines suos de Daventria et Sallandia novis teloneorum exactionibus apud Lobbeke (*sic*) presumpsit aggravare; nolentes igitur ut per violentiam comitis prefati episcopo jamdicto et ecclesie ipsius occasione premissi thelonei aliquod prejudicium fiat ulterius, litteras quas super inhibitione ejusdem telonei indulsimus confirmantes innovamus, ac iterato imperiali auctoritate warandiam telonei apud loca memorata

et in aliis locis super Rhenum sepedicto comiti contradicimus, et ne teloneum deinceps accipiat, penitus inhibemus. Si vero idem comes, quod non credimus, huic nostre contradictioni ac inhibitioni contrarius extiterit, ipsum etiam indignationem nostri culminis incurrisse et a gratia majestatis nostre exclusum penitus cognoscatis.

Actum apud Prechinam (*a*), pridie nonas januarii, XI indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, Gerardo comiti Gelrensi mandat quod, cum contra sententiam principum imperii ab episcopo Ultrajectensi theloneum apud Lobede et ab hominibus ejus de Daventria et Sallandia nova thelonea injuste extorqueat, ab his exactionibus sub poena indignationis suae omnino desistat. Apud Prechinam, 10 januarii.

(Edider. HEDA, *Hist. episc. Ultraject.*, p. 196. — GELEN, *De Engelb.*, p. 206. — MATTHAEUS, *De nobilit.*, p. 219. — BONDAM, *Charterboek*, t. I, p. 329.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, fideli suo G. comiti Gelrensi gratiam suam et omne bonum. Intelleximus quod tu post inhibitionem mandati nostri apud Franckenford in solemni curia sententialiter factam venerabilem Trajectensem episcopum dilectum consanguineum et principem nostrum et ecclesiam ipsius indebitis exactionibus telonei apud Lobbede et aliis gravaminibus multipliciter aggravas et molestas; immo, quod gravius est, ab hominibus castri sui Davantre et terre sue Sallandie de novo teloneum extorques in ipsius et ecclesie sue prejudicium et gravamen. Cum igitur ex officio commissi nobis regiminis ecclesiarum jura defendere tenemur ac conservare, fidelitati tue sub obtentu gratie nostre firmiter precipiendo mandamus quatenus ab hujusmodi exactionibus telonei et aliis gravaminibus que eidem

(*a*) Apud Hedam et caeteros, sed mendose, legitur *Brachman* et in altero documento *Brechman*.

episcopo et ecclesie sue hactenus irrogasti et adhuc inferre non formidas, omnino desistas, teloneum etiam maxime ad gravamen episcopi et hominum terre sue per te de novo institutum penitus abolendo; indubitanter sciturus quod si in hujusmodi mandati nostri executione iterato tibi facti [contra] tenorem litterarum quas super his omnibus eas inspicientibus de novo direximus, negligentem te gesseris, non solum majestatem nostram offendisse, sed a gratia nostra te scias penitus alienum.

Datum apud Prechinam, IV idus januarii, XI (*a*) indictione.

Apud Precinam, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, abbatem et conventum de Hirschau cum omnibus bonis ejus in protectione sua suscipit, possessiones et libertates ejus confirmat, jubetque ut nullus subadvocatus ibidem constituatur nisi quem abbas et conventus postulaverint sibi dari.

(Edid. Besold, *Docum. rediv. monast. Wurtemb.*, t. I, p. 555.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Decet imperialis magnificentie majestatem omnes Christi fideles in monasteriis et locis Deo dicatis eidem Domino militantes sub majestatis sue protectione recipere ac jura et bona ipsis collata sub defensionis sue munimine specialiter confovere. Hinc est igitur quod nos attendentes honestam vitam et religionem laudabilem venerabilis abbatis et conventus monasterii de Hirsawgia, fidelium nostrorum, pro salute quoque nostra ac remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, ipsos et successores suos ac idem monasterium cum omnibus bonis suis que in presenti juste tenet et possidet et que in antea justo titulo poterit adipisci sub protectione ac defensione nostra et im-

(*a*) Apud Hedam *X*, male.

perii recipimus speciali, confirmantes eidem abbati et conventui et eorum successoribus ac sepefato monasterio in perpetuum omnes possessiones, monasteria, obedientias, ecclesias, homines, molendina, silvas, nemora, aquas et aquarum ductus, libera pascua, omnes libertates et immunitates seu quecumque alia idem monasterium dono comitum vel baronum, collatione principum seu aliorum oblatione fidelium noscitur habuisse et quidquid aliud in antea justo titulo poterit adipisci; et hec omnia de abundanti imperialis eminentie munificentia eidem abbati et conventui ejusdem monasterii confirmamus, prout in privilegiis ab antecessoribus nostris eis indultis expressius continetur. Statuimus insuper et sanctimus quod postquam advocatia ejusdem monasterii ad manus nostras et Henrici illustris Romanorum regis carissimi filii nostri pervenerit, a manibus nostris et heredum nostrorum alienari vel distrahi nunquam possit, nec liceat nobis aut heredibus nostris in ipsa advocatia subadvocatum constituere nisi quem abbas et conventus ejusdem monasterii postulaverint sibi dari. Mandamus igitur et strictius inhibemus ne ulla omnino persona magna vel humilis, ecclesiastica vel secularis, abbatem vel conventum predictos ac successores eorum necnon et monasterium memoratum contra hanc protectionem, confirmationem et celsitudinis nostre statutum de predictis omnibus impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram et penam quingentarum marcharum argenti se noverit incursurum, medietatem camere nostre et reliquam medietatem parti predicti monasterii passe injuriam persolvendam. Ad hujus autem rei evidentiam et perpetuam firmitatem presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Berardus Panormitanus et Nicolaus Tarentinus archiepiscopi, Albertus Tridentinus et . . . Brixinensis episcopi, comes Conradus de Zolre, comes H. de Eberstein, comes H. de Dieze, Cono de Tüffen (*a*), Conradus et Ulricus fratres de Werda camerarii, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

(*a*) Ap. Besold *de Cust.*, male.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, mense januarii, undecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus tertio, regni vero Sicilie vicesimo quinto, feliciter. Amen.

Datum apud Precinam, anno, mense et indictione prescriptis.

Capuae, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum in Jerusalem renovat et confirmat privilegium a se ipso tunc rege quondam indultum, videlicet ut quicumque aliquid de bonis imperii possidet nomine feudi, id tanquam proprium memorato hospitali libere conferre valeat.

(Edit. ap. DUELLIUM, *Hist. ord. Teuton.*, append. n° 15. — (FEDER), *Unterricht von ballei*, etc., n° 4. — *Brandenb. usurpat. Gesch.*, p. 94, n° 44.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Excellentia imperialis exposcit ut sicut ceteris potestatis culmine preminemus, ita pietatis studio ceteris preeuntes omnibus prebeamus virtutis exemplum, maxime liberalitatis officium exercendo circa religionis augmentum et cultum divini nominis ampliandum. Ea propter ad universorum imperii nostri fidelium tam presentium quam futurorum notitiam volumus pervenire quod nos olim in Alemannia existentes ante susceptum imperii diadema (1), in presentia dilectorum principum, comitum, baronum et aliorum nostrorum fidelium subscriptorum et de consilio eorumdem, videlicet Sifridi Maguntini archiepiscopi apostolice Sedis legati, Theoderici Treverensis archiepiscopi, Hoardi Leodiensis, Ottonis Herbipolensis, Si-

(1) Vid. supra privilegium datum in castris prope Juliacum, 5 septemb. 1214.

fridi Augustensis episcoporum, Ulrici Sancti Galli, Conradi Laurissensis abbatum, Liupoldi Austrie et Styrie, Heinrici Brabantie et Lotharingie, Theobaldi inferioris Lotharingie, Bernhardi Carinthie, Ottonis Meranie ducum, Hermanni marchionis de Baden, Friderici fratris ejus, Ludewici comitis de Los, Rudolfi comitis de Habechesburg, Hugonis comitis palatini de Tuingen, Wilhelmi fratris ejus comitis de Giezen, Heinrici comitis de Nassowe, Friderici comitis de Cleberc, Gerhardi comitis de Renekke, Ludewici comitis de Cigenhagen, Heinrici comitis de Hostaden, Alberti comitis de Everstein, Siberti comitis de Werde, Heinrici comitis de Geminoponte, Friderici comitis de Liningen, Ulrici comitis de Eppan, Hartmanni comitis de Dilingen, Dietheri comitis de Catzenelenbogen, Heinrici comitis de Dietse, Conradi comitis Silvestris, Ruperti comitis Hirsuti, Godefridi comitis de Spanheim, Heinrici comitis de Sarwerden, Heinrici comitis de Vianden, Heinrici comitis de Salmen, Godefridi de Eppenstein, Heinrici de Isenburg, Gerlaci de Butingen, Hartradi de Merembere, Wernheri de Bonlandia imperialis aule dapiferi, Hildebrandi de Rechberc marscalci, Walteri de Schipfe pincerne, Ulrici de Mincenberc camerarii et aliorum quamplurium, in profectum et augmentum hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jherusalem concessimus ut quicumque aliquid de bonis imperii possideret nomine feodi, licenter ac libere quantum vellet ex eis hospitali predicto tanquam proprium conferre valeret. Nunc autem dilectus nobis in domino frater Hermannus magister hospitalis ejusdem in nostra presentia constitutus majestati nostre attentius supplicavit ut quod tunc, sicut supradictum est, memorato fecimus hospitali nunc in nostri sublimitate imperii concedere et confirmare eidem de nostra gratia dignaremur. Nos autem profectui et augmento hospitalis ejusdem eo amplius intendentes quo per ipsum sub cultu religionis et habitu fortius ad liberationem intenditur Terre Sancte in qua Salvator noster corporaliter misteria nostre redemptionis exhibuit, preter humanitatis officia que multipliciter impenduntur pauperibus et infirmis, in subsidium et augmentum hospitalis ipsius concedimus et in perpetuum confirmamus ut quicumque aliquid de bonis imperii possidet nomine feudi, licenter ac libere quantum voluerit ex eisdem tanquam proprium memorato conferre va-

leat hospitali; nosque id pro nobis et successoribus nostris in perpetuum ratum habemus et firmum et irrevocabile volumus permanere. Statuimus igitur et sub obtentu gratie nostre districte precipimus ne quis ipsum hospitale super hac nostra concessione et confirmatione molestare vel modo quolibet perturbare presumat; quod qui fecerit in sue temeritatis vindictam centum libras auri componat, dimidium camere nostre et dimidium prelibato hospitali passo injuriam et offensam. Ad cujus rei certam evidentiam hoc privilegium scribi et bulla aurea tipario majestatis nostre impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Berardus Panormitanus et Nicolaus Tarentinus archiepiscopi, Albertus Tridentinus, Bertholdus Brixinensis, Engelhardus Cicensis, Conradus Hildesemensis episcopus, Otto prepositus de Aquisgrano, Heinricus imperialis aule protonotarius, Diopuldus marchio de Vopurch, Raynaldus dux Spoleti, Sifridus comes de Vienne, Heinricus comes de Dietze, Heinricus comes de Waldeberc, Heinricus comes de Everstein, Bernhardus de Hurstemar, Cono de Tüffen, Wernerus de Bonlandia, Everhardus pincerna de Wintersteten, Arnoldus de Gemenec, Conradus de Dortmunde, Wilhelmus advocatus de Aquisgrano, Conradus et Ulricus fratres de Werda camerarii, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, mense januarii, indictione undecima, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus tertio, regni vero Sicilie vicesimo quinto, feliciter. Amen.

Datum Capue, anno, mense et indictione prescriptis.

Capuae, 1 februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium de Waldsassen cum omnibus bonis ejus praesentibus et futuris sub sua et imperii protectione suscipit.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 114, n° DCLXI, ex originali cujus sigillum cum filis periit. — Memoratum autem a BRUSCHIO, in *Monasteriologia*, p. 249, edit. 1682.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod nos attendentes honestam vitam et laudabilem conversationem venerabilis abbatis, conventus et monasterii de Waltsahsen, ipsum monasterium cum omnibus bonis suis stabilibus et mobilibus que nunc juste possident et in posterum, dante Domino, justis modis poterunt adipisci sub nostra et imperii protectione suscipimus, statuentes et imperiali edicto firmiter inhibentes ut de cetero nulla persona magna vel parva, ecclesiastica vel secularis, contra hujus nostre protectionis paginam dictum conventum et monasterium memoratum in aliquo molestare audeat vel presumat. Quicumque autem hoc attemptare presumpserit, iram et indignationem nostram se noverit graviter incursurum.

Data Capue, [anno] dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tercio, kalendis februarii, indictione XI.

Fridericus, Romanorum imperator, sententiam in curia sua latam publicat quod nemo officiatorum sine consensu principis substituere possit subofficiatum nec aliquid de rebus principis disponere. Capuae, 5 februarii.

(Edider. SCHEID, *Origin. Guelf.*, tom. III, p. 685, ex diplomat. Hildesh. MSS. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 249.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis imperii fidelibus hanc paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Constitutus in presentia nostra dilectus nobis imperii princeps dominus Conradus Hildensemensis episcopus sententiam imperialis curie nostre sibi postulavit edici super eo si officiatus aliquis prin-

cipis cujuscumque, dapifer videlicet, marescalcus, camerarius vel pincerna, posset principi domino suo ratione sui officii quemquam ponere subministrum vel aliquid de rebus ejus mobilibus vel immobilibus preter assensum ejusdem principis et ejus beneplacitum voluntatis ordinare. Super quo sententiam hanc imperialis curia nostra promulgavit quod nisi de assensu principis fuerit et ejus libera voluntate, nullus talium officiatorum subofficiatum quemquam talem domino suo dare potest, nec aliquid de rebus principis disponere preter ejus beneplacitum voluntatis.

Data est hec sententia assidentibus et assentientibus ipsi sententie hiis imperii nostri principibus: domino A. Magdeburgensi archiepiscopo, domino Wormatiensi, domino Verdunensi, domino Tridentino, domino Nuemburgensi, domino Brixi[n]ensi, domino Ymolensi, domino Brandenburgensi episcopis et domino abbate Morbacense; astantibus autem laicis ejusdem imperii nostri nobilibus et eidem sententie acclamantibus, marchione de Voburch, Henrico de Waldenberch pincerna memorati episcopi Hildensemensis, Heinrico de Everstein comitibus; ministerialibus autem imperii Guntzelino de Wolferbutle (*a*), Wernero de Bonland et quampluribus aliis, nobilibus et ministerialibus.

Datum Capue, anno Domini M. CC. XXIII, nonis februarii, indictione XI.

Apud [Capuam, [februarii.]

Anno imperii sui tertio, apud Capuam, praesentibus pluribus episcopis et magnatibus, [Fridericus] sancivit quod nullus praelatus ecclesiasticus possessiones ecclesiae cui praeest alienare vel infeodare potest perpetualiter ad haeredes infeodati, nisi sint praelati qui insignia sua de manu imperatoris suscipere et cum eo bellicae expeditionis gestare clipeum consueverunt. JOHANN. VICTOR. ap. BOEHMER., *Fontes*, t. I, p. 277.

(*a*) Scilicet de *Wolfenbüttel*.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat Petro episcopo Massiliensi chartam de jurisdictione et libertatibus mutuis cum rectoribus et populo civitatis vicecomitalis Massiliensis ab eodem episcopo factam, cujus tenor in privilegio imperiali transcribitur. Capuae, februario.

(Inedit. saltem sub hac forma, ex archiv. praefect. Massil., *Livre verd de l'Evêché*, fol. 1 verso, fol. 2 recto-verso. Instrumentum autem concordiae inter episcopum ex una parte et rectores civitatis ex altera initae reperitur cum notis chronologicis minus correcte expressis ap. MÉRY et GUINDON, *Hist. de la municipalité de Marseille*, t. I, p. 260 et seqq.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Ex consuetudine imperialis clemencie ecclesiarum et locorum venerabilium paci intendimus et quieti ut augustalis potentie communita presidio tam in se quam in rebus et tenimentis eorum et quiete presentium et securitate in posterum perfruantur. Inde est quod tu, Petre, venerabilis Massiliensis episcope, dilecte fidelis noster, ad nostram presentiam veniens chartam quamdam de jurisdictione et libertatibus et franchesiis a rectoribus et a populo civitatis vicecomitalis Massiliensis tibi et ecclesie Massiliensi ac successoribus tuis factam nostre curie ostendisti, supplicans humiliter et devote ut ipsam chartam confirmare tibi et ecclesie tue in perpetuum de nostra gratia dignaremur. Nos igitur supplicationes tuas tanquam favorabiles infra sacrarium exaudicionis nostre benignius admittentes, considerantes etiam puram fidem et devocionem sinceram quam erga majestatem nostram et imperium habere dignosceris laudabiliter et devote, cartam prefatam hic transpositam de verbo ad verbum cum originali diligentius perscrutatam approbantes, tibi et successoribus tuis et R. (1) preposito et ecclesie Massiliensi in perpetuum confirmamus; cujus tenor talis est:

(1) Scilicet *Raymundo Juliano*. Vid. infra p. 300 et 302.

In nomine Domini. Amen. Anno incarnationis ejusdem M° CC° XIX°, indictione VII, decimo kalendas februarii. Ut non possint in posterum attemptari calumpnia quae geruntur in nostris temporibus et quae solent memoria teneri, sciantque presentes et noscant posteri quod nos Petrus Dei gratia Massiliensis episcopus per nos et per omnes successores nostros et nos Raymundus Julianus Massiliensis ecclesie prepositus et ego Hugo sacristanus ejusdem ecclesie et ego Aldebertus ipsius ecclesie operarius et nos Bengarius, Rainaldus, Lambertus et Bernardus Massiliensis ecclesie supradicte canonici per nos et per omnes successores nostros singulos et universos, presentes aut futuros canonicos Massiliensis ecclesie, bona fide et sine dolo tam nomine nostro quam nomine supradicte ecclesie cognoscere faciamus vobis, Petro de Fonte, Bertrando Audroerio, Guilielmo Auriolo, Guillelmo de Castellana, Raimundo Caminali, Buardo Galibno, Petro Boneto Lungo, Bertrando Hugoleno, Imberto de Mura, Raimundo Abeilla balistario, rectoribus Massilie, recipientibus nomine vestro et nomine universitatis civitatis vicecomitalis Massiliensis, quod omnes cives et homines civitatis vicecomitalis Massilie tam presentes quam futuri, sive sint christiani, sarraceni et judei, possint ad omnem libitum suum vendere et negotiare et alia facere in civitate episcopali ecclesie Massiliensis et in ejusdem portu et portubus legitime. Sic homines civitatis episcopalis ecclesie in civitate vicecomitali Massilie et in ejusdem portu seu portubus possent ut potuerunt. At per nos et per omnes successores nostros singulos et universos, presentes et futuros canonicos Massilie ecclesie, concedimus vobis supranominatis rectoribus, recipientibus nomine vestro et nomine universitatis civitatis vicecomitalis Massilie, quod quotiens opus fuerit per necessitatem supravenientem ut fiat interdum in civitate vicecomitali Massiliensi ne bladum aut farina inde extrahatur, id fiat tam consilio episcopi Massiliensis in hoc tempore existentis ecclesie Massiliensis quam eorum qui pro tempore regent civitatem vicecomitalem. Si tali tempore homines civitatis vicecomitalis caperent bladum aut farinam quod aut que forsan extraheretur a civitate episcopali ecclesie Massiliensis (licet hoc facere non debent), ab hoc tamen excipietur episcopale bladum ecclesie Massi-

liensis et omnis generis granum quod semper arbitrio et voluntate episcopi Massiliensis per tempus existentis ecclesie Massiliensis extrahi per mare potuit et per terram ubicumque voluerint episcopi ecclesie Massiliensis sine aliquo impedimento et omni tempore introduci; similiter excipitur quod sine fraude ad opus omnium castrorum episcopi ecclesie Massiliensis et ad opus omnium castrorum civitatis vicecomitalis Massiliensis presentium et futurorum possit extrahi bladum et farina et omnis generis granum de civitate Massilia quod potuit per mare et per terram omni tempore introduci; si autem hoc dicitur in fraude fieri, posset purgari suspicio per sacramentum prestandum ab hominibus castellorum qui bladum extraherent supradictum seu farinam. Ast per nos et per omnes successores nostros singulos et universos, presentes et futuros canonicos Massiliensis ecclesie, promittimus vobis supranominatis rectoribus recipientibus nomine vestro et nomine universitatis civitatis vicecomitalis Massiliensis quod aliquem de hominibus aut habitatoribus civitatis vicecomitalis Massilie presentibus et futuris non gravabimus in possessionibus aut averis quas et que inventi fuerint habere in civitate episcopali ecclesie Massiliensis intus et extra in territorio ipsius, ut aliquid auferant per (pro) possessionibus aut averis quas et que inventi fuerint habere in vestra parte civitatis Massilie intus et extra in territorio vestro. Ast quotiens recipiendi fuerunt cives ad hoc ut sint franchi in civitate episcopali ecclesie Massiliensis et ejusdem portubus, sufficiat si jurent coram rectoribus Massilie qui per hoc tempus fuerint aut coram dominis civitatis vicecomitalis Massiliensis se stagiam facturos in perpetuum in civitate vicecomitali Massiliensi, qui cives possint per mare et per terram ubicumque voluerint nihilominus negotiari. Si autem sit questio de sacramento an sit prestitum an non, compleatur judicio rectorum predictorum aut dominorum vicecomitalis civitatis Massiliensis qui pro hoc tempore fuerint aut sigillo eorumdem, his salvis quod unicuique libertas competat seu facultas quod de civitate vicecomitali in episcopali civitate aut ecclesia Massiliensi possit mutare domicilium, de civitate episcopali aut ecclesia Massiliensi in civitatem vicecomitalem, quod omnes illi qui naturales aut indigene sunt et erunt de civitate episcopali aut ecclesia

Massiliensi aut de civitate vicecomitali habeant predictas franchisias, et omnes illi qui cum aliis personis sicut cum dominis suis tanquam mercenarii habitant aut in antea habitabunt cibum sequentes, habeant predictas franchisias ita tunc quod bona fide et sine fraude omnia ista fiant. Hec forma observetur in civitate episcopali ecclesie Massiliensis in recipiendis civibus, ad hoc ut habeant franchesias in civitate vicecomitali Massiliensi quas alii cives episcopalis civitatis et ecclesie Massiliensis habebunt. Ast consuetudo hactenus approbata similiter de cetero observetur, videlicet quod si aliquis de civitate vicecomitali in civitate episcopali aut ecclesia Massiliensi deliquerit aut quasi, contraxerit aut quasi, teneatur respondere in curia et curiis civitatis vicecomitalis, ita quod non compellatur respondere in curia civitatis episcopalis aut ecclesie nisi in spiritualibus. At idem observetur quod si aliquis de civitate episcopali aut ecclesia Massiliensi in civitate vicecomitali deliquerit aut quasi, contraxerit aut quasi, teneatur respondere in curia episcopali aut ecclesie, ita quod non compellatur respondere in curia aut in curiis vicecomitalis civitatis. Ita quod si, post citationem a judice aut a curia factam aut querimoniam de eo positam coram curia aut judice, a vicecomitali civitate ad episcopalem civitatem aut ecclesiam Massiliensem se transtulerit, teneatur inde respondere et compellatur coram judice aut curia sub quibus primum morabatur et sub quo aut quibus tenebatur respondere. Predicta omnia et singula rata erunt per nos et per omnes successores nostros universos et singulos, presentes et futuros Massiliensis ecclesie canonicos.

Nos per Dei gratiam Massiliensis episcopus et nos Raymundus Julianus prepositus, Guillelmus (*sic*) sacristanus, Adalbertus operarius Massiliensis ecclesie, et nos Bengarius, Rainaldus, Lambertus, Massiliensis ecclesie canonici, observare predicta omnia et adimplere et non venire vobis supranominatis rectoribus, recipientibus nomine vestro et nomine universitatis civitatis vicecomitalis Massilie et singulorum de universitate eadem presentium et futurorum, promittimus. Si autem jure scripto aut non scripto, legali aut canonico aut consuetudinario contra predicta agere possimus, generaliter et specialiter ex certa scientia renunciamus tam nomine

nostro quam ecclesie Massiliensis, specialiter renuntiantes beneficio restitutionis in integrum, confitentes predicta omnia et singula facta pro utilitate ecclesie episcopalis Massiliensis; et de his omnibus mandamus dua aut presentia publica instrumenta bulle nostre munimine singula roborari.

Actum est hoc in ecclesia Sancte Marie de Accuis (1), in presentia et testimonio Girardi Peleti, Girardi Arnaldi, Albini de Vintimilio, Petri Bonifacii, Guidonis Dalmatii, Bertrandi Dalmatii, Bremundi de Mazalgis, Bertrandi Berardi, Januarii Guillelmi de Bellomonte, Rostagni et Petri de Malcone notariorum, et mei Gauterii scriptoris publici notarii Massiliensis, qui mandato et rogatu domini prefati [episcopi] et domini prepositi et domini sacristani et aliorum canonicorum supranominatorum et predictorum rectorum universitatis predicte hanc chartam scripsi et signo meo signavi.

Ad hujus autem nostre confirmationis memoriam et robur in perpetuum valiturum presentem cartam scribi et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Capue, anno dominice incarnationis M° CC° vicesimo tertio, mense februarii, undecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus tertio, regni vero Sicilie vicesimo quinto, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sanctae Mariae Montis Virginis confirmat omnia quae ex concessione comitum et baronum Gisualdi nec non et baronum Petrae Pulcinae eidem in- In civitate Capuae, februario.

---

(1) Hodie dicta *Notre-Dame-des-Accoules*.

dulta fuerunt, et clausulam *salvo mandato et ordinatione nostra* a praesenti privilegio removet.

(Inedit. in archiv. monast. Montis Virg., ex Regest. Jannuzii, fol. 155 verso. — Transcribitur quoque et inseritur in alio instrumento mensis julii, anni 1234, prime (legendum *septime*) indictionis, quo Ugo de Ciliberto Frequentine civitatis et Gisualdi dominus pollicetur se non ab inde turbaturum abbatiam in libera possessione Pesci de Morra et pertinentiarum ejus. *Arch. ibid,,* vol. VIII, n° 72, origin.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Etsi omnia caduca sunt hominum et diuturnitate temporum labuntur, sunt tamen ex hominibus aliqua perpetue stabilitati connexa, illa videlicet que divinis addita cultibus funiculum hereditatis. . . . . homines ampliant, tunc precipue cum loca venerabilia in quibus placens religio Domino militat imperialis protectionis favore muniuntur. Hac igitur nos ducti consideratione laudabili, diligentius attendentes honestam religionem et laudabilis vite conversationem Johannis venerabilis abbatis et conventus monasterii Sancte Marie Montis Virginis, fidelium nostrorum, concedimus et in perpetuum confirmamus eidem monasterio omnia que ex concessione comitum et baronum Gisualdi nec non et baronum Petre Pulcine seu titulo emptionis vel intuitu pietatis dicto monasterio indulta sunt et donata, de quibus propriis vocabulis quedam duximus exprimenda : scilicet Pescum de Morra cum ecclesia Sancti Angeli ibi constructa et obedientiam Sancti Clerici de Paterno nec non et obedientiam Sancti Marci de Petra Pulcina cum suis tenimentis et omnibus eorum pertinentiis, que dictum monasterium nunc tenet et juste possidet; precipientes igitur universis quatinus nullus de cetero sit tam ausus qui super predictis omnibus dictum monasterium impedire in aliquo vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostre majestatis se noverit incursurum. Et licet in quibuslibet privilegiis nostris illam clausulam jubeamus apponi qua dicitur salvo mandato et ordinatione nostra, ab hujusmodi autem privilegio de munificentia nostre benignitatis precipimus removendam. Ad

hujus autem concessionis nostre memoriam et perpetuam firmitatem presens privilegium scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense, indictione subscriptis.

Datum in civitate Capue, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tercio, mense februarii, undecima indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Ottonis praepositi ecclesiae Sancti Servatii Trajectensis, innovat, confirmat et inserit privilegium Henrici quinti regis Romanorum, quo ecclesiam Lodenaken sitam in pago Hasbaniae huic ecclesiae idem rex delegavit et remisit. Capuae, februario.

(Inedit. ex chartul. MSS. Sancti Servatii in Biblioth. Paris., tom. I, f. 26-27, et t. III, f. 106 recto. In codice memoratur sigillum privilegii originalis ex alba cera cum filis sericis rubri coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Justis supplicantium desideriis imperialem decet clementiam benigne annuere et ea que a rationis semita non deviant effectu prosequente complere. Eapropter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod Otto prepositus ecclesie Sancti Servatii nomine ipsius ecclesie et canonicorum quoddam privilegium Henrici quinti Romanorum regis predecessoris nostri felicis memorie indultum videlicet predicte ecclesie Sancti Servatii ad petitionem Adelberti quondam ipsius ecclesie prepositi et cancellarii sui, nostre celsitudini presentavit, supplicans humiliter ut illud dignaremur sibi et ecclesie predicte de imperiali gratia innovare; tenor cujus privilegii talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus quintus Dei gratia Romanorum rex. Notum facimus omnibus fidelibus tam futuris quam presentibus qualiter nos pro eterno anime nostre remedio et pro statu

temporalis nostri regni, petitione fidelis nostri Adelberti prepositi ecclesie Sancti Servatii et cancellarii nostri, ecclesiam existentem in villa que dicitur Lodenalium (*a*) sitam in pago Asbanie in episcopatu Leodiensi in comitatu comitis Arnulfi de Los ex proprietate predicti sancti ad singularem usum servitii nostri pertinentem fratribus ipsius sancti ad singularem usum suum remisimus, et per manum comitis Hermanni de Obinzemburch ad usum ipsorum fratrum firma traditione delegavimus. Hanc autem predicte ecclesie delegationem hac lege et hoc jure fecimus ut terra quecumque ad dotium ecclesie pertineat, sicut et dominicales mansi curtis in Lodenalium que ad nostram servitutem pertinet, liberam communionem habeant in exitibus et redditibus, pascuis, silvis, aquis et in omnibus usibus; advocatiam quoque soli preposito, investituram autem prebende presbiteri si mortuus fuerit et omnem reliquum usum ipsius ecclesie tantum decano et fratribus conscripsimus. Et ne lis et controversia fratribus postmodum de traditione ipsius ecclesie contingere possit, de manu comitis Bertolfi de Han qui eamdem ecclesiam in beneficio prius habuit cum legali astipulatione in manum nostram et potestatem recepimus, sicque eam receptam per manum comitis Hermanni de Obinzemburch legaliter delegavimus. Ipsi autem fratres ex habundantia caritatis sue quia clementer erga eos fecimus rationes suas nobis statuerunt, saltem in die ordinationis regni nostri annuatim quamdiu vixerimus missas celebrent et ipsa die duodecim pauperibus elemosinas suas erogent; post obitum vero nostrum in anniversario nostro cum predicta pauperum elemosina missas fidelium defunctorum.

Nos itaque supplicationi ipsius prepositi fidelis nostri benignitate solita inclinati, predictum privilegium de verbo ad verbum, sicut superius legitur, duximus innovandum preposito et ecclesie memoratis et auctoritate imperiali perpetuo confirmandum, statuentes et imperiali sanctione firmiter inhibentes ut de cetero nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictam ecclesiam, prepositum et fratres ejusdem contra hoc nostrum indultum de predictis suis super predictis molestare, inquie-

(*a*) Sic, sed recte *Lodenaken*.

tare vel modo aliquo perturbare audeat vel presumat. Quicumque autem hoc attemptare presumpserit, indignationem nostram et penam centum librarum auri se noverit incursurum, medietas cujus nostre camere et alia medietas patientibus injuriam tribuatur. Ad cujus rei certitudinem et inviolabile firmamentum presens privilegium scribi et nostre majestatis sigillo inferius jussimus roborari.

Cujus rei testes sunt Albertus Madeburgensis archiepiscopus, Engelardus Cicensis, Gerlandus Blandeburgensis, Conradus Ildeshemensis, Bertholdus Brixinensis, Albertus Tridentinus, Enricus Warmatiensis episcopi, Ugo abbas Morbacensis, Diupoldus marchio de Fohenburch, Rainaldus dux Spoleti, Henricus comes de Heberstein, Sifridus comes de Vienna, Olricus comes de Ultimis, Warnerus de Bolanda, et alii quamplures principes et magnates.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia Romanorum imperatoris invictissimi, [semper] augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Actum est hoc anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense februario, indictione undecima, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia Romanorum imperatore augusto et rege Sicilie, anno imperii ejus tertio, regni vero vigesimo quinto, feliciter. Amen.

Datum Capue, anno, mense et indictione supradictis.

Fridericus, Romanorum imperator, ecclesiae Sancti Servatii Trajectensi concedit et donat perpetuo possidendam quamdam aream sitam prope ecclesiam memoratam, nullis imperii usibus deputatam, cum parietibus si quae adhuc ibidem eminent. Capuae, februario.

(Inedit ex chartul. MSS. S. Servatii in Biblioth. reg. Paris., tom. II, f. 42 verso et f. 147 recto, et t. III, f. 6. Extat quoque in *Mästrichter chartular*, ap. Hagam Comitis, fol. 18.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris presentem paginam inspecturis gratiam suam et omne bonum. Quoniam ecclesia beati Servatii in Trajecto ex predecessorum nostrorum divorum augustorum munificentia magnifice dotata est et honorifice decorata, nos ex innata et speciali quadam prerogativa ipsam nostre serenitatis brachiis amplexantes, ad ipsius promotionem et augmentum, ob reverentiam omnipotentis Dei et beati Servatii, pio desiderio majestatis nostre clementiam intentam esse volumus et benignam. Sane cum in oppido Trajectensi quedam sit area sita quidem prope ecclesiam memoratam, ab antiquo usque ad hec nostra tempora inutilis penitus et despecta, nullisque imperii usibus deputata hactenus, que loci ex vicinitate deformitatem potius memorate ecclesie videtur ingerere quam commodum aliquod ministrare, ut decorem domus Domini diligenter comprobemus, pretaxatam aream cum parietibus si que adhuc ibidem eminent fratribus Deo et beato Servatio ibidem patrono die noctuque famulantibus ad omnem utilitatem et commodum eorumdem auctoritate imperiali contulimus [et] donavimus habendam et pleno jure perpetuo possidendam. Statuimus igitur et imperiali edicto firmiter inhibemus ut de cetero nulla unquam persona magna vel parva, ecclesiastica [vel civilis], predictam ecclesiam et fratres ipsius de prefata area contra hujus nostre donationis paginam inquietare vel modo aliquo molestare presumat. Quicumque autem hoc attemptare presumpserit, indignationem nostram se noverit graviter incursurum et pro sue presumptionis pena quinquaginta libras auri compositurum, medietatem quidem fisco nostro, aliam medietatem ecclesie memorate. Ad cujus rei certitudinem et inviolabile firmamentum presentem paginam scribi et sigillo nostre celsitudinis inferius jussimus roborari.

Datum Capue, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXIII°, mense februarii, indictione undecima.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Alberti Magdeburgensis archiepiscopi et imperii legati, ecclesiae Sanctae Mariae in Portu Ravennati omnia bona ac privilegia confirmat et nova insuper addit. Apud Capuam, februario.

(Ediderunt MURATORI, *Antiquit. Italic.*, tom. II, p. 65. — FANTUZZI, *Monum. Ravenn.*, tom. II, p. 193 et seqq., n° CIII, ex arch. Portuensi, capsa A, num. 12.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Transitorii regni dignitas et imperialis potestas ac sublimitas ad hoc potissimum ab omnium regum domino nobis concessa est ut suos milites quos Christi, quos propria voluntas propter amorem Dei omnipotentis inopes facit existere atque in presenti seculo abjectos remanere, attentius debeamus defendere et sub nostra imperiali protectione congruis honoribus refovere. Hoc etenim si fecerimus, cum regnum terrenum transeundo defecerit, celestis et indeficientis regni culmina procul dubio sublimiter obtinere non ambigimus. Quo circa omnium Jesu Christi redemptoris fidelium (*a*) noverit industria qualiter nos, in interventu et petitione venerabilis ac dilecti principis nostri Alberti sancte Magdeburgensis ecclesie archiepiscopi tunc imperii sacri legati, ecclesiam videlicet Sancte Marie in Portu cum omnibus suis obedientiis ad instar dive memorie avi nostri Friderici Romanorum imperatoris augusti, quod ipsius privilegio eidem ecclesie concesso solempniter declaratur, sub nostre auctoritatis defensione et imperialis dignitatis tuitione et mundiburdio suscepimus. Statuentes ut quascumque possessiones seu jura possessa, quecumque bona in presentiarum possidet aut in futurum largitione imperatorum aut regum, concessione pontificum, principum, marchionum, oblatione alio-

(*a*) Ap. Muratori *omnium Christi regnique fidelium.*

rum quorumlibet fidelium seu aliis quibuslibet justis et legitimis modis poterit adipisci, nostra imperiali auctoritate confirmata ac corroborata usibus memorate ecclesie et fratribus ibidem Deo pro tempore famulantibus proficiant; ex quibus quedam propriis duximus exprimenda vocabulis : insulam scilicet in qua ipsa ecclesia fundata est que est juxta litus maris et aliam insulam que est posita juxta flumen Bidentis, primum latus Bidens, secundum latus Badarenus (*a*), tertium latus Classitellus descendens a via que est juxta murellos de civitate Classis in eodem Badareno, quartum latus eadem via usque ad portum Cesaris, quintum latus a portu Cesaris usque in Bidentem et locum qui vocatur Corrigiolus (*b*) cum terris, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, piscationibus, viis, inviis et omnibus sibi pertinentibus; silvam quam habent in comitatu Comaclensi ab episcopo et communi terre et quidquid acquisierunt ab abbate Sancti Andree ex partibus Istrie sive in Bagnacaballo (*c*) sive in aliis locis et quidquid habent apud Gatulam; quidquid etiam habent in civitate Ravenne et in ejus exarcatu, territorio Cesene, Cervie, Faventie, Popiliensi, Imolensi, Liviensi, Ariminensi, Pesauriensi, Fanensi, Senogalliensi et in monte de Cruce a Federico et Guarnerio marchionibus seu ab aliis, Ferrariensi, Bononiensi, Mantuano, Paduano tam in civitatibus quam in earum episcopatibus seu in quibuslibet aliis locis, cum domibus, terris, casis, silvis, vineis, pascuis, canectis, aquis, paludibus, piscationibus, viis, inviis et omnibus sibi pertinentibus. Addimus etiam et imperiali beneficio perpetuo dono concedimus ut sit libera facultas hominibus Sancte Marie in Portu omnibus temporibus de silvis Medicine ligna pro restauratione domorum suarum et necessitate ignis accipere, quotiescumque voluerint, sine omni hominum contradictione. Preterea concedimus et imperiali auctoritate decernimus ut supradicte ecclesie fratres habeant facultatem liberam a quolibet adipiscendi possessiones et recuperandi : videlicet si possessiones quoquo modo pertinentes ab aliquo vel aliquibus injuste detineantur, et tertio a fratribus vel ab aliis ex nomine sepe dicte ecclesie vel etiam uno pe-

(*a*) Ap. Muratori *Badalenum.*
(*b*) Ap. Muratori *Cirigolus.*
(*c*) Ap. Fantuzzi *banno Caballo,* male.

remptorio (a) edicto a nostro judice commonitus, si justitiam facere noluerit, liceat fratribus ecclesie ejusdem imperiali privilegio munitis cum omni justitia et jure nulla lege contradicente ipsas ingredi possessiones. Insuper indulgemus et imperiali edicto statuimus ut nulla prescriptio nisi centum annorum eis opponatur. Ad hec decernimus et imperiali lege irretractabiliter sancimus ut nulli clerici, nulli laici (b) Sancte Marie in Portu neque cujuscumque sue obedientie per se aut per suos advocatos, sindicos vel yconomos de cetero in quacumque controversia jusjurandum compellantur aliqua ratione subire, sed nostra imperiali lege ab omni juramento omnes perpetuo immunes existant, non obstante lege de jurejurando edita qua cavetur sacramentum calumnie debere prestari et non posse remitti, sed ipsa ecclesia cum suis obedientiis ab omni infestatione seu molestia immunis existens nec civitati nec alicui potestati collectas, fodrum, albergariam persolvat sive ad muniendam civitatem seu ad castrum edificandum, sed nec pro adventu imperiali vel regali vel etiam alicujus principis nulla denique gravamina alicujus occasionis obtentu sentiat, nec in tota insula in qua est ecclesia neque in toto portu persona aliqua capiatur nec res alicujus violenter auferantur, prout circumdantur a fluminibus Candiano scilicet, Bidente (c), Badareno et mari, nec in ipsorum littoribus nec infra mare seu a litoribus fluminum ad unum milliarium. Preterea ex nostra gratia speciali hoc indulgendum duximus fratribus antedictis ut fructus possessionum suarum in quocumque loco, civitatibus, castris vel villis ad ecclesiam suam vel quocumque voluerint sine omni datione et sacramenti prestatione libere deferant et secure, non obstante civitatis alicujus jurisdictione, privilegio vel statuto. Hec autem omnia sepedicte ecclesie et suis ecclesiis et fratribus ibidem Deo pro tempore servientibus, omni contradictione prorsus remota, usibus proficere eternaliter statuentes, imperiali auctoritate jubemus et sub pena centum librarum auri purissimi jubemus ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, capitaneus, vavassor, consul,

(a) Ap. Muratori *vel jam dicto peremptorio*, male.
(b) Ap. Muratori additur *canonice*.
(c) Ap. Muratori *Isidento*, male.

rector seu aliqua civitas vel potestas nullaque nostri regni magna seu privata persona de iis omnibus aliquid infringere vel diminuere presumat. Et si quis, quod absit, presumpserit contraire, imperiali banno subjaceat et centum libras auri purissimi componat, medietatem camere nostre et alteram partem sepedicte ecclesie persolvat. Quod ut ratum et inconvulsum omni tempore in posterum permaneat presentem paginam sigilli nostri impressione jussimus communiri, adhibitis testibus quorum nomina hec sunt :

Rodulphus patriarcha Hierosolymitanus (1), Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Berardus Panormitanus archiepiscopus, Albertus Tridentinus episcopus, Bertholdus Brixinensis episcopus, Henricus Warmaciensis episcopus, Conradus Hildesemensis episcopus, Engelardus Nuembergensis (*a*) episcopus, Gernandus Brandenburgensis episcopus, Mainardus Imolensis episcopus, Johannes rex Ierosolymitanus, Robertus magister templi Hierosolymitani (2), comes Henricus de Everstein (*b*), comes Guido de Modigliana, comes Taddeus de Carpigna, Guillielmus marchio Montisferrati, Diopuldus marchio de Vohburg (*c*), comes Taddeus de Montefeltro.

(*a*) Ap. Fantuzzi *Middembergensis*, male; et ap. Muratori *Hiwembernensis*, pessime.

(*b*) Ap. Muratori *de Enester*, male.

(*c*) Ap. Muratori *Dropindus marchio de Vobur*, et ap. Fantuzzi *Dyonisius marchio de Uobver;* ambo male.

---

(1) Ex isto testimonio patet majorem in hac re fidem P. Lequien quam Bollandistis adhibendam esse, quum prior Rodulphum post Lotharium patriarcham collocet ejusque vitam usque in annum 1225 producat.

(2) Cum autem Petrus de Monte Acuto tunc temporis fuerit magister Templi, nil dubium quin sit corruptus iste locus. Legendum forsan censemus *preceptor* vice verbi *magister*, cum ex litteris Honorii discamus praeceptorem Templi conventui apud Ferentinum adfuisse. Fragmentum ineditum addimus ex quadam Guillelmi Tyrensis continuatione (Cod. 8316 Biblioth. Paris., fol. 389 verso) : « Et lors li empereres . . . . . envoia IIII galies a Acre pour amener ceus » que nous avons dit. Li rois Jehan establi la terre le miex que il pot, selon la povreté en quoi » elle estoit et mist en son lieu le connestable Oeude de Montbliart et passa en ses galies lui » et li legas et le maistre de l'Ospital frere Garin de Montagu. Et frere Pierre de Montagu cui » estoit maistres dou Temple ni vault aler; mais il y envoia un prodomme de ses freres en son » lieu qui avoit non frere Guillaume Cadel. Il ariverent en Puille au port de Brandis. Li empe» reres envoia contre eaus et les fist moult honnorer et lor envoia grand plente de chevaus et » lor fist faire lor despens moult richement, etc. »

Signum domini Federici secundi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie invictissimi. (*Monogramma.*)

Hec acta sunt apud Capuam, anno dominice incarnationis MCCXXIII, et tertio anno imperii ejus, mense februarii, indictione XI.

Fridericus, Romanorum imperator, Johanni abbati monasterii Sanctae Mariae Montis Virginis restituit et confirmat generaliter quaedam privilegia a parentibus suis eidem monasterio indulta et sibi ab eodem monasterio juxta mandatum in curia Capuana noviter promulgatum resignata, super libertatibus et immunitatibus ejusdem ecclesiae. Apud Sanctum Germanum, februario.

(Inedit. in arch. monast. Mont. Virg., vol. VIII, n° 63 ex transumpto originali 6 febr. 1225, quo Nicolaus et Ypolitus judices Petrae Sturninae ad querelam Rogerii de Caprilia Montis Virginis monachi ab abbate delegati, auditis depositionibus testium, pronuntiant quod dicta ecclesia percipiat pacifice et quiete redditus quos habet in demanio imperiali Roccae de Guasserano et in pertinentiis Petrae Sturninae. — Adest aliud transumptum anni 1239, *ibid.*, n° 76, et etiam copia privilegii in pergam., *ibid.*, n° 57.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod post solemnem curiam nostram noviter Capue celebratam, ubi inter cetera que generaliter statuimus observanda, privilegia omnia ab obitu regis Guilielmi bone memorie facta resignari precepimus coram nobis, Johannes venerabilis abbas monasterii Sancte Marie Montis Virginis juxta generale mandatum nostrum quedam privilegia imperatoris et imperatricis felicis recordationis parentum nostrorum nostre curie resignavit; per que iidem augusti recipiebant dictum monasterium et omnia bona ipsius sub speciali protectione et defensione sua, confirmantes eidem monasterio omnes possessiones

suas, tenimenta, mobilia et immobilia universa, libertates etiam per totum imperium et regnum Sicilie nec non et castrum Mercolianum cum justis tenimentis et pertinentiis suis, et pascua libera per regnum et imperium pro animalibus suis, et ut idem monasterium et homines ejus a collectis, datiis, plateatico et omnibus exactionibus aliisque gravaminibus penitus essent immunes. Unde predictus abbas et conventus supplicaverunt instanter celsitudini nostre ut predicta omnia et quecumque in privilegiis continebantur, predictis restitutis sibi privilegiis ipsis, eidem monasterio concedere et confirmare perpetuo dignaremur. Verum cum pia nostre mentis intentio opera nobis suadeat pietatis et ad id precipue summa voti nostri se porrigat ut retribuamus aliquid Domino pro hiis omnibus que retribuit ipse nobis, nos considerantes sacram religionem, vitam laudabilem et honestam abbatis et conventus monasterii antedicti, pro reverentia Regine virginum ad cujus honorem et laudem idem monasterium est constructum et pro salute principaliter nostra et pro remedio animarum felicium augustorum parentum nostrorum memorie recolende, predictum abbatem, monachos, conversos et successores eorum ipsumque monasterium cum omnibus hominibus, obedientiis, justitiis, tenimentis et pertinentiis suis sub speciali nostra protectione et defensione recipimus; et restitutis eidem abbati et conventui privilegiis supradictis, concedimus et perpetuo confirmamus eidem monasterio quecumque in privilegiis illis imperatoris et imperatricis parentum nostrorum apertius continentur; auctoritate presentis scripti precipientes firmiter universis quatenus nullus de cetero sit tam ausus qui super predictis omnibus ipsum monasterium impedire in aliquo vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Preterea, licet in quibuslibet privilegiis nostris illam clausulam jubeamus apponi que dicitur salvo mandato et ordinatione nostra, ab hujusmodi nostro privilegio de benignitatis nostre gratia precepimus amovendam. Ad hujus igitur concessionis, confirmationis et protectionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum apud Sanctum Germanum, anno dominice incarnationis mille-

simo ducentesimo vigesimo tercio, mense februarii, undecime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Petrum episcopum Bibinensem (Bovino) et ecclesiam ejus in sua speciali protectione recipit, eique restituit et confirmat privilegia regis Rogerii, Roberti comitis Loretelli et regis Guillelmi secundi, quae juxta mandatum in curia Capuana promulgatum de resignandis privilegiis sibi resignaverat. Apud Sanctum Germanum, februario.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. VIII, p. 260.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod post solemnem curiam nostram noviter Capue celebratam, ubi inter cetera que generaliter statuimus observanda, privilegia omnia ab obitu regis Gulielmi et ejus tempore bone memorie ab eo facta vel ab alio quocumque resignari precepimus coram nobis, Petrus Dei gratia Bibinensis episcopus juxta generale mandatum nostrum quoddam privilegium regis Rogerii de concessione ecclesie Sancti Petri in Sandore ab eo facta cum territorio et pertinentiis suis, eorum finibus limitatis positis in territorio montis Ylaris, et quoddam aliud privilegium Roberti quondam comitis palatini Loretelli nostre curie resignavit, continens dictum comitem ad Dei honorem et beate Marie Virginis laudem et quod Deus conservet vitam regis Gulielmi, pro anima patris et matris sue dedisse atque donasse venerabili patri domino Gisoni presuli Bibinensi nomine et pro parte Sancte Marie Bibinensis ecclesie et ipsi ecclesie, in qua suam elegerat sepulturam, casale Sancti Petri in Drugazano paucis hominibus habitatum et quedam alia inhabitata seu destructa et casale Balnei, casale castelli de Sclavis, casale dompni Leonis, casale Sancte Marie in Ebula posita in territorio et pertinentiis civitatis

Bibini eorum finibus limitata, et medietatem platee dicte civitatis Bibini intus in ea et ejus circuitum ad duo milliaria omnium rerum venalium que ab extraneis ementur et vendentur ibidem, necnon casale Sancte Marie de Sabuceto cum ejus finibus, sicut in predicti comitis privilegio continetur (1), illa adjecta conditione quod dicta Bibinensis ecclesia, maxima paupertate oppressa qua vix poterant divina officia celebrari, predicta omnia casalia in capite teneat et possideat immediate et quod pro his nullum futurum dominum Bibini assecuret ejus episcopus, sed generaliter dominum qui dominabitur toti regno, libera etiam et absoluta ab omni personali servitio et reali, necnon rectam decimam bajulationis terre Bibini et aliarum omnium diocesis ejusdem quarum nomina dicto privilegio continentur (2), et quoddam aliud confirmationis regis Gulielmi recolende memorie aurea bulla et ejus munitum (*a*) signaculo, quo idem rex predicta omnia summarie repetendo et alia predictis privilegiis contenta de speciali gratia confirmabat. Unde predictus episcopus nostre celsitudini supplicavit ut ipsum, successores ejus et ecclesiam sub protectione et defensione nostra recipere et predicta omnia quecumque in privilegiis predictis continebantur expresse, restitutis privilegiis ipsis eidem, de solita benignitatis nostre gratia acceptare, concedere et confirmare perpetuo dignaremur. Verum cum pia nostre mentis intentio opera nobis suadeat pietatis et ad id precipue summa voti nostri se porrigat ut retribuamus Deo aliquid pro iis que retribuit ipse nobis, nos autem considerantes sacra et divina obsequia que in ipsa ecclesia celebrantur, pro reverentia Regine virginis, salute principaliter nostra et remissionibus animarum felicium (*b*) regum parentum nostrorum recolende memorie, predictum Bibinensem episcopum ejusque successores ac ipsam ecclesiam

(*a*) In impresso *munitionis*, male.
(*b*) In impresso *fraterlitium*, pessime.

---

(1) Memorantur quoque in privilegio Willelmi secundi, dat. Panormi, ann. 1184, mense madii. Cf. Ughelli, *ibid.*, p. 257.

(2) Privilegium autem Roberti actum est Draconariae, anno 1118 (1178), indictione XI. Cf. *ibid.*, p. 255.

cum omnibus hominibus, casalibus predictis, justis tenimentis, libertatibus et juribus omnibus et rationibus suis sub speciali protectione et defensione nostra recipimus, et restitutis eidem privilegiis supradictis, de nostra speciali gratia et recta sententia acceptamus, concedimus et perpetuo confirmamus predicte Bibinensi ecclesie omnia quecumque in privilegiis predictis plenius et apertius continentur; auctoritate presentis scripti mandantes firmiter universis quatenus nullus de cetero sit tam ausus (a) qui super predictis dictam Bibinensem ecclesiam, episcopum et successores ejus impedire vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum et penam in predictis privilegiis comprehensam. Ad hujus acceptationis, concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens scriptum scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Data apud Sanctum Germanum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, mense februarii, undecime indictionis.

Conradus Hildesemensis episcopus ministerialibus ecclesiae suae scribit quomodo moram suam protulerit expectando diem quo Papa cum cardinalibus et imperator cum rege et patriarcha Jerosolymitano caeterisque principibus invicem occurrent, de successu Terrae Sanctae et pace generali tractaturi. Apud Sanctum Germanum, 18 februarii.

(Edidit H. SUDENDORF, *Merkwurdige Urkunden für die Deuts. Gesch.*, erst. Theil, p. 87, n° XLI ex *Diplomatario Hildeshem. manuscr.* hactenus inedito; perperam autem ad ann. 1225 hanc epistolam collocavit.)

Conradus Dei gratia Hildesemensis episcopus, dilectis ac fidelibus suis universis Hildesemensis ecclesie ministerialibus gratiam suam et omne bonum. Super diutina mora nostra quam facimus vos admirari non du-

(a) In impresso *artusus*, pessime.

bitamus, et quia diversi diversa sepe fingunt et nova adinveniunt, universitatem vestram de qua multum confidimus super statu nostro certificare dignum duximus. Noveritis siquidem quod sani sumus et incolumes et cum hominibus nostris in bona continentia persistimus; quod et de vobis audire plurimum desideramus. Causa autem propter quam moramur alia non est nisi quod diem in proximo venturum in quo dominus Papa et imperator sibi occurrent cum aliis principibus expectamus, de successu Terre Sancte et pace generali tractaturi. Ad ipsum enim diem dominus Papa cum cardinalibus ex una parte et dominus imperator cum rege et patriarcha Jerosolimitano, Templi, domus Hospitalis et domus Teutonice magistris, et principibus videlicet Magdeburgensi archiepiscopo, Tridentinensi, Brixinensi, Cicensi, Brandeburgensi et Verdunensi (1) episcopis et quampluribus aliis principibus et nobilibus ex altera parte sibi ocurrent, tam salutaria quam saluti animarum provenientia ibidem ordinaturi, ut exinde cum multa exultatione et gaudio et letis rumoribus ad vos nos in brevi speremus redituros. Scire etiam vos volumus quod omnia nostra negotia tam apud dominum Papam quam apud imperatorem ad honorem Dei genitricis et voluntatem nostram bene expedivimus et gratiam quam desideramus in conspectu dictorum principum in omnibus agendis nostris etiam invenimus optatam; super quo, sicut justum est, gratias Deo agentes vos nobis in hiis congratulantes non dubitamus. Hinc est quod universitatem vestram in Domino attentius exoramus, etc. [Sequitur exhortatio ut clericos et universos ipsis commissos manuteneant et defendant, et praecipue beatam Virginem, utpote reginam coeli et advocatam omnium, condigno honorent obsequio.]

Datum apud Sanctum Germanum, XII kalendas martii.

---

(1) Non hic intelligendum *Verdun*, sed *Verden* super Alleram, sicut supra, p. 298.

Fridericus, Romanorum imperator, ad requisitionem Dietrici Beronensis ecclesiae praepositi, Wernherum et Hartmannum comites de Kiburg sententialiter proscriptos denuntiat propter injurias eidem ecclesiae ab ipsis contumaciter illatas, cum excommunicationem ab episcopo Constantiensi in ipsos latam et postea a summo pontifice confirmatam iidem comites per triennium contempserint. Apud Montem Sancti Johannis, 23 februarii.

(Edit. ap. GUILLIMANN, *Habsburg.*, lib. VI, p. 254. — GOLDAST., *Constit. imper.*, tom. I, p. 295. — LUNIG, *Cod. Germ. diplom.*, tom. I, p. 367. — HERRGOTT, *Genealog. Habsb.*, t. II, p. 229.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis principibus Alamannie tam ecclesiasticis quam secularibus et aliis imperii fidelibus ad quos littere iste pervenerint gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre tenore presentium volumus esse notum quod veniens ad presentiam nostram Dietricus Beronensis ecclesie prepositus, fidelis noster, sua celsitudini nostre conquestione monstravit qualiter Wernherus et Hartmannus comites de Kiburg eidem ecclesie sue damna enormia irrogantes eum et alios canonicos suos in eadem ecclesia Domino famulantes de gremio ipsius ecclesie turpiter ejecerunt; quod nec ipse nec aliquis canonicorum sex jam annis elapsis ad serviendum Deo ibidem audeat apparere. Et licet per Constantiensem videlicet diocesanum episcopum excommunicationis sententia contra eos propter hoc fuerit promulgata et terra eorum supposita interdicto, ipsi nihilominus in contemptum Dei et ecclesie adversus ipsum et ecclesiam suam in nullo satisfacere procurarunt, [sed] in eadem contumacia contumaciter permanserunt, sic quod eadem excommunicationis sententia per summum pontificem extitit confirmata; propter quod prefatus prepositus in presentia venerabilium Cicensis, Tridentini et Brixinensis episcoporum et

aliorum quamplurium tam imperii quam regni magnatum, excellentie nostre humiliter supplicavit ut quoad imperiale spectat officium exinde prosequi dignaremur. Nos igitur protervam predictorum comitum contumaciam attendentes, ad petitionem quoque predicti Constantiensis diocesani episcopi cujus censuram ecclesiasticam Dei timore postposito dicti comites per triennium, sicut asseritur, contemnentes ab infestatione ipsius ecclesie non desistunt, cum absonum sit imperio nostro tam enormes ecclesiis Dei violentias irrogari quas ex collata nobis plenitudine potestatis defensare modis omnibus et fovere tenemur, presentibus predictis principibus et ceteris tam imperii quam regni magnatibus, predictos comites excommunicationis sententiam contemnentes sententialiter proscriptos denunciamus, mandantes ipsos de cetero velut proscriptos ab omnibus evitari. Preterea Heinrico Romanorum regi filio nostro per litteras nostras dedimus in mandatis ut eosdem comites pro predictis memoratis excessibus proscriptos denuntiet, et ab ipsa proscriptione ipsos decernimus non solvendos, nisi predicto preposito condigne satisfaciant et ecclesie sue sicut debent.

Datum in Campania apud Montem Sancti Johannis (1), die XXIII (a) februarii, XI indictione.

Apud Montem Sancti Johannis, 28 februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, comitibus, baronibus, justiciariis, camerariis caeterisque officialibus per regnum Siciliae constitutis mandat ne monasterium Cassinense, obedientias et homines ipsius qualibet exactione gravare praesumant, sed eis con-

(a) Ap. Guillimann *XXIV.*—Ap. Lünig vero *XIII.*—Ap. Goldast. et Herrgott *XXIII*, rectius.

(1) Scilicet Monte San Giovanni, media via Cepranum inter et Verulas.

servent omnes libertates et immunitates quas tempore regis Guilelmi habere consueverunt.

(Inedit. ex pergamena ut videtur originali, quae extat in archiv. monast. S. Trin. Cavensis et in codice Mss. *ibid.*, n° 968, ubi plura sunt de rebus monasteriorum Cassinensis et Cavensis.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, comitibus, baronibus, magistris justitiariis, magistris camerariis, camerariis, bajulis, comestabulis, judicibus et universis fidelibus suis per regnum Sicilie constitutis gratiam suam et bonam voluntatem. Ex querela venerabilis abbatis et conventus monasterii Casinensis fidelium nostrorum nuper serenitas nostra intellexit quod vos monasterium ipsum, obedientias et homines ipsius collectis et exactionibus, angariis et perangariis, exercitibus et procurationibus, trahendo in civilibus et secularibus ad judicium seculare, nec non et aliis multipliciter offenditis et gravatis; quod tanto nostre displicet pietati quanto monasterium ipsum, obedientias et homines ipsius in libertatibus et rationibus suis volumus conservari. Verum quia ejus intuitu per quem vivimus et regnamus, tam monasterium ipsum quam obedientias et homines suos cum justis possessionibus et bonis suis manutenere volumus et fovere, nec pati possumus vel debemus quod a nobis vel officialibus aut aliis fidelibus nostris debeant molestari quos tenemur in propriis libertatibus et honoribus ex commisso nobis regimine confovere, fidelitati vestre sub pena gratie nostre districte precipiendo mandamus quatenus abbatem et conventum predictos, nominatum etiam monasterium, obedientias, homines et res ipsorum in nullo indebite aggravantes, omnes libertates et immunitates quas tempore regis Guillelmi secundi recolende memorie consobrini nostri habere consueverunt, eis integre conservetis, et in omnibus justitiis et rationibus suis sic manuteneatis eosdem quod in nullo de cetero se sentiant aggravatos et nos devotionem vestram exinde commendemus. Nos enim tanto eos protegere volumus et in suis rationibus specialiter confovere quanto nos divina clementia pre aliis orbis principibus exaltavit.

Datum apud Montem Sancti Johannis, ultima februarii, XI^a indictione.

Apud Montem Sancti Johannis, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Landi prioris monasterii Sancti Laurentii de Aversa, renovat et confirmat privilegium eidem monasterio a duce Rogerio anno 1092 mense maio indultum, in quo omnia jura et possessiones conventus ejusdem seriatim exprimuntur.

(Inedit. ex authentico exemplari in archivo reg. S. Severini apud Neapolim.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Si ad ecclesias et loca venerabilia regni nostri benigne dirigimus aciem mentis nostre eorumque profectibus intendimus diligenter, nedum eterne retributionis merita, sed laudis preconia consequimur temporalia. Inde est quod cum tu frater Lande, venerabilis prior monasterii Sancti Laurentii de Aversa, fidelis noster, ad nostram presentiam accessisses, humiliter nobis exposuisti qualiter prefatum monasterium Sancti Laurentii felicium predecessorum nostrorum principum atque regum Sicilie opus fuerat speciale et ab ipsis possessionibus atque bonis per regnum nostrum longe lateque ditatum ac privilegiis, libertatibus et immunitatibus specialiter communitum, in quibus omnibus tum propter negligentiam et desidiam prelatorum, tum etiam propter malitiam temporis retroacti ipsum noscitur multipliciter diminutum; et cum nonnulla de privilegiis predictorum principum atque regum memorato monasterio indultis per incuriam et accidentia supradicta in ipso monasterio sunt amissa, majestati nostre humiliter supplicasti ut quoddam privilegium ducis Rogerii quod olim ipsi monasterio [concessit], renovare cum omnibus hiis que dudum donatione principum, concessione ducum, largitione regum ac aliorum magnatum usque ad obitum regis Guillelmi secundi consobrini nostri recolende memorie tenuit monasterium supradictum et confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus continentia talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Rogerius divina favente clementia dux, Roberti magnifici ducis heres et filius. Si divinum cultum et sancte Ecclesie honorem atque utilitatem debita reverentia et ordine digno attendimus, profecto circa sanctam Dei Ecclesiam diligentissimam curam et solacium adhibere debemus, ut tanto nos superna pietas gratius protegat quanto ferventius suam Ecclesiam pro viribus exaltare atque tueri satagimus. Idcirco amore omnipotentis Dei qui servilem carnem sumere et crucis sumere patibulum et mori non dedignatus est ut nos ab eterna morte liberaret, nec non pro salute anime suprascripsi genitoris nostri et genitricis nostre et statu nostre reipublice, per interventum Adele dilecte conjugis nostre, concedimus, damus et confirmamus in monasterio beati martiris Laurentii de Aversa, ubi nunc dominus Guarinus venerabilis abbas preest, ecclesiam Sancti Johannis de Tidia que est sita in monte Capillone cum omnibus pertinentiis suis et ipsum montem per hos fines : a parte orientis est carbonarium castelli et sic descendit in directum per unam vallicellam et vadit directe super burgum et descendit per medium burgum in stratam majorem, a parte meridiei est carbonarium vetus et ascendit usque ad verticem montis et ex eodem latere montis descendit per vallem majorem usque in viam publicam et sicut tenet via publica usque carbonarium predicti castelli. Concedimus etiam terram nostram reipublice pertinentem cum fonte qui Turriceli vocatur, que habet hos fines : incipit a limite qui est inter hanc terram et terram Guidonis diaconi et vadit secus viam magnam publicam usque carrariam que venit de Stafilo et descendit per predictam carrariam usque magnum limitem et deinde vadit per limitem et venit in monticellum qui est in fronte. . . . . ipso monticello ascendit et directe in vallem per rivulam vadit et pervenit in jamdictum limitem qui est inter hanc terram et terram Guidonis diaconi et per ipsum limitem vadit in predictam viam magnam. Simulque concedimus in ipso monasterio totam causam quam Tristamus de Mileto in Troia a nobis tenuit, exceptis decem villanis et terram pro uno aratro et duabus casis quas domine Fredelsone uxori Geroi dedimus. Necnon et concedimus in predicto monasterio terras infra Troianas fines in Martina que habent hos fines : a vado Tranense fluminis

Aquilonis et descendunt secus ipsum flumen quinquaginta passus longe a flumine in parte versus Sanctam Mariam de Fogia usque in vadum Tramaricium et per ipsum vadum pretereunt ipsum flumen et vadunt per fines terre filiorum Citi usque viam que venit ad Sanctam Mariam de Fogia que est inter has terras et terras filiorum Petri judicis, et deinde vadunt secus predictam terram usque caput vallonis Appii ubi secus viam termini Petrarum infixi sunt et descendunt secus predictum vallonem qui est finis terrarum supradictorum filiorum Petri judicis usque in pedem Arpi et deinde in transversum recte vadunt in flumine Burgani et deinde ascendunt per ipsum flumen usque vadum Tranense de predicto flumine Burgani et deinde in transversum vadunt per fines qui sunt inter Troiam et Baccariram et veniunt in flumine Aquilonis ad vadum Tranense. Concedimus quoque et confirmamus in prefato sancto monasterio casale Sancti Petri in Balneo et casale Sancte Marie de Oliva cum omnibus tenimentis, possessionibus earum et ecclesiis sibi subditis, simulque confirmamus tibi dompno Guarino abbati ejusdem monasterii et posteris tuis omnia que Guarinus dominus Salparum et Robertus dominus Baroli predicto monasterio Sancti Laurentii de Aversa dederint et concesserint. Concedimus etiam et confirmamus Balesimanum cum omnibus possessionibus suis, terris cultis et incultis, vineis, olivetis, pascuis per hos fines : a via videlicet que descendit Barum usque in montem qui est super ipsum Balesimanum, ab alio latere per vallem episcopi Barensis usque in terram Grifi et sic descendit usque ad stratam magnam que vadit usque ad predictam civitatem Bari ; necnon et Sanctum Nicolaum veterem de Titecto (*sic*) cum usu molendini, fumi, trappeti tam hominum nostrorum quam aliorum qui illuc molere, coquere et machinare voluerint sine contrarietate nostra nostrorumque heredum seu successorum vel ministerialium aut exactorum, et Sanctam Caterinam et Sanctum Petrum de Donna Balsama cum omnibus possessionibus earum et Sanctam Mariam de Baleno similiter cum omnibus earum pertinentiis ; monasterium quoque Sancti Nicolai de Monopoli quod cognominatur de Pigna cum pertinentiis et possessionibus suis, et Sanctum Petrum in lacu Johannis et Sanctam Mariam in Grana cum casali et Sanctum Petrum in Babbaneo cum casali suo quod cognominatur Fellinum et Sanctum Nico-

laum de Casillis cum villanis et omnibus eorum pertinentiis. Concedimus pariter et confirmamus simul etiam Sanctum Anencium de Tarento cum omnibus pertinentiis suis, et ibidem quinque piscatores, videlicet Amicum filium Sichiniscarii et Lucam fratrem ejus et Maurum fratrem eorum et Georgium filium Podarii et Angelum fratrem ejus, ut isti supradicti homines, heredes et successores eorum liberam potestatem habeant piscandi in mari parvo et magno et teniariam et omnes consuetudines quas nostre reipublice dare et persolvere debent in jamdicto monasterio Sancti Laurentii absque nostra vel heredum aut successorum nostrorum vel alicujus contradictione reddant libere et persolvant. Necnon et unam plancam que fuit Sandonis ejusdem civitatis vicecomitis in supradicta ratione concedimus et confirmamus; hos autem predictos homines et eorum successores liberos in demanium monasterii et absolutos concedimus, ab omni eos publico servitio liberantes. Similiter concedimus in prefato sancto monasterio casale Sancte Cenapure de Policote cum ecclesiis et omnibus pertinentiis sibi subditis et abatiam Sancte Marie de Sancto Onofrio cum ecclesiis suis et earum pertinentiis et monasterium Sancti Angeli de Frassineto cum casali et ecclesiis sibi subditis et Sanctum Donatum de Belmonte cum casali suo et Sanctam Mariam de Toricto cum hominibus et earum possesessionibus. Ad majorem preterea tutelam et libertatem prefati sancti monasterii concedimus ut ubicumque sint monachi et homines eorum in villis et civitatibus meis, homines videlicet prefati monasterii nullas penitus vendendi vel emendi consuetudines reddant, neque sit aliquis de exactoribus nostris qui supradictas consuetudines ab eis exigat. Concedimus insuper ut si homines prefati monasterii aliquid forte foris fecerint, ne sit aliquis ita temerarius vel audax ut eos sine clamore monachorum ad justitiam cogere presumat; sed predictis monachis prius proclamationem faciat et per manus eorum et in curia eorum postea justitiam habeat : ea vero ratione ut omnia suprascripta semper libere sint in dominio et potestate jamdicti monasterii et abatis et successorum suorum, et pars ipsius monasterii et predictus dompnus Guarinus abbas et successores sui licentiam et potestatem habeant in predictis terris et in terris quas per civitates, oppida et villas aut emptione seu offertione vel dona-

tione quocumque modo poterint adipisci, ecclesias edificare, casalia facere, homines affidare, molendina, fuma et trapeta construere, vineas et oliveta et alia pomifera pastinare ubi voluerint. At neque a nobis et nostris heredibus seu successoribus nostris aut a nostris stratigotis, judicibus, strumarchis, vicecomitibus, plazzaris vel aliquibus ministerialibus seu nostre reipublice exactoribus aut quibuslibet hominibus quolibet tempore predictum monasterium et abbates et successores sui de predictis terris et de omnibus edificiis que in eis fecerint aliquod contrarium habeant, et neque a monachis vel hominibus eorum affidaturam, plateaticum vel aliquod datum tollant vel aliquam angariam facere faciant. Si quis vero temerario ausu harum nostrarum concessionum violator extiterit, sciat se compositurum auri purissimi libras quinquaginta, medietatem camere nostre et medietatem parti ipsius monasterii; et hec nostre concessiones semper firme et inconcusse permaneant. Textum vero harum nostrarum concessionum scribere precepimus tibi Grimoaldo notario nostro et nostro cum tipario plumbea bulla bullari jussimus, anno dominice incarnationis millesimo nonagesimo secundo, ducatus autem nostri septimo, mense madii, indictione quintadecima. — Ego Rogerius dux me subscripsi. — Ego Adela Dei gratia ducissa. — Signum Boamundi. — Signum Guidonis filii Roberti magnifici ducis. — Signum Guidelmi de Bitito stratigoti. — Ego Petrus de Johanne Crispo. — Ego Manfridus judex. — Ego Alferi filio Johanne (*sic*). — Signum Ubaldi filii Ildeprandi. — Ego Ildeprando honeste (*sic*). — Ego Alferius Cervano testis.

Nos igitur attendentes quod predictum monasterium felicium principum atque regum predecessorum nostrorum structura extiterit specialis. . . . . longe lateque ditatum pariter et dotatum, supplicationes tuas, venerabilis prior, de innata clementia diligenter admisimus et prefatum privilegium eidem monasterio de verbo ad verbum innovari mandavimus et perpetuo confirmari. Et ne propter privilegiorum suorum amissionem in possessionibus suis dispendium sustineat monasterium memoratum, de majori gratie nostre munificentia ei in perpetuum confirmamus omnes possessiones, homines, casalia et tenimenta que dudum donatione principum atque ducum, concessione regum et quorum-

libet magnatum et aliorum Christi fidelium usque ad obitum supradicti regis Guillelmi secundi consobrini nostri recolende memorie monasterium ipsum dinoscitur tenuisse. Ad cujus autem rei memoriam et robur in perpetuum valiturum presens privilegium renovationis et confirmationis per manus Johannis de Capua notarii et fidelis nostri scribi jussimus et sigillo nostre celsitudinis roborari, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum apud Montem Sancti Johannis, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, mense martii, indictione undecima, imperii domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno tertio, regni vero Sicilie vicesimo quinto, feliciter. Amen.

Ego Rogerius archipresbyter castri Geldonis exemplar hujus vidi et legere audivi.

Ego Aminadab judex castri Geldonis autenticum hujus audivi et legere vidi.

Ego judex Robertus Sancte Marie de Cercis autenticum hujus vidi et legere audivi.

Tunc tractus est a cardinalibus in Campaniam imperator, ubi etiam hortatu regis Jerosolymitani et magistri domus Hospitalis se commisit ipse papa. Et apud Ferentinum habens cum imperatore colloquium, promisit publice usque ad biennium in Terrae Sanctae subsidium transfretare, et filiam dicti regis ducere in uxorem juravit (1). RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.* [Apud Ferentinum, martio.]

---

(1) Cf. infra litteras Honorii papae, datas Laterani, exeunte maio.

Apud Ferentinum, 11 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat et inserendo renovat privilegium quo antea ecclesiam Northusensem institutione praepositi, decani et canonicorum reformaverat, et insuper ad ejusdem usus convertit parrochiam Sancti Petri et capellam Sancti Martini in Walehusen cum omnibus earum bonis et plenitudine juris.

(Edider. LEUCKFELD, in *Antiq. Walkus.* p. 353 et in *Antiq. Blankenburg.*, p. 95; correctius vero FÖRSTEMANN, *Geschichte von Nordhausen*, II pars, p. 4-5.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Imperiali nostre convenit dignitati vota fidelium juxta Dei placitum et honorem benigna prosequi pietate et exauditionis gratiam impendere cum effectu justa petentibus et honesta. Proinde quia fidelis et dilecti capellani nostri Theoderici Northusensis prepositi circa desiderium et affectum quem ad transformandum ejusdem ecclesie sue statum ex divini spiritus voluntate concepimus, devotionem sollicitam vidimus et intentam, nos ad preces ejus privilegium quod super ordinatione mutationis ejusdem et plenitudine libertatis temporibus regni nostri eidem ecclesie a nobis solenniter est concessum, imperatoria nunc auctoritate nostra et innovandum duximus et perpetuo confirmandum; cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum rex, etc. Cum sicut veris ostenditur argumentis, etc. [*Sequitur de verbo ad verbum, privilegium datum apud Augustam, 27 julii 1220, quod supra ad suum locum exhibuimus.*]

Nos igitur hujus nostre transformationis propositum confirmantes, per nostre magnificentie gratiam ampliorem predicte ecclesie Northusensi ex certa scientia ad usus canonicorum ipsius parochiam Sancti Petri et ca-

pellam Sancti Martini in Walehusen cum omnibus bonis suis et omni plenitudine juris sui que hactenus absolute et libere ad imperium spectarunt, salvo jure personarum que ipsas ecclesias modo tenent, liberaliter tradimus et in perpetuum tradita confirmamus. Ut autem hujus innovationis et donationis auctoritas inconvulsa et perpetua maneat hec libertas, nos conscriptam paginam super ipsis typario bulle nostre fecimus communiri; precipientes firmiter et districte ne quisquam contra hujus nostre constitutionis formam inveniat aliquid aut presumat. Quod qui forte temerarius attemptarit centum marcas auri puri componat, quarum medietas una fisco, passis injuriam altera tribuatur.

Testes hujus rei sunt Joannes rex Jerosolymitanus, Demetrius Thessalonicensis rex, Rudolphus patriarcha Jerosolymitanus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Berhardus Panormitanus archiepiscopus, Martinus (1) Thessalonicensis archiepiscopus, Nicolaus Tarentinus archiepiscopus, Henricus Wormatiensis episcopus, Engelhardus Nuwenburgensis episcopus, Cunradus Hildesemensis episcopus, Gerardus (*a*) Brandenburgensis episcopus, Otto prepositus Magdeburgensis, Otto prepositus Aquensis (*b*), Elgerus prepositus Goslariensis, Guilielmus marchio Montisferrati, Thyeboldus marchio de Voburg, Heinricus comes de Waldenberc (*c*), Heinricus comes de Eberstein et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec apud Ferentinum, anno dominice incarnationis M° CC° XXIII°, mense martio, indictione undecima, imperante domino Friderico secundo Dei gratia excellentissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno imperii ejus tercio, regni vero Sicilie XXV°, feliciter. Amen.

Datum apud Ferentinum, V idus martii, indictione XI.

(*a*) Rectius tamen *Gernandus*.
(*b*) Ap. Förstemann *Argentinensis*, male.
(*c*) Supra autem *Waldeberc* et infra *Woldeberc*.

---

(1) Ap. Leuckfeld *Garmus*; ap. Förstemann *Darius*; infra tamen *Martinus*, quam veram esse lectionem arbitramur. Cf. ad mensem septemb. 1224 inter testes.

Ferentini, 12 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, ob reverentiam principis apostolorum, monasterium Sancti Petri de Amalphia Cisterciensis ordinis cum hominibus, curtibus, possessionibus et bonis ad illud pertinentibus, praesentibus et futuris, sub sua speciali protectione recipit.

(Memorat. ap. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. VII, 214, et ap. Pansa, *Storia d'Amalfi*, t. I, p. 117; qui ambo initium tantummodo privilegii referunt, ut sequitur:)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod nos habentes pre oculis piam et laudabilem ordinis Cisterciensis religionem, intuitu pietatis divine cui religionem predictam scimus devotissime famulari, necnon pro remedio animarum divorum augustorum quondam parentum nostrorum, venerabilem abbatem et conventum Sancti Petri de Amalphia ordinis predicti, etc. (*sic.*). . . . .

Datum Ferentini, XII martii, XI indictionis.

Ferentini, 14 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, abbati et conventui Locedii Cisterciensis ordinis concedit ut possint animalia et res suas ducere ac reducere, portare ac reportare absque exactione vel pedagio aliquo, quocumque voluerint.

(Edidit Iricus Tridinensis, *Rer. patr.*, lib. III, dissert. de S. Oglerio, p. 26.)

Fridericus secundus Dei gratia Romanorum imperator, semper au-

gustus et rex Sicilie, venerabilibus fratribus abbati et conventui Locedii Cisterciensium ordinis in perpetuum. Attendentes religionem ac devotionem quam semper erga nos et imperium habuistis, vobis ex gratia et ex certa scientia duximus concedendum ut possitis auctoritate nostra animalia vestra et res ad vestros usus proprios deputatas ducere ac reducere, portare ac reportare absque exactione vel pedagio aliquo, quocumque volueritis et vobis noveritis expedire. Si qua igitur persona, civitas vel commune alicujus loci huic privilegio nostro ausu temerario presumpserit contraire, damno quingentarum marcarum argenti subjaceat, cujus medietas vestra sit, residua nostre camere inferatur.

Datum Ferentini, pridie idus martii, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio, indictione XI.

Fridericus, Romanorum imperator, ratam pronuntiat chartam Conradi episcopi Metensis et imperialis in Italia legati, qua venditio castri Ripae facta Rainutio Philippi Malavoltae civi Senensi per Spatacurtam Ubertini confirmatur.

Apud Ferentinum, martio.

(Inedit. ex origin. ap. archiv. commun. Senensis, pergam., t. III, n° 162.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Ad prosequendum nostrorum vota fidelium et eorum comoditatibus providendum innata solio nostro clementia nos inducit, ut, dum eis nostra condescendit liberalitas, ad perfectum devotionem eorum circa imperii nostri servitia ferventius incitemus. Inde est itaque quod cum Rainutius Philipi Malavolte civis Senensis, fidelis noster, quoddam scriptum confirmationis ei quondam per Conradum venerabilem Metensem et Spirensem episcopum imperialis aule cancellarium et totius Italie tunc legatum, ex auctoritate legationis qua fungebatur sibi indultum, super venditione ei-

dem Rainutio facta a Spatacurta Hubertini de castro Ripe et de curte et districtu ejus nostre curie presentasset, celsitudini nostre devote et humiliter supplicando ut eamdem confirmationem ratam habere et nostro dignaremur munimine confirmare; cujus scripti tenor talis est :

Conradus Dei gratia Metensis et Spirensis episcopus, imperialis aule cancellarius et totius Italie legatus, universis imperii fidelibus hanc paginam inspecturis salutem et omne bonum. Cum ad officium nostre legationis pertineat et etiam specialiter a domino nostro Friderico Romanorum imperatore secundo suscepimus in mandatis preclara et sincera obsequia omnium exibita progenitoribus suis ac sibi serenius considerare et pre oculis habere; idcirco nos recognoscentes non solum fidem et devotionem Rainutii Philipi Malavolte civis Senensis, sed etiam acceptabilia obsequia que hactenus antecessores sui et ipse in consecrationibus imperialium majestatum avi et patris ipsius domini nostri imperatoris et ejusdem met ipsi (*sic*) et in omnibus rationibus et juribus imperii conservandis inlesis usque ad hec tempora diligentius exhibuerunt, auctoritate legationis nostre, de gratia et imperialis clementie prerogativa qua fungimur comitiva et ex certa scientia nostra confirmamus imperiali decreto et indicimus esse firmam et ratam ipsi Rainutio et suis heredibus vendictionem sibi factam a Spatacurta Ubertini de castro Ripe quod antiquitus dicebatur Mensule et de curte et districtu ejus, sicut in instrumento confecto manu Castellani judicis contineri videtur; condonantes eidem et suis heredibus eadem imperiali qua fungimur auctoritate ut omnem jurisdictionem, usum et consuetudinem imperialem et jus et actionem imperio competens et competentem in personis et rebus dicti castri et curtis et districtus habeat, teneat et modis omnibus perfruatur. Statuimus ut nulla persona, humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, contra hanc nostram confirmationem audeat contraire. Si quis vero contra facere presumpserit, pro pena componat centum libras auri, medietatem cujus camere imperii et aliam medietatem injuriam passo persolvat. Ad cujus rei certitudinem presentem paginam scribi jussimus et sigilli nostri munimine roborari. — Hujus rei testes sunt dominus Paganus episcopus Vulterranus, Soffredus Pistoriensis episcopus, Guillelmus marchio Montisferrati, Conradus

prepositus de Tanna, Ebrardus de Lutra, Hermannus de Catena, Guido Buonicambi Bononiensis, Rufinus Presbiter Placentinus, Johannes de Regio judices curie et alii quamplures. — Hec autem acta sunt anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXI°, indictione nona, glorioso anno imperii domini nostri Friderici primo (1). — Datum apud Podium Bonizi, die septima kalendas januarii.

Nos igitur attendentes grata et devota servitia que tam predecessores nostri dive recordationis augusti a suis predecessoribus receperunt atque etiam nos ab eo meminimus suscepisse, suis justis supplicationibus favorabiliter annuentes, predictum scriptum confirmationis ejusdem cancellarii de verbo ad verbum scribi precepimus, ratum habentes et de nostra gratia ex certa scientia sibi et ejus heredibus perpetuo confirmantes. Statuimus igitur et imperiali edicto firmiter inhibemus ut de cetero nulla civitas, nullum comune, nulla unquam persona magna vel parva, ecclesiastica vel secularis, prefatum Rainutium vel ejus heredes de predicta vendictione et aliis omnibus supradictis contra hanc nostram confirmationem inquietare, molestare, vel impedire audeat vel presumat. Quicumque autem hoc attemptare presumpserit, indignationem nostram et penam centum librarum auri optimi se noverit incursurum, medietatem cujus fisco nostro, aliam medietatem passo injuriam decernimus persolvendam. Ut autem hec nostra confirmatio robur obtineat et perpetuam firmitatem, presentem paginam scribi et nostri sigilli impressione jussimus inferius roborari.

Hujus enim rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Gerlandus Brandeburgensis, Engelhardus Cicensis, Conradus Ildesemensis, Bertoldus Brixinensis, Albertus Tridentinus, Enricus Warmatiensis, Jacobus Taurinensis episcopi, Ugo abbas Morbacensis, Guillelmus marchio Montisferrati, Diupoldus marchio de Fochemburgo, Rainaldus dux

---

(1) Ex indictionis numero et anni in imperio notatione facile liquet scribam, licet annum *incarnationis* hic notaverit, usum fuisse anno *nativitatis*, scilicet a vicesimo quinto die decembris anni nostro computu 1220.

Spoleti, Henricus comes de Eberstan, Sifredus comes Vienne, et alii quamplures principes et magnates imperii et regni.

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXIII, mense martii, indictione XI, imperante domino nostro Friderico Dei gratia glorioso Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno imperii ejus tertio, regni vero ejus vigesimo quinto, feliciter. Amen.

Datum apud Ferentinum, anno, mense et indictione supradictis.

Ferentini, martio. Fridericus, Romanorum imperator, ob grata et accepta servitia Gerardi comitis Gelrensis theloneum quod tam Otto pater ejus quam ipse apud Arnheim ab imperio tenebant in feodo, ad villam Lobede (Lobith) Trajectensis dioecesis transfert, ut ipse et ejus haeredes illud in perpetuum percipiant et teneant.

(Edidit Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. Band. p. 54, n° 99; ex Redinghovens samml. ap. Monachium, t. III, fol. 1.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis Christi fidelibus ad quos presens pagina pervenerit in perpetuum. Dignum est et a rationis tramite non discordat imperialemque condecet magnificentiam gratie nostre favorem propensius hiis impertiri eorumque profectibus vigilantius insistere qui nostri culminis ferventius zelantur honorem, de quorumque fidei puritate certa colligimus et habemus argumenta. Ad tam presentium quam futurum notitiam cupimus pervenire quod cum rex regum per sue miserationis clementiam ad Romani regni nos apicem sublimasset, dilectus noster et fidelis Gerardus

comes Gelrensis devoti affectus et affectuose devotionis multiplici exhibitione in nostre promotionis exordio tam preclara sub rerum et terre sue magno dispendio celsitudini nostre laudabiliter impendit obsequia quod nos, sua considerata fidelitate, in recompensationem sui servitii nobis liberaliter exhibiti, de consilio et assensu principum imperii theloneum quod tam pater suus Otto bone memorie quam ipse apud Arnheim ab imperio tenebant in feodo, concessimus eidem ad villam que Lobede dicitur Trajectensis diocesis transferendum, quatenus ipse et sui heredes illud in eadem villa Lobedhe ad commodum et utilitatem suam percipiant et perpetuo teneant ab imperio jure feodali; ut tanto propensius in nostra devotione et fidelitate fervescat, quanto amplius se senserit de nostre sublimitatis gratia commoda percepisse gratiora. Nos igitur nostre magnificentie concessionem ratam habentes, de consilio quoque et consensu principum imperii ipsam confirmantes (1), presens privilegium ad ejusdem firmitatem perpetuam et evidentiam fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri; statuentes et auctoritate presentis privilegii precipientes firmiter ne qua ecclesiastica secularisve persona huic nostro facto temere contraire presumat. Quod qui fecerit, in sue temeritatis vindictam centum libras puri auri componat, medietatem camere nostre et alteram medietatem injuriam passis persolvendam.

Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Engelardus Nuenburgensis episcopus, Henricus Wormatiensis episcopus, Conradus Hildensheimensis episcopus, Albertus Tridentinus episcopus, Otto prepositus Aquensis, Dypoldus marchio de Hoenburg, Reinaldus dux Spoleti, Bernardus de Hurstmar, Arnoldus de Gymenich, Conradus de Tremonia et alii quamplures.

---

(1) Vid. supra p. 242 simile privilegium, datum apud Aquinum, aprili 1222. Ista tamen confirmatio non bene concordat cum prohibitione thelonei in eodem loco : vid. supra p. 290 et 291. Cujus feodi concessionem de suo et caeterorum principum consilio ratam habendam peculiaribus quoque suis litteris testati sunt Engelbertus Coloniensis et Theodericus Treverensis archiepiscopi, Ludewicus dux Bavariae, Otto comes palatinus Rheni, Ludewicus landgravius Thuringiae et comes Saxoniae palatinus. Cf. LACOMBLET, loco citato, II, 55.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo secundo (1), mense martii, indictione XI, imperante domino Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus secundo, regni vero Sicilie XX (*a*), feliciter. Amen.

Datum Ferentini (*b*), anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Ferentinum, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum concedit ut in omnibus ecclesiis tam imperii quam patrimonii sui in quibus jus patronatus habet vel habebit, quotiescunque aliqua istarum vacaverit, portionem rerum mobilium quae ad opus imperii recipi consuevit domus illa ad usus suos percipiat necnon et omnes proventus ecclesiarum vacantium per totum annum.

(Edit. ap. Duellium, *Histor. ord. equit. Theutonic.*, append. p. 16, nº 18. — Feder, *Unterricht*, nº 6, et in *Brandenb. Usurpationsgesch.*, p. 96. Appensa erat bulla aurea, licet in privilegio non memoretur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. In excelso glorie solio constituti, tunc potius in Domino gloriamur cum domos et loca religiosa prospicimus et multimodis beneficiorum elargi-

(*a*) Recte tamen *XXV*.
(*b*) In impresso *Terentini*, male.

---

(1) Nisi quoddam in transcriptione mendum irrepserit, justo incarnationis anno a die 25 martii incipiente notarius contra morem usus fuisse videtur.

tionibus statum eorum liberaliter ampliamus; ad illarum presertim religiosarum domorum commoda totis affectibus aspirantes de quarum incrementis ordinata nobis caritas suadet ut opera que paterne devotionis studio prodierunt sollicitudine debita prosequamur, et augusti patris nostri plantaria propensius excolamus in vinea Domini altiori radice virtutis et gratie propagata. Hinc est quod pio considerantes affectu qualiter dive recordationis Henricus quondam pater noster augustus domum hospitalis Sancte Marie Teutonicorum Hierosolymitane pia intentione fundaverit et ipsam dotaverit et ditaverit opulentia liberali, attendentes quoque quod devote in eadem domo divini servitii cultus et religio conserventur, pauperum et infirmorum procuretur necessitas, quin potius tota ejus substantia divino servitio deputetur et milites Christi degentes in ea contra paganorum tyrannidem personas suas in victimas offerant obsequio crucifixi, circa domus ejusdem continua incrementa nostre firmavimus propositum voluntatis, non solum paterna super hoc prosequi, sed et vota nostra propensius exponere cupientes. Unde cum sacrosancta Romana mater Ecclesia, preter multa beneficia et privilegia libertatum que die consecrationis et coronationis nostre domui predicte contulit et concessit, ei ad preces nostras dignanter addiderit ex apostolice gratia dignitatis ut in ecclesiis ad sustentationem fratrum commorantium in servitio Terre Sancte concessis eisdem, assignato vicariis earum unde honeste vivant et in spiritualibus et synodalibus episcopis earum vel suis officialibus possint respondere, proventus ceteros suis usibus habeant deputatos; de motu proprie liberalitatis inducti providimus et nos ipsi quod inter liberalitates alias quibus erga domum ipsam nostra munificentia se diffudit, specialem secum in imperio nostro gratiam faceremus, indignum admodum reputantes si quod aliunde precibus et favore nostro dicta domus obtinuit, eidem nostra beneficentia negaretur. De nostre igitur affluentia pietatis, ad illum mentis nostre oculos dirigentes per quem imperialis regiminis collatam nobis desuper non ingrati recognoscimus dignitatem, pro remedio animarum divorum augustorum progenitorum nostrorum et pie commemorationis augusti patris nostri, pro salute quoque et incolumitate nostra et heredum nostrorum, ad susten-

tationem ejusdem domus fratrum militantium in servitio Terre Sancte, constituimus, concedimus et presentis privilegii auctoritate sancimus ut de cetero (*a*) perhenniter domus eadem hospitalis Sancte Marie in omnibus ecclesiis tam imperii quam patrimonii nostri, in quibus jus patronatus et representationis habemus et in posterum habebimus necnon de jure feudi seu alia ratione ad nos et imperium nostrum est representatio seu donatio devoluta, et in omnibus aliis ecclesiis quas nos et heredes aut successores nostros habere contingeret quoquomodo (*b*), hanc potestatem, jurisdictionem et gratiam inviolabiliter habeat, obtineat et utatur quod quotiescumque aliquam vel aliquas ecclesiarum ipsarum pro tempore vacare contigerit, portionem mobilium rerum que in earum vacatione (*c*) applicari ac recipi ad opus nostrum et imperii consuevit, ad usus et utilitatem suam recipiat et habeat deputatam. Ex majori quoque gratia adjicientes concedimus quod (*d*) a die vacationis alicujus vel aliquarum ecclesiarum fratres dicte domus omnes proventus et usufructus vacantium vel vacantis ecclesie, proviso in necessario et honesto sumptu sicut expediet clericis et aliis ibidem Domino servituris, per totum continuum annum sine contradictione qualibet percipiant, tanquam usui eorum a majestate nostra usque ad annum completum sicut prelegitur deputatos; prohibentes firmiter et mandantes ut nulla persona ecclesiastica vel mundana, alta vel humilis, scultetus, advocatus, ministerialis vel officialis eamdem domum contra presentis constitutionis et concessionis nostre paginam inquietare vel molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum.

Hujus autem rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Gernandus (*e*) Brandenburgensis, Engelhardus Cicensis, Conradus Hil-

(*a*) In sequenti documento legitur : *De nostre igitur affluentia pietatis eidem domui duximus concedendum ut de cetero*, reliquis omnino omissis.

(*b*) In altero : *quas ad nos et heredes et successores nostros quoquomodo devenire contigerit.*

(*c*) In altero quoque : *que in aliquarum vel alicujus vacatione.*

(*d*) Haec a verbis *Ex majori* usque nunc in altero desunt.

(*e*) Ap. Duellium *Gerrardus*, minus recte.

desheimensis, Albertus Tridentinus, Bertholdus Brixinensis, Jacobus Taurinensis, Henricus Wormatiensis,... Verdunensis,... Valentinensis episcopi, Hugo abbas Morbacensis, Henricus Constantiensis, Otto Aquensis prepositi, Petrus alme urbis prefectus, Wilhelmus marchio Montisferati, Diopuldus marchio de Hohenburg, Raynaldus dux Spoleti, comes Henricus de Diez, comes Sifridus de Viande, comes Heinricus de Woldeberc, comes Heinricus de Everstein, Bernardus de Hurstemar, Henricus de Niffen (*a*), Eberhardus de Winterstetin, Willelmus de Aquisgrano, Conradus de Werda et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M CC XXIII, mense martio, indictione XI.

Datum apud Ferentinum, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, universis per imperium constitutis notum facit privilegium a se ipso hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum indultum super ecclesiis vacantibus, definiens quid tempore vacationis et post completum annum sit agendum. Apud Ferentinum, aprili (martio).

(Edit. ap. *Brandenb. usurpationsgesch.* 98. — HENNES, *Cod. ord. Theutonic.* p. 68, n° 64. Extant in archivo Stuttgartensi duo hujus privilegii exemplaria, ambo originalia, quorum unum retinet adhuc sigillum suum cereum filis amaranthini coloris appensum.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilectis principibus suis, prelatis ecclesiarum, marchionibus, comitibus, scultetis, advocatis, ministerialibus, officialibus et universis per imperium constitutis quibus presentes littere ostense fuerint, fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre notum fieri volumus

(*a*) Ap. Duellium *de Raffen*, male.

quod circa commoditatem et incrementa domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem tam paterne devotionis vota prosequimur quam et intentionis nostre propositum exponimus diligentius. Recolimus igitur qualiter olim Romana mater ecclesia inter alia beneficia que die consecrationis et coronationis nostre domui predicte contulit, dignanter ad preces nostras ei concessit ut in ecclesiis, etc. [*Sequitur ut in praecedente privilegio, paucis quae tamen notavimus mutatis, usque ad :*] sicut prelegitur deputatos, res et bona ecclesiastica fideliter interim et efficaciter procurantes; non prejudicante sibi si quis in eadem ecclesia juxta morem infra annum fuerit institutus, quin proventus et usufructus percipiant, sicut superius est expressum. Post completum vero annum, procurationem et perceptionem proventuum et usufructuum ecclesiarum ipsarum, sequentis scilicet temporis, manibus et custodie illius vel illorum qui in eis rite fuerint constituti debeant resignare, nec se inde ulterius intromittant nisi ecclesiam vacare contigerit, aut jurisdictionem exerceant constitutam, quam non nisi uno anno, quotiens aliqua vel alique ecclesie vacaverint, in percipiendis proventibus et usufructibus vacantis ecclesie decernimus valituram, sicut in privilegio nostro exinde predicte domui indulto plenius et diffusius continetur. Quare universitati vestre firmiter precipimus et mandamus sub obtentu pene que in autentico privilegio continetur, universis et singulis districtius inhibentes quatenus nullus vestrum predicte domui et fratribus contra presentis constitutionis et concessionis nostre paginam se opponat vel presumat in aliquo contraire, sed eis ob reverentiam nostram consilio et auxilio assistatis, quo predicta concessione nostra plenarie gaudeat et fruatur. Si quis autem contravenire temptaverit, se noverit, preter indignationem nostram quam merebitur ut transgressor, pene que continetur in privilegio subjacere. Omnibus autem eis mandata nostra servantibus gratiam et benevolentiam nostram promittimus affuturam.

Datum apud Ferentinum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tercio, mense aprilis (1), indictionis undecime.

---

(1) Ita in duobus exemplaribus, licet clare pateat in notatione mensis scribam imperialem

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Theoderici praepositi, privilegia monasterio Beronensi in Argovia a Friderico imperatore avo suo concessa (1) confirmat. Apud Ferentinum, martio.

(Memorat. potius quam extract. ap. FR. GUILLIMANN, *Habsburgiaca*, lib. VI, p. 255. — TSCHUDI, *Chronic. Helvet.*, t. I, p. 118. — HERRGOTT, *Genealog. Austr.*, t. II, p. 230.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie (1). Quanto de manu Domini potiora suscepimus, etc. . . . .

. . . .

Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Engelhardus Cicensis, Gernodus Brandeburgensis, Conradus Hildensheimensis, Heinricus Wormatiensis, Berchtoldus Brixinensis, Albertus Tridentinus, Joannes (*a*) Virdonensis episcopi, Hugo abbas Morbacensis, Heinricus prepositus Constantiensis majoris ecclesie, Diepoldus marchio de Hoheburg, Guilelmus marchio Montisferrati, Reinaldus dux Spoleti, Heinricus comes de Heberstein, Heinricus comes de Diets, Sigefridus comes de Vienna, comes Ulricus de Vienna, comes Ulricus de Ulto, Heinricus de Niffen, Heinricus Wandelberc de Rahperswile, Albertus de Saxo, Heinricus de Chieno et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

(*a*) Hoc nomen quod ap. Tschudi et Herrgott deest, rectius legi debet *Iso*.

errasse. Imperator enim nono decimo die martii jam Soram advenerat, dein ad obsidionem Celani profecturus. Vid. infra, p. 350.

(1) Cf. privilegium Friderici primi pro Monasteriensi ecclesia (Beren-Münster), datum 4 nonas martii anno 1173, apud HERRGOTT, opere citato, p. 189, nº CCXLII.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXIII, mense martio, indictione XI, imperante domino nostro Friderico [etc.], anno ejus Romani imperii tertio, regni vero Sicilie vicesimo quinto.

Datum apud Ferentinum.

Apud Ferentinum, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, Isonem episcopum Verdenensem et ecclesiam ejus cum personis et possessionibus sub sua speciali protectione suscipit, omnesque eis libertates confirmat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 124, n° 510, ex originali apud Hannoveriam asservato.)

Testes sunt, etc. . . . . .

Datum apud Ferentinum, anno dominice incarnationis M. CC. XXIII, mense martio, indictione undecima. . . . .

Apud Ferentinum, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, Andreae archiepiscopo Barensi renovat et confirmat privilegium a Constantia imperatrice matre sua anno 1195 mense novembri Doferio tunc archiepiscopo indultum, cujus tenor inseritur.

(Edidit Garruba, *Serie crit. de' sacr. past. Baresi*, tom. I, p. 242-245, ex transumpto authent. ann. 1272, n° XII. — Originale, ut ibidem notatur, sigillatum erat sigillo imperatoris cereo cum filis sericis rubri et citrini coloris.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Justis postulationibus supplicantium tanto debet favor imperialis benignitatis adesse quanto que postulantur a justitie semitis

non discordant. Inde est quod cum tu Andreas, venerabilis Barensis archiepiscope (1) et fidelis noster, ad presentiam nostram accederes, privilegium quondam domine imperatricis dive recordationis karissime matris nostre Barensi ecclesie pie indultum intuendum nostro culmini presentasti, supplicans humiliter et devote quod tibi privilegium ipsum innovare et confirmare de solita benignitatis gratia dignaremur; cujus tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Constantia divina favente clementia Romanorum imperatrix et regina Sicilie, semper augusta. Quotiens obtentu superni numinis ad ecclesiarum cultus intentionis nostre aciem vertimus et earum profectibus pie mentis oculo providemus, totiens ad sublimitatis et potentie cumulum potestatis nostre virtus erigitur et majestatis nostre solium clementie titulo largius decoratur. Nihil enim potest ut credimus hac consideratione justius, nihil dignius inveniri quam ut omnium donatori a quo nobis universa bona proveniunt augustalis liberalitatis (*a*) munera conferantur. Inde est quod nos attendentes religionis et honestatis integritatem Doferii venerabilis archiepiscopi fidelis nostri et omne fidelitatis studium quod circa imperialem magnificentiam habere dignoscitur intuentes, subscriptas petitiones ipsius quas sublimitati nostre humiliter et devote porrexit decrevimus admittendas. Pro salute itaque et incolumitate karissimi domini et viri nostri magnifici imperatoris et nostrorum remissione ac remedio delictorum, confirmamus et concedimus in perpetuum Barensi ecclesie totam et integram decimam omnium redditunm et proventuum que ad nostrum fiscum pertinent intra et extra civitatem Barensem, sicut rex W. nepos noster bone memorie sine diminutione aliqua dari precepit (*b*) Taxelgardo tunc temporis camerario, juxta quod in nostro instrumento testimoniali ejusdem camerarii expressius conti-

(*a*) In impresso *libertatis*, male.
(*b*) In impresso *precipimus*; quod sensum omnino turbat.

(1) Anno 1215 circa aprilem mensem Berardo successerat Andreas, ut monet GARRUBA, *Ser. crit.*, I, 201.

netur quod curie nostre ostendit. Concedimus insuper prefato venerabili archiepiscopo et successoribus ejus totam et integram decimam tam redditaum quam proventuum casalis Johe ac totius terre Barensis parrochie que provenit ad demanium nostrum, presenti privilegio statuentes ut predictus venerabilis archiepiscopus et successores sui stabiliant aliquos ex hominibus suis qui pro parte sua jugiter sint cum catepanis et bajulis nostris tam civitatis Barensis quam predicte terre Johe et totius nostri demanii Barensis parrochie, et secundum quantitatem reddituum curie diebus singulis percipiant integre et sine diminutione aliqua decimam ipsam ipsorum prelatorum Barensium usibus secundum eorum arbitrium in perpetuum devolvendam. Si vero predictum casale Johe vel aliquid de nostro demanio fuerit alicui ex imperiali liberalitate concessum, nihilominus tamen ipse Barensis archiepiscopus integram decimam, etsi jugiter foret in nostro demanio, inde prout dictum est habeat. Clericos . . . . Barensis parrochie tam Grecos quam Latinos ab angariis et aliis servitiis liberos esse volumus et totius exactionis curie et baronum nostrorum expertes. Nec liceat baronibus expellere clericos, habitatores videlicet terrarum suarum, nisi speciali mandato nostro. Confirmamus etiam eidem Barensi presuli ecclesiam Sancte Palagie cum universis possessionibus suis sine alicujus molestia perpetuo possidendam, nec non et ecclesiam Sancti Angeli que sita est in monte Joannacii cum terris suis que sunt per circuitum ipsius montis et ejusdem ecclesie constitute; imperialis liberalitatis gratia concedentes ut liceat predicto archiepiscopo et successoribus suis hospitari (*sic*) casale in planitie dicti montis Joannacii prope ipsam ecclesiam Sancti Angeli ad opus Barensis presulis in perpetuum libere et quiete tenendum et sine servitio vel molestia possidendum. Ad instantiam quoque predicti et sepedicti Doferii venerabilis archiepiscopi, auctoritate nostra statuimus et donamus ut quia civitas Catera que est in Dalmatia suffraganea est Barensis archiepiscopi, quod ad honorem regni nostri noscitur redundare, quotiescumque Catarenses cives ad partes Apulie venerint, de quibuscumque fuerint impediti non respondeant nec satisfaciant nisi in curia Barensis ecclesie. Concedentes etiam obtentu ipsius archiepiscopi ut ab exactione ancoratici et plateatici

quod de navibus eorum et de mercimoniis suis in portu et civitate Barensi tenebantur hactenus bajulis nostris exsolvere, liberi sint ipsi Cattarini penitus et immunes. Ad cujus autem concessionis, confirmationis et constitutionis nostre memoriam et inviolabile firmamentum presens privilegium nostrum conscribi et majestatis nostre sigillo cereo jussimus roborari, anno, mense, indictione subscriptis. Anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto, mense novembris, indictionis quartedecime, regnante domino nostro Henrico sexto Dei gratia magnifico Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie gloriosissimo, anno regni ejus vigesimo quinto, imperii vero quinto et regni Sicilie anno primo, feliciter. Amen.

Nos igitur supplicationes tuas, venerabilis archiepiscope, de solita benignitatis nostre clementia diligentius admittentes, illius intuitu per quem feliciter vivimus et regnamus, ob salutem animarum supradicte matris nostre domine imperatricis ac domini imperatoris patris divorum augustorum [parentum] nostrorum, supradictum privilegium de verbo ad verbum renovari mandavimus, et tibi ac ecclesie Barensi, sicut eo uti tempore predicte matris nostre consuevit, illud de gratia nostra in perpetuum confirmamus, salvo mandato et ordinatione nostra. Ut igitur hec nostra renovatio et confirmatio firma semper et inconcussa permaneat, presens privilegium per manus Johannis de Capua notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum apud Ferentinum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense marcii, undecima indictione, imperii domini nostri Frederici Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno tertio, regni vero Sicilie vigesimo quinto, feliciter. Amen.

Apud Ferentinum, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, Andreae Barensi archiepiscopo in perpetuum concedit et confirmat casale Latertiam, Meduneum, et canale in terra Bari cum quibusdam aliis donationibus ibidem expressis.

(Edidit Garruba, *Serie crit. de' sacr. past. Baresi*, t. I, p. 242, ex transumpto authent. ann. 1272, n° XI. — Originale ut ibidem notatur, erat sigillatum sigillo imperatoris cereo cum filis sericis rubri et citrini coloris.)

Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Ex innate nobis mansuetudinis gratia nascitur et consueta benignitate procedit, illius intuitu cujus clementia preside gubernamus, sacrosanctas ecclesias munifica liberalitate prospicere et congruis beneficiis ampliare. Inde est quod nos diligentius attendentes fidem sinceram, devotionem puram nec non assidua grataque servitia que tu Andrea, venerabilis Barensis archiepiscope, dilecte familiaris et fidelis noster, majestati nostre dudum fideliter exhibere curasti et exhibes incessanter, volentes tibi tanquam benemerito providere, de gratia et consueta munificentia nostra perpetuo damus, concedimus et confirmamus tibi, successoribus tuis et Barensi ecclesie in perpetuum casale quod dicitur Latertia quam tenuit Riccardus Logotheta et Meduneum et canale in terra Bari quod est sub monte Joanacii cum omnibus justis tenimentis et pertinentiis eorum, salvo servitio quod de dictis casalibus curie nostre debetur. De habundantiori etiam liberalitate nostra damus, concedimus et confirmamus tibi, successoribus tuis et Barensi ecclesie in perpetuum totam terram que nobis (*a*) pertinet ubi non sunt domus, que est in ambitu muri civitatis nostre Bari juxta portum et undique circa murum, et campum in quo frumentum venditur in dicta civitate et terram vacuam que

(*a*) In impresso *vobis*, male.

est juxta domum Recuperi ante domum Peccinati (*a*) in qua liceat tibi et successoribus tuis libere construere et habere ad opus ecclesie tue apothecas, non obstantibus concessionibus et donis si qua de predictis omnibus contra hanc nostram donationem, concessionem et confirmationem privilegia apparebunt. Statuentes ut quecumque persona magna vel parva hanc nostram donationem, concessionem et confirmationem violare vel modo quolibet attemptare presumpserit, centum libras auri componat, quarum una medietas fisco imperiali, altera injuriam passis persolvatur. Ad hujus autem donationis et concessionis nostre memoriam et inviolabile firmamentum, presens privilegium per manus Johannis de Capua notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum apud Ferentinum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense martii, undecima indictione, imperii domini nostri Frederici Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno tertio, regni vero Sicilie vigesimo quinto, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, Andreae archiepiscopo Barensi et successoribus ejus in perpetuum confirmat donationem huic ecclesiae factam a Frangali de Bitricto de castro Bitricti si sine descendentibus legitimis decesserit. Apud Ferentinum, martio.

(Edidit GARRUBA, *Serie crit. sacr. de' past. Baresi*, tom. I, p. 289, ex transumpto authentico ann. 1272, n° VIII. — Originale munitum erat sigillo imperatoris cereo cum filis sericis rubri et citrini coloris.)

Fredericus divina clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Ex innate nobis mansuetudinis, etc. Inde est quod certis

(*a*) In altero autem privilegio mensis julii 1210 legitur *Picciniati*.

et approbatis assertionibus quorumdam proborum hominum nostrorum fidelium veraciter cognoscentes quod castrum Bitricti, etc. [*Sequitur de verbo ad verbum sicut in priori privilegio, anno* 1210, *mense julio, quod supra exhibuimus, nisi quod* tu Andrea venerabilis Barensis archiepiscope, *et inde sequitur usque ad*] per manus Johannis de Capua (*a*) notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum apud Ferentinum, [anno] dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense martii, undecima indictione, imperii vero domini nostri Frederici Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno tertio, regni vero Sicilie anno vigesimo quinto, feliciter. Amen.

Apud Ferentinum, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, Guidonem priorem et fratres eremi Camaldulensis cum bonis et hominibus eorum sub imperiali protectione sua recipit, omnesque ipsorum possessiones confirmat, mandans nuntiis suis ut sine dilatione et difficultate iisdem in quibuslibet causis justitiam exhibere faciant, sub poena viginti quinque librarum auri a contrafacientibus solvendarum.

(Memorat. ap. MITTARELLI et COSTADONI, *Annal. Camaldul.*, t. IV, p. 279, juxta excerpta Baroncinii ex tabulario Fontisboni, *privileg.* 53, A. 3. 44.)

Datum apud Ferentinum (1), anno dominice incarnationis MCCXXIII, mense martio. . . . .

(*a*) In impresso *de Campo*, male.

(1) Dicunt Camaldulenses in impresso privilegium ex Faventina urbe fuisse datum. Nil tamen dubium quin verba originalia *apud Ferentinum* Baroncinius ita male legerit et transcripserit *apud Faventiam*.

Fridericus, Romanorum imperator, omnes concessiones ab antecessoribus suis ecclesiae Hamburgensi et monasteriis ad hanc dioecesim pertinentibus indultas confirmat cum omnibus quae possident et in antea adipisci poterunt. Sorae, 19 martii.

(Ediderunt STAPHORST, *Hamb. kirchengesch.*, pars 1ª, p. 687. — LAPPENBERG, *Hamburgisches Urkundenb.*, p. 405, nº CDLXII, ex originali unde cereum sigillum appendet.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis imperii principibus hoc scriptum inspecturis salutem et omne bonum. Qui a mundiali potestate quibuscumque rogantium necessariis suffragari festinant, divinam sibi nichilominus refragari clementiam certissime sciant. Ideoque non dedignamur affectum ad nos confugientium perducere ad effectum clementer, quia ob hoc temporalis regni modificationem nobis pariter speramus et amplificationem eternalisque profuturam perpetuo perhennitatem. Unde noverit omnium vestrum tam presentium quam futurorum sagacitas quod Hamenburgense capitulum nostre serenitatis excellentiam adiens a nostra pietate talem ecclesie sue et aliarum ecclesiarum diocesis sue petierunt libertatem et tuitionem qualia (*sic*) ceterarum ecclesiarum monasteria noscuntur habere, et ut antecessorum nostrorum imperatorum sive regum renovare dignaremur privilegia et confirmare antiquitus ecclesie sue concessa. Et quia justa et rationabilis eorum videbatur esse petitio et quia in extremis imperii terminis pene sunt constituti, ad preces fidelium principum nostrorum et comitum nobis presentium, in honorem sancte Dei genitricis Marie cui idem locus consecratus est, eidem loco Hamenburgensi supradicto concedimus concessiones quas ipsi antecessores nostri reges sive imperatores primitus concesserunt, scilicet Lodewicus rex, Otto et Otto filius ejus, Heinricus et Heinricus,

Conradus et Fridericus avus noster, omnibusque monasteriis ad hanc diocesim pertinentibus, id est Ramesle, Bersen et Bucken, et si qua in terminis premissis futura sunt in ipsa diocesi, ut sint sub nostra tuitione perpetualiter, et quicquid possident nunc vel deinceps justis modis poterint prestante Domino adipisci ipsis et ipsorum archiepiscopo libere serviat, omni judiciaria potestate remota. Concedimus quoque ut nullus dux vel marchio vel comes vel alia quelibet judiciaria potestas aliquam sibi vendicet in supradictorum monasteriorum hominibus potestatem, litis videlicet et colonis, et ne aliquis eos capitis banno ob furtum vel alio quolibet banno constringat aut aliquod servitium facere cogat, nisi advocati prenominati archiepiscopi quos archiepiscopus ipse constituat homines predictos banno capitis ob furtum recte faciendo constringant. Donamus quoque predicte Hamenburgensis ecclesie canonicis liberam potestatem eligendi inter se sive aliunde archiepiscopum cum necessitas expoposcerit, sicut antecessores nostri ipsis concesserunt. Personas quoque ipsius loci et omnia bona ipsorum, villas, agros, decimas, prata, campos, fluvios et nemora que nunc possidet aut in futurum potuerit acquirere ipsis et ecclesie sue confirmamus. Et ut hoc nostre auctoritatis preceptum firmum et stabile permaneat, cartam hanc presentem conscribi et sigilli nostri appensione fecimus roborari.

Datum Sore (1), anno M°CC°XX°III°, imperii nostri anno III°, XIIII kalendas aprilis, XI° indictione.

Hujus rei testes sunt Albertus Tridentinus episcopus (2), Guilermus

---

(1) « Imperator accepta a papa licentia in regnum rediens et iter per Soram habens Celanum » vadit. » Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

(2) Istum autem Albertum paulo post in Tuscia legatione fungentem invenimus in instrumento inedito ap. archivum comm. Senarum, *Caleffo Vecchio*, fol. 148 recto, ubi confitetur se a provisoribus communis Senensis recepisse septuaginta marcas argenti pro censu imperiali annuo :

« Anno domini millesimo CCXXIII, indictione XI, die quarto kalendas madii. Ego Albertus » episcopus Tridentinus, Tuscie legatus, confiteor me recepisse et in veritate recepi a vobis » Scolaio Camerario et Incontrato et Saladino Judice, Forzore Abrei et Tornampullia proviso » ribus comunis Senensis, pro hoc anno signorie et potestarie domini Bonifatii Bononiensis, » solventibus pro eodem domino Bonifatio potestate Senensi nomine comunis et pro comuni

marchio Montisferrati, Diupoldus marchio de Vohenburch, Reinaldus dux Spoleti, Bertoldus frater ejus, Heinricus comes de Everstein, Heinricus comes de Hartesborch, Sifridus comes de Vienne, Hermannus magister domus Teutonicorum, et alii quamplures tam imperii quam regni magnates.

Signum domini Friderici invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie (*Monogramma.*) (1).

Fridericus, Romanorum imperator, Coloniensi archiepiscopo, cui ecclesiam beati Servatii apud Trajectum manutenendam commisit, mandat ut eamdem inducat in corporalem possessionem areae quam memoratae ecclesiae concessit. Apud Soram, 20 martii.

(Inedit. ex chartul. S. Servat. in Biblioth. reg. Paris., tom. II, f. 43 recto, ubi male legitur *Ferdinandus*.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, venerabili Coloniensi archiepiscopo, fideli principi suo, salutem et omne bonum. Cum ecclesiam beati Servatii apud Trajectum quam speciali quadam prerogativa diligimus, auctoritate nostra manutenendam tibi commisimus, dilectioni tue presentibus litteris mandamus quatenus

---

» Senensi et universitate Senensi, LXX marchas argenti ad pondus et marcham Coloniensem,
» que debebant domino Frederigo imperatori solvi in istis proximis kalendis madii pro censu;
» et promitto vobis sub pena dupli de dictis LXX marchis pro hoc anno michi solutis per me
» vel per alium nullam litem vel repetitionem vel brigam facere nec movere, renuntians
» exceptioni non ponderati et habiti argenti et omni legum auxilio. Actum Senis, coram Bona-
» taccha Tacche, Bonifatio Tommasio Aviti civibus Senensibus et domino Henrigo de Cano
» Tridentino, comite Arrigo de Ubtiltia, domino Bertuldo de Venaga, domino Petro de Malusco
» jurisperito et Arrigo camerario domini episcopi Tridentini testibus. Ego Forensis notarius
» predictis interfui et rogatu dicti episcopi Tridentini scripsi et in publicam formam redegi. »

(1) Licet ordo formae in hoc documento a solita redactione divertat, nihil est quod authenticum minus judicetur.

in area quadam ecclesie ipsi vicina in qua domus quedam ab antiquo fundata fuisse dinoscitur, quam ipsi ecclesie concedimus (1) in remedio animarum antecessorum nostrorum et nostre, auctoritate nostra defensor ipsius existas ut in corporalem imperiali auctoritate possessionem eamdem inducere studeas, et inductam, sicut tue fidelitati confidimus, defensare.

Datum apud Soram, XIII° kalendas aprilis (2).

Martio.

Mense martio in Gaieta, Neapoli, Aversa et Fogia (3) jussu Cesaris castella firmantur; Serniae moenia diruuntur. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

In obsidione Celani, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, praepositum et conventum monasterii Sanctae Mariae de Luco, cum ecclesiis, hominibus et bonis ejus sub protectione et defensione sua speciali recipit.

---

(1) Vid. supra documentum p. 307.

(2) Deest indictionis nota; sed facile suppletur ex documento praecedente.

(3) Hoc eodem anno Fridericus splendidum apud Fogiam palatium construi jussit; unde superest adhuc inscriptio quae sequitur :

SIC CESAR FIERI IUSSIT OPVS ISTVM PTO BARTHOLOMEVS SIC CONSTRVXIT ILLVD.

ANNO AB INCARNATIONE MCCXXIII MENSE IVNII XI INDICTIONE REVERENDO DOMINO NOSTRO

FREDERICO INPERATORE ROMANORVM SEMPPER AVGVSTO ANNO III ET REGE SICILIE ANNO XXVI.

HOC OPVS FELICITER INCEPTVM EST PREPHATO DOMINO PRECIPIENTE.

HOC FIERI IVSSIT FREDERICUS CESAR VT VRBS SIT FOGIA REGALIS SEDES INCLITA IMPERIALIS.

Cf. *Recherches sur les monuments et l'histoire de la mais. de Souabe dans l'Ital. méridionale*, p. 63, et tab. XVIII, et Perifano, *Cenni stor. su Foggia*, p. 65 et seqq.

(Inedit. in archiv. monast. Montis Cassini, Cod. diplomat. MSS. tom. II, et iterum tom. V, ad ann. 1223; ex originali unde pendebat sigillum cerae rubrae.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Divine pietatis intuitu in cujus nomine vota nostra dirigimus et omnem dispositionem imperialem feliciter communimus, sacrosanctas ecclesias et religiosa monasteria regni nostri dignum duximus reverenter colere, ipsarum jura fovere et earum indemnitati et paci nunc et in posterum salubriter providere. Inde est quod nos attendentes devotionem sinceram et fidei puritatem Thomasii venerabilis prepositi Sancte Marie de Luco fidelis nostri, de innata celsitudinis nostre gratia personam ejus, monasterium ipsum Sancte Marie, conventum, ecclesias, homines, possessiones et bona omnia, que idem monasterium nunc juste tenet et possidet aut in antea justo titulo poterit adipisci, sub protectione et defensione nostri culminis recipimus speciali, universis fidelibus nostris de regno presentium auctoritate mandantes quatenus nullus sit qui predictum prepositum et monasterium suum Sancte Marie, conventum, ecclesias, homines, possessiones et bona omnia que idem monasterium juste nunc possidet et in antea justo titulo poterit adipisci, indebite molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus autem protectionis nostre memoriam et inviolabile firmamentum, presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum in obsidione Celani, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense martii, undecime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Margaritam abbatissam et conventum monasterii Sanctae Mariae et Sanctorum Matthaei et Antonii Cisterciensis ordinis extra civitatem Asculi apud Montem Ulmi cum omnibus bonis earum sub sua protectione speciali recipit. In obsidione Celani, aprili.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacr.*, tom. I, col. 463, 464.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. In eminenti imperiali solio constituti tanto propensiori cura intendere debemus ad protegendas Dei ecclesias et favendas et precipue loca religiosa in quibus Dei cultores pro nostra omniumque salute apud divinam majestatem interpellant, quanto nos Dei clementia pre aliis orbis principibus exaltavit et ipsius ineffabili providentia nostri status imperii gubernatur. Inde est quod nos attendentes honestatem et religionem ac conversationem laudabilem Margarite venerabilis abbatisse ac conventus monasterii sancte Dei genitricis Marie, sancti Matthei apostoli et sancti Antonii, Cisterciensis ordinis, siti extra civitatem Asculi apud montem Ulmi, ob reverentiam ipsius genitricis Dei et beatorum Matthei et Antonii ad quorum honorem monasterium ipsum noscitur esse fundatum, pro nostra salute et remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum, abbatissam et conventum predictum ac omnes eis regulariter succedentes et monasterium ipsum cum omnibus possessionibus et bonis que in presentiarum rationabiliter possidet aut in futurum justo titulo poterit adipisci sub protectione nostre celsitudinis recipimus speciali; abundantiori quoque gratia majestatis nostre donamus et confirmamus eidem monasterio in perpetuum tenimentum quod habet in dominio et grangiam sancti Salvatoris de Sexto, grangiam de Pantano et grangias et possessiones alias quas habet in valle Tronti et alia bona sua, sicut ea omnia in presenti rationabiliter habet et in futurum justo titulo poterit adipisci, presenti imperiali edicto districtius inhibentes ut nulla persona humilis vel alta in monasterium ipsum insultum facere vel illud datiis, collectis aut aliis exactionibus aggravare, infra clausuram ipsius monasterii aut grangiarum suarum rapinam seu furtum facere aut ignem apponere, sanguinem effundere, hominem temere capere vel interficere seu etiam exercere, vel abbatissam et moniales prefatas seu conversos ipsius monasterii in bonis vel rebus monasterii ejusdem indebite molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostre celsitudinis se noverit incursurum, et in sue transgressionis penam centum libras auri optimi componat, medietatem camere nostre et reliquam medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus autem protectionis, concessionis et con-

firmationis nostre memoriam et perpetuam firmitatem, hoc presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in obsidione Celani, anno dominice incarnationis MCCXXIII, mense aprili, undecime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Guillelmo marchioni Montisferrati consanguineo suo et haeredibus ejus concedit in perpetuum quidquid ad se spectabat in castello de Pecetto, in Ponzano juxta Petram, in Monte Castelli, in Castelleto vallis Urbae et apud Alexandriam, eidem qualescunque rationes in eisdem locis et omnia privilegia a suis antecessoribus indulta confirmans. In obsidione Celani, aprili.

(Memorat. et extract. a BENVENUTO DE S. GEORGIO, ap. MURATORI, *Script. rer. Ital.*, t. XXIII, p. 380. Testes et notas chronologicas ad solitam formam latino sermone redegimus.)

. . . . presens privilegium per manus Philippi de Salerno notarii et fidelis nostri scribi et bulla aurea typario majestatis nostre impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt . . . Panormitanus archiepiscopus, . . . Tarentinus archiepiscopus, Rainaldus dux Spoleti, . . . marchio de Faveburgh (Fohenburg), Henricus de Malta comes (1), Mattheus de Romania secretarius et familiaris noster.

---

(1) Unde liquet tunc temporis comitem Henricum in imperatoris gratiam jam fuisse reformatum. Cf. supra, p. 202, not. 1. Huic rei sat bene convenire arbitramur epistolam quae legitur ap. PETR. DE VIN., lib. VI, cap. X : « Tenore presentium notum facimus universis, quod » nos attendentes merita fidei quam ad nos et imperium specialiter dudum Henricus comes de » *N.* habuit, rerum dispendia et persone periculum non vitando, licet se modico tempore a » servitiis nostris instinctu alicujus suggestionis averterit : quia tamen duximus gratiose tam » devotum revocare subjectum et in plenitudinem nostre gratie reformare, ipsum, respectu

Datum in obsidione Celani, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense aprilis, indictione undecima, anno imperii tertio et regni Sicilie vicesimo (a) [sexto]. . . .

In obsidione Celani, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium monialium Sancti Georgii apud Salernum cum omnibus possessionibus huc pertinentibus in sua speciali protectione suscipit.

(Memorat. ap Boehmer, *Regest. imper.*, p. 125, n° 515, ex originali apud Salernum a Bethmanno communicato.)

Datum in obsidione Celani, anno dominice incarnationis MCCXXIII, mense aprili, undecime indictionis.

Apud Piscariam, 24 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, papae scribit post suum ante Celanum personalem adventum, comitem hujus loci arctius fuisse obsessum (1); se tamen ut pax undique ad sacram expedi-

(a) Ap. Benvenutum *e dell' imperio vigesimo*, male.

» antique fidei quam in magnis necessitatibus nostris pro nostri honoris nomine inviolabiliter
» observavit, in gratiam nostre recepimus majestatis : remittentes ei omnem offensam et cul-
» pam quam pro mutatione presenti noscitur commisisse, etc. »

(1) De rebellione comitis Molisii, vide supra, p. 248, not. 3 et 272, not. 1. Comitissa autem Molisii ab Acerrarum comite apud Roccam Magenul obsessa anno praecedente, cum se diutius tenere non posset, accepta pro se et suis securitate personarum et rerum, roccam ipsi comiti ad opus imperatoris restituerat. Imperator tunc in obsidione Celani constitutus comitissam cum filio ejus ad se accersivit et per eam comitem Molisii ad deditionem incitare voluit. Sed cum hoc obtinere non posset, muniri optime jubet et custodiri collem Sancti Flaviani et ipse se in Apuliam confert, relictis in manus Henrici de Morra magistri justitiarii comitissa et ejus filio. Interea ipso adhuc agente circa fines Apuliae, inter Cesarem et comitem Molisii compositum est, mediante Romana Ecclesia. Cf. Ricc. de S. Germ., *Chronic., ad ann.* 1223.

tionem melius instituendam restauraretur, compositionem cum eo fecisse, qua isti comiti, Raynaldo de Aversa et omnibus qui cum eis fuerunt securitas de personis et rebus mobilibus datur, ea conditione quod idem comes infra mensem augustum de regno recedet; pro parte sua se praedicta servaturum Ecclesiae promittit, rogatque ut Ecclesia in se eadem recipere velit, nuntium cum potestate delegando qui comitem salvum ducat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, ex copia quam Pertz in regestis Vaticanis transcripsit.)

Datum apud Piscariam, XXIV aprilis, indictionis XI.

Fridericus, Romanorum imperator, papae mittit formam concordiae quam fecit cum comite Thomasio de Celano, in qua comprehenduntur Raynaldus de Aversa et omnes qui contra se eidem comiti adhaeserunt. Apud Piscariam, 25 aprilis.

(Edid. Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 250, ex Honor. III regest., vol. IV, fol. 75-77, ann. VII, n° 230.)

Beatissimo patri domino Honorio, Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fridericus, etc. Quia cuncta negotia nostra que actore Domino terminamus ad audientiam et notitiam vestram volumus pervenire, ecce quod formam concordie quam cum comite Thomasio de Celano fecimus, sanctitati vestre presentis scripti serie declaramus, cujus continentia talis est : — Dominus imperator restituit comiti Thomasio, filiis suis, Raynaldo de Aversa et omnibus qui cum eis sunt vel fuerunt hactenus gratiam suam, remittens eis omnes questiones et omnes objectiones que eis ab aliquibus objici possent tam pro domino imperatore quam pro aliquo alio homine, de omnibus que commiserunt hucusque; con-

cessit etiam eis et omnibus qui cum eis sunt vel fuerunt ut omnia mobilia que habent tam apud se quam apud alios, tam in deposito quam pignore, salva sint et secura ad opus eorum. Et si aliqui eorum qui res ipsas habuerint ad restituendum contradicere vellent, dominus imperator debet eos cogere ad restitutionem. Persone comitis et omnium supradictorum debent esse salve et secure per manus Romane Ecclesie; dictus vero comes debet reddere castra que tenet, scilicet turrim Celani, serram Celani, Ovinulum et sanctum Potitum in manibus domini imperatoris vel nuntii qui pro parte domini imperatoris fuerit constitutus. Dominus imperator debet restituere omnibus vasallis qui cum eodem comite fuerunt vel sunt tam clericis quam laicis, tam illis qui sunt in regno quam illis qui sunt extra regnum, omnia feuda et patrimonia eorum que juste tenuerunt et possiderunt antequam guerra inciperetur inter dominum imperatorem et dictum comitem, salvo servitio quod inde debetur. Comes debet jurare domino imperatori quod si rex Ierosolimitanus in proximo passagio transierit, et ipse transibit et morabitur in ultramarinis partibus per tres annos. Si vero rex non transierit, ipse comes in proximo augusto recedet de regno et ibit in Lombardiam et de Lombardia non recedet ut regno appropinquare debeat, nisi cum voluerit ultra mare transire; et postquam transierit, debet moram facere per tres annos; infra quos tres annos si dominus imperator transfretaverit, comes donec dominus imperator in partibus ultramarinis fuerit, non recedet sine speciali mandato suo; sed si contingeret dominum imperatorem reverti, extunc si comes revertitur, extra regnum ubi voluerit permanebit, nec regnum sine speciali mandato domini imperatoris intrabit. Comes filium suum et filium Renaldi de Aversa dabit in manus magistri Theutonicorum, tali tenore quod si forte comes sacramentum predictum non observaret, domus Theutonicorum filium dicti comitis in manibus domini imperatoris vel ejus nuntii assignabit; et filium Renaldi de Aversa similiter assignabit, si Raynaldus sacramentum quod domino imperatori faciet non servaret. Si vero aliquis vassalorum jamdicti comitis vellet ire cum eo, quicumque remanet loco sui redditus terre sue percipiat tanquam si terre dominus presens esset. Et si aliquis ipsorum qui cum comite sunt voluerit cartam specialem securitatis habere, dominus impe-

rator ei fieri faciet. Dominus vero imperator debet dare comiti Thomasio, uxori ejus et suis heredibus in perpetuum comitatum Molisii cum civitatibus, baroniis, feudis et cum omnibus pertinentiis, justitiis et rationibus suis tam in demanio quam in servitio, salvo servitio quod inde debetur, preter fortelitias castrorum quas ipse dirui voluerit et preter Roccam Buani tantum, quam dominus imperator in manus suas tenebit donec imperator ab ultramarinis partibus revertetur. Dictus autem comes non serviet de demanio comitatus donec extra regnum fuerit; et si aliquis baronum comitatus nollet eidem comiti servitium facere sicut debet, dominus imperator debet ipsum cogere ad faciendum. Concedit etiam dominus imperator eidem comiti et heredibus suis justitiariatum comitatus ejusdem cum omnibus justitiis et rationibus justitiariatui pertinentibus, preterquam de baronibus et militibus comitatus ipsius; qui licet velit quod de omnibus que ad justitiariam pertinent, eidem comiti respondeant et intendant, tamen ut fides et devotio quam imperatorie serenitati opponendo se predicto comiti constanter et firmiter servaverint ipsis prodesse in aliquo videatur, statuit quod cum aliquis ipsorum de aliqua causa appellatus fuerit pro qua honorem, personam et terram amittere debeat, questio coram comite vel coram eo qui pro comite fuerit ventiletur, comes vero vel ille qui statutus fuerit loco sui que ex utraque parte proposita fuerint vel allegata in scriptis redigi faciet et domino imperatori vel ejus curie presentabit. Curia vero domini imperatoris juxta quod ordo juris exegerit et expedire decreverit sententiam promulgabit. Et ut donatio ipsius comitatus firma et rata permaneat, dominus imperator faciet fieri dicto comiti privilegium bullatum bulla aurea, juxta ordinationem magistri domus Theutonicorum. Faciet etiam dominus imperator restitui dicto Raynaldo de Aversa patrimonium suum et omnia que juste possedit antequam guerra inciperetur, salvo servitio quod inde debetur. Et ut omnia ista que dicta sunt firma et rata permaneant, dominus imperator debet facere publicari omnia pacta coram baronibus et militibus exercitus et coram nuntiis quos comes super hoc miserit; videlicet quod dominus imperator ea que dicta sunt spontanea voluntate fecit et faciet inviolabiliter observari. Archiepiscopi vero et episcopi curie domini im-

peratoris, dux, marescalcus et omnes comites exercitus jurabunt super animas suas quod rogabunt et consulent sine malo ingenio dominum imperatorem quod omnia supradicta faciat observari; nec erunt in consilio quod pacta ista aliquatenus infringantur. Omnia vero pacta ista de verbo ad verbum dominus imperator scribi faciet et domino pape significabit et in fine litterarum debet dominus imperator promittere domino pape et cardinalibus quod omnia ista sine malo ingenio faciet et legaliter observabit. Ut autem que ex parte comitis dicta sunt inviolabiliter observentur, idem comes statim assignabit filium suum in manibus magistri domus Theutonicorum, tali tenore quod si vellet a pactis aliquatenus resilire, domus Theutonicorum assignabit filium jamdicti comitis domino imperatori vel ejus nuntio. Si vero contingeret quod Ecclesia Romana juxta preces imperatoris nollet hec super se recipere vel dominus imperator a pactis hujusmodi resiliret, domus Theutonicorum restituet comiti filium suum et in statu suo erunt omnia sicut prius.

Datum apud Piscariam, XXV aprilis, indictionis XI.

Apud Piscariam, 25 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, juxta formam concordiae initam papae et cardinalibus promittit ex parte sua omnia fideliter servanda quae promisit comiti Thomae de Celano, Raynaldo de Aversa et eorum fautoribus (1).

---

(1) « His ita gestis dictus comes cum suis ad Urbem se contulit; comitissa comitatum Mo- » lisii recipit; Celanensibus praecipitur, ut exeuntes de domiciliis cum supellectibus suis facere » in clausuris habitacula deberent. Quibus exeuntibus, Celanum totum est dirutum et combus- » tum, sola ecclesia Sancti Johannis superstite, sicque mutato nomine est *Cesarea* postmo- » dum appellata.

» [Circa finem anni] imperator comitatum Molisii in demanium revocat, pro eo quod comes » Molisii vocatus ab Henrico de Morra magistro justitiario venire coram eo noluit ad justitiam » faciendam.

» [Circa primos menses anni 1224] Henricus de Morra jussu imperiali Celanenses revocat

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, ex copia quam Pertz in regestis Vaticanis transcripsit.)

Datum apud Piscariam, XXV aprilis, indictionis XI.

Lucas archiepiscopus Cusentinus et Terrisius Cassanensis episcopus, vigore duorum mandatorum imperialium quorum tenor inseritur, inter abbatem conventumque de Flore et abbatem conventumque de Patiro litem dirimunt de quibusdam pascuis in partibus Silae. Apud Cotronum, 17 et 18 maii.

(Edid. Ughelli, *Italia sacra*, tom. IX, p. 212.)

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense augusti, XI indictionis, anno vero imperii domini nostri Frederici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti tertio, regni autem Sicilie XXV, regnique domini Henrici filii ejus eadem gratia gloriosissimi regis Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue XI, feliciter. Amen. Nos Lucas Dei gratia Cusentinus archiepiscopus et Terrisius Cassanensis episcopus presenti scripto notum facimus quod recepimus per manus domini Matthei venerabilis abbatis et conventus Floris imperiales litteras hanc seriem continentes :

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, venerabili archiepiscopo Cusentino et episcopo Cassanensi, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Conquesti sunt celsitudini nostre venerabilis abbas et conventus Florensis monasterii, fideles nostri,

---

» ubique dispersos ut ad propria redeant et redeuntes capit et in Siciliam mittit quos apud » Maltam dirigit imperator.

» [1227] mense julio, Celanenses omnes qui captivi in Sicilia tenebantur liberi dimittuntur » imperatore mandante. » Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad annos.*

quod cum abbati de Patiro et quibusdam fratribus suis ex parte nostra firmiter inhiberent sub pena centum librarum auri, prout in eorum privilegio a majestate nostra obtento plenius continetur, ne ausu temerario quoddam eorum tenimentum intrarent cum suis animalibus, ipsi eorum inhibitione contempta dictum tenimentum invadi fecerunt in eorum prejudicium et gravamen; ita quod in tenimento mandras fecerunt et animalia eorum ibidem pascendo repererunt et cum super hoc conquesti fuerint, nondum potuerunt sicut asserunt justitiam obtinere. Quare mandamus discretioni vestre quatenus partibus in vestra presentia convocatis, audiatis causam et eam studeatis mediante justitia fine debito terminare, ut pro defectu justitie neutra partium justam habeat materiam conquerendi.

Datum apud Cutronum (1), XVII maii, XI indictione.

Item recepimus imperiales litteras per manus venerabilis archimandrite et conventus monasterii de Patiro, quarum continentia talis erat:

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, venerabili archiepiscopo Cusentino et episcopo Cassanensi, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Venerabilis archimandrita et conventus monasterii de Patiro, fideles nostri, majestati nostre graviter sunt conquesti quod de quibusdam tenimentis que in partibus Sile monasterium ipsum longis retro temporibus habuit rationabiliter et possedit, per venerabilem abbatem et conventum Florensis monasterii sunt per violentiam spoliati; in quibus tenimentis quidam fratres sui a pastoribus Florensis monasterii fuerunt acriter verberati et quinquaginta oves et res alie ablate nequiter ab eisdem. Cum ergo inter personas ecclesiasticas et loca venerabilia hujusmodi violentie non debeant attentari, mandamus discretioni vestre quatenus convocatis partibus coram vobis, audiatis causam et eam studeatis mediante justitia fine debito terminare, ut justa super hoc ad audientiam nostram iterato querimonia non recurrat.

Datum apud Cutronum, XVIII maii, XI indictione.

Partibus ergo legitime citatis et in nostra presentia constitutis, alle-

(1) Scilicet *Cotrone*, apud Graecos celeberrima Croto, super Tarentinum sinum in ulteriori Calabria.

gata utrinque audivimus diligenter, cumque prefixissemus utrique parti terminum ad probandum que proposuerant coram nobis. . . . . terminum vel ad diffinitivam sententiam veniretur, devenerunt ad concordiam in hunc modum. Venerabilis quidem abbas et conventus Floris dedit venerabili archimandrite et conventui ac monasterio Patiri in perpetuum libera pascua pro quibuslibet animalibus suis et pastorum suorum in Sila, in tenimento quod dicitur Trium Capitum, sine damno et impedimento ejusdem monasterii Floris et aliorum qui pro eodem monasterio laboraverint in tenimento ipso, quod continetur infra fines tenimenti concessi monasterio Floris per imperiale privilegium quod in nostra presentia fuit ostensum. Cujus utique tenimenti Trium Capitum sunt isti fines. Incipit a vado fluminis Neti quod est subtus castellum de Sclavis et vadit per viam publicam usque ad ecclesiam Sancti Nicolai de Trigia et ascendit in directum ad serram Trium Capitum et ascendit in directum ad aream picatam et inde ad flumen Neti et ascendit flumen usque ad vadum predictum quod est subtus castellum de Sclavis et concludit. Pro quibus pascuis predictus archimandrita et conventus Patiri obligaverunt se et successores suos predicto abbati et conventui ac monasterio Floris reddere annuatim pro censu in festo Natalis Domini monasterio eorum lagenas boni et puri olei quinque, capientes singulas milagines binas ad justam mensuram Rossani. Ad judicium ergo rei geste taliter coram nobis et robur perpetuo valiturum duo similia instrumenta fieri fecimus per manus dilecti filii Guillelmi canonici Cusentini, nostra et assessorum nostrorum subscriptionibus sigillorumque appensione munita. Sane ad certiorem hujus compositionis evidentiam et perpetuam partium firmitatem placuit et de consilio fuit ut instrumento assignato archimandrite Patiri subscriberent abbas et duodecim monachi Floris cum appensione sigilli sui, et instrumento assignato monasterio Floris subscriberent archimandrita et duodecim monachi Patiri cum appensione sigilli sui, anno, mense et indictione premissis. — Lucas Dei gratia Cusentinus archiepiscopus subscripsi. — Terrisius Dei gratia Cassanensis episcopus subscripsi. — Ego Michael Cusentinus decanus. — Ego Johannes de Thetis Cusentinus archidiaconus. — Ego Guillelmus Cassa-

nensis thesaurarius subscripsi. — Ego frater Mattheus dictus abbas Floris propria manu subscripsi et sigillum impressi.

[Sequuntur signa duodecim monachorum monasterii Floris.]

Apud Cotronum, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Basilii Rossanensis archiepiscopi, quaedam privilegia ducum Rogerii et Guillelmi regisque Rogerii avi sui sibi ostensa et de graeco in latinum translata nec non aliud privilegium imperatricis matris suae eidem ecclesiae de decimis, redditibus et Judaeis Rossani indulta, renovat et in perpetuum confirmat.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacra*, tom. IX, p. 297.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Dignum esse decernimus et saluti nostre cognoscimus expedire ut illis ecclesiis favorem imperialis mansuetudinis impendamus, quas predecessores nostri duces regesque Sicilie pio studio coluerunt, et eas perpetue stabilitatis munifico munimine confirmare cum pietatis et devotionis intuitu eorum pia et salubris consideratio ipsis ecclesiis erogatur. Inde est quod tu Basilius venerabilis Rossanensis archiepiscopus, fidelis noster, coram nostra presentia constitutus sigillum quondam ducis Rogerii grecis firmatum litteris ostendisti in quo, postquam transferri jussimus in latinum, intelleximus contineri qualiter dictus dux omnes clericos qui fuerant in civitate Rossani omni molestia, exactione, datiis et angariis liberos faciebat, et quod dicti nulli baronum seu seculari persone aliqua tenerentur servitia exhibere, et quod suo archiepiscopo canonicam redderent consuetam. Ostendisti etiam aliud scriptum ducis Rogerii sacerdotibus Rossani indu tum per quod eos ab omnibus angariis, datione victualium, muratione castelli penitus eximebat et quod ab aliquo non requirerentur et quod archiepiscopo suo quod erat de con-

suetudine solverent; et bajulis Rossani et ecclesie firmiter inhibebat ut de cetero ipsis sacerdotibus aut filiis eorum nullam molestiam irrogarent. Ostendisti insuper aliud sigillum comitis Rogerii grecum similiter quod, in latinum transferri mandantes, aperte dicebat qualiter ipse sigillum prescripti ducis Rogerii renovando (*a*) confirmavit ecclesie Rossanensi et sacerdotibus ipsius civitatis omnes justitias suas, juxta quod a principio possederant cum fratribus et religiosis monasterii et cum omnibus adjacentibus et rationibus ecclesie Rossanensis et cum divisionibus, metis, aquarum conductibus et ceteris utilitatibus suis. Insuper ostendisti aliud sigillum regis Rogerii avi nostri in greco scriptum quo, translato postmodum in latinum, intelleximus quod dum dictus avus noster omnia sigilla ecclesiasticorum suo jussisset conspectui presentari, Dyonisius qui tum electus fuerat Rossanensis quoddam sigillum factum ab Adela (*b*) ducissa sibi presentavit in quo concedebat dicte ecclesie decimam omnium proventuum civitatis Rossani, et alium sigillum dicte ducisse per quod concedebat dicte ecclesie decimas Judeorum Rossani et tres Judeos filios Samuel qui dicuntur Cacoctenisti. Continebatur etiam in eodem quod presentaverat sibi sigillum supradicti ducis Rogerii continens sicut superius dictum est, et aliud sigillum ducis W. (*c*) qui confirmabat sigilla patris et avi sui secundum quod continebatur in eis et aliud sigillum altitudinis sue confirmando omnia supradicta. Ostendisti etiam nobis quoddam privilegium domine imperatricis matris nostre per quod ecclesie Rossanensi omnia privilegia et instrumenta sua nec non homines, possessiones, oblationes et universa tenimenta que ipsa ecclesia tunc temporis juste possidebat vel posset in antea justo titulo adipisci perpetuo confirmabat, et quasdam litteras ipsius matris nostre per quas bajulis Rossani firmiter dabat in mandatis ut decimas redditunm Rossani amodo archiepiscopo Rossani ad opus ecclesie sue persolverent, quia sic de suo beneplacitò procedebat. Insuper ostendisti nobis litteras Eugenii et Joannis

(*a*) Ap. Ughellium *revocando*, male.
(*b*) Ap. Ughellium *ab alia*, pessime.
(*c*) Ap. Ughellium *LL*, male. Hic agitur de Willelmo duce ducis Rogerii filio.

de Lentino magistrorum secretorum grecas (*a*) ac patentes eorumque sigillis munitas, quas transferri in latinum similiter facientes plene intelleximus qualiter ipsi a curia, videlicet a domina matre nostra, se mandatum recepisse fatebantur ut ecclesie Rossanensi decimam omnium proventuum et redditunm Rossani, Sancti Mauri et Judeorum Rossani facerent exhiberi; qui juxta mandatum quod receperant decimas ipsas ei assignari fecerunt, sicut in quaternionibus curie scriptum erat. Unde tu, predicte archiepiscope, humiliter supplicasti quatenus (*b*) supradicta sigilla, privilegium et scripta tibi et ecclesie tue renovando, sicut eis uti consuevit ipsorum temporibus ecclesia Rossanensis, tibi, successoribus tuis et ecclesie Rossanensi confirmare in perpetuum dignaremur. Nos igitur attendentes quantam devotionem et reverentiam supradicti duces, avus et mater nostra inclite recordationis erga Rossanensem ecclesiam habuerunt, ob remedium animarum ipsorum, pro salute ac incolumitate nostra, supplicationes dicti archiepiscopi benigne duximus admittendas ac predicta sigilla, privilegia et scripta, sicut superius sunt expressa, penitus renovantes ipsa et omnia que in eis continebantur tibi prefato archiepiscopo, successoribus tuis et ecclesie Rossanensi, sicut eis omnibus supradictis temporibus et usque ad obitum supradicte matris nostre uti consuevit pacifice et quiete ecclesia Rossanensis, de benignitatis nostre gratia in perpetuum confirmamus. Ad hujus autem renovationis et confirmationis nostre memoriam et robur in perpetuum valiturum, presens privilegium per manus Joannis de Trajecto notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Data apud Cotronum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense maii, XI indictione, imperii domini nostri Frederici Dei gratia illustrissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno III, regni vero Sicilie XXV, feliciter. Amen.

(*a*) Vox dubia, quum in impresso legatur *preces*.

(*b*) In impresso *quantum*, male.

Fridericus, Romanorum imperator, sub protectione sua recipit Aldiardam Sancti Cesarii Arelatensis abbatissam cum ejus monasterio, omnesque possessiones confirmat quarum praecipuae in hoc privilegio recensentur. Cotroni, maio.

(Inedit. ap. BONNEMANT, *Hist. et cartul. de l'abb. roy. de S. Césaire d'Arles*, 2ᵉ part., f. 10, MSS. Biblioth. Arelat., qui transcripsit ex originali in arch. S. Cesar., tit. V, quod nunc asservatur in archivo praefecturae Massiliensis.—Extat quoque cum altero infra exhibendo, ap. arch. comm. Arelat., *Eglise*, t. I, nº 86, transcriptum in privilegio imperatoris Caroli quarti, dato Prage, primo die octobris 1859. — Edidit, sed mendose, L. JACQUEMIN, *Guide du voyageur dans Arles*, p. 432, note.)

In nomine sancte Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, Aldiardie abbatisse Sancti Cesarii Arelatensis et monialibus ibidem Deo servientibus in perpetuum gratiam suam et bonam voluntatem. Vobis et universis imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris notum facimus quod nos de innata benignitate nostra et pro redemptione anime nostre et antecessorum nostrorum, monasterium vestrum Sancti Cesarii et Sancti Johannis in civitate nostra Arelatensi situm cum omnibus personis, rebus et pertinentiis suis in nostre majestatis specialem recipimus protectionem et defensionem, predicto monasterio per hos nostros apices confirmantes omnia que temporibus piissimi regis Conradi et aliorum imperatorum juste et pacifice possedistis et adhuc quiete possidetis, videlicet in civitate Arelatensi et ejus territorio domum Sancti Cesarii le Boarenc cum feudo Sancti Cesarii, sicut pretenditur a Guacheta per Bracolum Mejani usque ad Albaron (1) et exinde per Gabinum usque ad ecclesiam Sancti

(1) Hodie *L'Albaron* in Camargiis.

Cesarii Le Boarenc et inde ad Torum de Mejanes et redit ad Guachetam cum paludibus, pascuis, piscationibus et levatis; item dómum de Agon (1) cum omnibus pertinentiis suis in terris et vineis, stagnis, piscationibus, salinis et paludibus, sicut jungitur Petre de Rosel et volte de Agon et Gabino et stagno de Vaccares; item condaminas de Malmuzana et vineas et feodum de Muls; item domum de Granulet cum terris et vineis, piscationibus, venationibus, aquis, paludibus, pascuis, cum tenimento de Mesuvat et de Campoisel et cum raregiis de Badon a condamina de Canuaus et anglada de Trosenes; item clausum quod est inter cognetum Hugonis Fulconis et clausum Garini et clausum de Macapreveires; item territorium Ulmeti et Gastariam in corrigia de Trincataillas; item quidquid habetis juste in civitate Arelatensi et Crauo et Camargiis et Treboncio (2). Item confirmamus vobis in episcopatu Vasionensi castrum de Nions et castrum de Vinsobres et castrum de Mirabel cum omnibus pertinentiis suis; item in episcopatu Tricastrensi domum de Avisan cum pertinentiis suis; item possessiones quas juste habetis apud Algaudium et apud Robians (3) et apud Brignolam; hec omnia sicut ea juste possidetis cum omnibus adjacentiis suis et pertinentiis et omnia alia que juste acquisistis aut in posterum justis modis acquisieritis vobis et dicto monasterio libere ac quiete tenenda confirmamus et sub protectione nostra et deffensione recipimus. Item prohibemus ne quis comes aut marchio aut alia quevis secularis persona per se vel bajulos suos presumat homines aut loca ad monasterium vestrum pertinentia inquietare, punire vel quibuslibet collectis aut exactionibus aut superindictis gravare, sed omnia sint libera et celestibus usibus dedicata; statuentes etiam quod de cetero non liceat alicui archiepiscopo vel episcopo, duci, marchioni, comiti, vicecomiti, potestati seu consulibus vel

---

(1) Multi quidem valoris, dum constet ex instrumento vicesima septima die januarii anni 1556 redacto (quod citat Jacquemin, loc. supr. not.) Margaritam de Claromonte Sancti Cesarii abbatissam ad novum balium dedisse Ludovico Giraud civi Arelatensi hanc domum, scilicet *le mas d'Agon*, sub censa 225 sextariorum bladi, 200 florenorum et 12 pullorum altilium.

(2) Ita prorsus hodie commune Arelatense dividitur (*Crau*, *Camargues*, *Trebon*), cum quarta parte quae dicitur *Plan du bourg*.

(3) Rectius *Robions*, juxta Cavellionem in comitatu Avenionensi.

alii communitati seu etiam alicui persone humili vel alte, seculari vel ecclesiastice, hanc nostre concessionis et libertatis et confirmationis seu protectionis paginam infringere vel in aliquo violare. Quod quicumque facere presumpserit, quinquaginta libras auri pro pena componat, et medietatem camere nostre et reliquam medietatem injuriam passo. Ad cujus rei evidentiam, robur et memoriam presentem paginam conscribi jussimus et sigillo majestatis nostre communiri.

Hujus rei testes sunt Nicolaus Tarentinus archiepiscopus, Johannes abbas Casemarii, Raynaldus dux Spoleti, Riccardus camerarius et alii quamplures.

Signum domini Frederici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXIII, mense madii, indictione XI, imperante domino nostro Frederico Dei gratia Romanorum imperatore augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus III°, regni vero Sicilie XXV°, feliciter. Amen.

Datum Cotroni (*a*), anno et mense et indictione supradictis.

Fridericus, Romanorum imperator, sub protectione sua recipit Guillelmum abbatem Sancti Petri de Montemajore juxta Arelatem cum ejus monasterio, omnesque possessiones et donationes confirmat quarum praecipuae in hoc privilegio recensentur. Cotroni, maio.

(Inedit. ap. CHANTELOU, *Histor. monast. S. Petri Montismaj.*, fol. 263 et seqq., MSS. in bibl. Arelatensi.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie,

(*a*) Male scribitur *Cârron.* in copia privilegii Caroli quarti, et pejus etiam *Coronam* apud Jacquemin.

Guillelmo abbati Montismajoris et monachis ibidem Deo servientibus in perpetuum gratiam suam et bonam voluntatem. Vobis et universis imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris notum facimus quod nos ex innata benignitate nostra et pro redemptione anime nostre et antecessorum nostrorum, monasterium vestrum Sancti Petri de Montemajore cum omnibus personis, rebus et pertinentiis suis in nostre majestatis specialem recipimus protectionem et defensionem, predicto monasterio per hos nostros apices confirmantes omnia que piissimus rex Conradus et alii imperatores Romani eidem suis privilegiis confirmarunt: videlicet hoc quod dominus Leo apostolicus atque felicis memorie Otto imperator augustus ac soror Conradi regis Adalasia imperatrix dicto monasterio concesserunt, et insuper hoc quod Boso Arelatensis comes reddidit ipsi regi Conrado de terra Sancti Remigii de Francia, et in comitatu Vapinco cellam quam vocant ad motam Sancti Martini et in alio loco cellam Antonaves et in comitatu Aquensi Rocafraudosa et ad castellum quod dicitur Istrum ecclesias Sancti Petri et Sancti Martini cum terris, campis, vineis, salinariis, et terras quas nominant Sancte Marie Antipolis cum servis et ancillis et villam que dicitur Casaroso cum salinariis et in Martigo unum mas (a) quod vocant Venrosa et vallem quam nominant Sancti Petri cum tribus ecclesiis in loco qui dicitur Namarra et paludes quas vobis dederunt Lambertus et uxor ejus Galburgia consensu ac petitione G. comitis et fratris ejus Robaldi, sicut a vobis juste possidentur in circuitu ipsius Montismajoris et protenduntur a columnellis jacentibus in confinio urbis Arelatensis ubi sunt termini Sancti Petri et Sancti Cesarii et diriguntur ad columnam marmoream rectam et exinde clauduntur via Balciensi in qua jacent alie columnelle et iterum protenduntur usque ad Sanctum Johannem del Gres et ibi terminantur a columnellis fixis a termino Balciensi usque ad Castelletum; item ipsum Castelletum cum suo territorio et suis pertinentiis; item castellum Beduini (1) cum omni integri-

(a) In codice *vas*, male.

(1) Scilicet *Castellet* et *Bedouin*, in hac Franciae parte quae dicitur *département de Vaucluse*.

tate sua et pertinentiis suis. Confirmamus etiam vobis et dicto monasterio acquisitiones, sicut juste a vobis possidentur et acquisite fuerunt a tempore memorati piissimi regis Conradi, videlicet castrum de Miramans (?) cum integritate et pertinentiis suis, item castrum de Cornelione, item castrum Sancti Genesii de Ponte cum omnibus pertinentiis suis; item villam de Pellissana cum jure suo; item castrum Pertusii cum cessione quam de ipso vobis fecerunt W. de Sabrano et comitissa A. mater ejus pro se et suis in perpetuum; item castrum de Stoblono cum omni integritate sua et pertinentiis suis; item castrum de Paracollo et villam de Correns cum territoriis et pertinentiis suis; item castrum de Miramas cum cessione quam vobis fecit ejusdem castri R. de Balcio pro se et suis in perpetuum. Item quartam partem castri de Olariis, item medietatem ville Sancti Remigii, item castrum cum tota villa de Gravesons et ejus pertinentiis, item quartam partem castri de Cabannis, item castrum quod est subtus Auribel, item castrum de Montejovis, item quidquid habetis et juste possidetis in civitate Arelatensi et ejus territorio. Item honores Sancti Petri apud Tarascum et apud Buchet et apud Bellicadrum et apud Laborandam et apud Alegodes et apud Moleges et apud Avellonegas. Item honorem de Gobia et apud villam que Insula nominatur et apud Menanemas, item villam Cariloci, item villam Dolunne, item villam Sancti Salvatoris de Valbaines, item villam Sancti Joannis de Sala, item territorium Sancti Petri de Vals; item in comitatu Viennensi ecclesiam Sancti Antonii cum omnibus hiis que habet in villa Sancti Antonii et villa Sancti Stephani et villa Sancti Marcellini cum omnibus aliis pertinentiis suis; item villam de Lauzona cum integritate et pertinentiis, item castrum de Roi. . . . cum omni jure suo, item villam Sancti Joannis de Roins, item villam Sancti Justi, item villam de. . . . ., item villam Sancti Petri de Malavale, item villam de Gilgans, item villam Sancti Evodii, item dicta castra Pertusii et Miramas cum omni integritate et pertinentiis suis : hec omnia sicut ea juste possidetis cum omnibus adjacentibus et pertinentiis suis et omnia alia que juste acquisistis aut in posterum justis modis acquisieritis, vobis et dicto monasterio libere ac pacifice tenenda confirmamus et sub protectione et nostra defensione recipimus. Item pro-

hibemus ut nullus comes, marchio aut quevis alia persona, per se vel per bajulos suos, presumat homines aut loca ad monasterium pertinentia inquietare, punire vel quibuslibet collectis aut exactionibus aut superindictis gravare aut in ipsius monasterii locis presumat aliquis sine ejus consensu consulatus exigere aut aliquam dominationem vel potestatem pretextu confraternitatis aut cujusvis considerationis vindicare, sed omnia sua sint libera et celestibus usibus dedicata et homines ad ipsum monasterium pertinentes a solo abbate et bajulis suis pro suis excessibus puniantur. Statuimus etiam quod de cetero non liceat archiepiscopo vel episcopo, duci, marchioni, comiti, vicecomiti, potestati seu consulibus vel alicui communi vel etiam alicui persone humili vel alte, seculari vel ecclesiastice, hanc nostre concessionis et libertatis et confirmationis seu protectionis paginam infringere seu in aliquo violare. Quod quicumque facere presumpserit, quinquaginta libras auri puri pro pena componat, medietatem camere nostre et alteram medietatem injuriam passis. Ad cujus rei evidentiam et perpetuam firmitatem presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Nicolaus Tarentinus archiepiscopus, Joannes abbas Casemarii, Rainaldus dux Spoleti, Riccardus camerarius et alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXIII° (*a*), mense madii, undecime indictionis, imperante domino nostro Frederico secundo Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus tertio, regni vero Sicilie XXV°, feliciter. Amen.

Datum Cotroni (*b*), anno, mense et indictione prescriptis.

(*a*) In codice *MCCXXXIII*, male.

(*b*) In codice *Curon*. Qui quidem locus, forsan amanuensibus incognitus, hic male scribitur, sicut et in praecedenti documento.

Fridericus, Romanorum imperator, mandat archiepiscopo Arelatensi et episcopo Cavallicensi ut Willielmum de Sabrano, comitem Forcalquerii, jura monasterii Montismajoris temere invadentem auctoritate sua compescant, sibi rei seriem rescripturi. Apud Maidam, 23 maii.

(Inedit. ap. CHANTELOU, *Hist. monast. S. Petri Montismaj.*, f. 266, MSS. Bibl. Arelat. Memoratum quoque a POLYCARPO DE LA RIVIERE, *Annal. MSS eccl. civ. et com. Aven.*, lib. IV, vol. I, f. 769.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilectis fidelibus suis venerabilibus archiepiscopo Arelatensi et Cavallicensi episcopo gratiam suam et omne bonum. Ex conquestione venerabilis abbatis et conventus Montis Majoris nostre nuper innotuit majestati quod cum ipsi quedam concesserint W. de Sabrano comiti Forcalquerii et ipse convenerit eadem fore concessione contentus, prestito juramento quod contra conventionem suam aliquatenus non veniret, ipse religione juramenti contempta, jura monasterii invadere non veretur et eorum temere perturbare quietem; cumque nostra intersit ecclesias et loca religiosa pia devotione fovere et eis ad tuendum jura eorum favorabiliter non deesse, circumspectioni vestre precipiendo mandamus quatenus, si dictus comes ad cor redire noluerit et que predicto monasterio inferre non cessat invasionis gravamina, sicut debet et condecet, emendare, vos eum auctoritate nostra ab indebita ejusdem monasterii molestia compescatis, celsitudini nostre per vestras significaturi litteras ipsius rei seriem et processum, ut si expedierit debeamus indemnitati ejusdem monasterii consultius providere ac temeritatem persequentium refrenare.

Datum apud Maidam, XXIII° madii, XI° indictionis.

Mileti, 25 maii. Rogerius Miletensis episcopus, vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur, inquirit super querela Annae et Adelasiae et Johannis filii ejusdem Annae, qui in venditione quadam abbati Sancti Stephani de Bosco facta se deceptos fuisse asserebant, et perspecto venditionis instrumento, ab impetitione ista idem monasterium sententialiter absolvit.

(Edidit Capialbi, *Memorie della chiesa Militese*, append. n° XX, p. 152-154, ex pergamena originali.)

In nomine Domini. Amen. Anno ab incarnatione Domini MCCXXII[I], mense julii, indictione XI. Nos Rogerius miseratione divina Militensis episcopus. Presenti scripto pateat universis litteras domini imperatoris recepisse hanc seriem continentes :

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, venerabili episcopo Militensi fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Anna et Adelasia mulieres et Johannes filius ejusdem Anne, fideles nostri, exposuerunt nostre celsitudini conquerendo quod olim ipse famis necessitate cogente vendiderunt venerabili abbati Sancti Stephani de Bosco vineam, domum et terras quasdam, in quarum venditione ultra dimidium justi pretii asseruerunt se fuisse deceptos. Cum igitur deceptis et non decipientibus jura subveniant, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus inquiras super hoc diligenter veritatem, et si tibi constiterit ita esse, cogas sicut justum fuerit eumdem abbatem ut vel justi pretii suppleat quantitatem in qua venditionis tempore fuerint decepti, vel recepto pretio quod pro eisdem persolvit, vineam, domum et terras eis restituat supradictas, ut super hoc de cetero ad nos justa querimonia non recurrat.

Datum Mileti, XXV maii, XI indictione.

Hujus igitur auctoritate mandati partibus citatis legitime et eis ad causam certo die prefixo, utraque pars nostro se aspectui presentavit. Predicte itaque mulieres Anna et Adelasia et Johannes ejus filius cum advocato suo stantes in judicio coram nobis cum instantia petierunt ut juxta formam imperialis mandati nobis commissam in eadem causa procedere deberemus; pars vero domini abbatis contra predictas mulieres et dictum Johannem excipiendo proposuit quoniam tenebatur super questione proposita aliquatenus respondere, exhibendo nobis quoddam instrumentum quod ad sue defensionis munimen habebat. Nos itaque dicto instrumento quod venerabilis abbas Sancti Stephani super venditione vinee, domus et terrarum quam sepedicte mulieres et Johannes fecerunt, nobis exhibuit diligenter inspecto, usi consilio magistri Johannis Tropeensis decani et aliorum quorumdam proborum, considerantes attente quod illa venditio que de predictis facta fuerat tam solenniter extitit celebrata, sicut nobis per supradictum patuit instrumentum, quod nullo tempore dicte mulieres et Johannes contra ipsarum rerum de jure possent venire venditionem, ab impetitione predictarum mulierum et Johannis filii Anne ipsum monasterium sententialiter decrevimus absolvendum. A qua sententia mulieres sepedicte et Johannes filius Anne ad domini imperatoris audientiam adpellarunt. — Ego Johannes domini venerabilis Militensis episcopi notarius his interfui et rogatus scripsi.

Honorius papa Philippo Francorum regi nuntiat imperatorem apud colloquium in Campania celebratum se post biennium transfretaturum juravisse, et ducturum in uxorem filiam regis Hierosolymitani promisisse. Laterani, [exeunte maio.]

(Edid. Raynaldus, *Annal. eccles.*, ad ann., § 1, ex regest. Honor., lib. VII, n° 176. Unde tantum excerpimus quae ad rem nostram peculiariter attinent; coll. cum collect. Paris. a Laporte du Theil exarata.)

Honorius, etc., regi Francorum illustri, etc. (1) Justus Dominus in omnibus viis suis qui unicuique pro meritis condigna retributione respondet, circa negotium Terre sancte spem populi christiani fovit aliquando prosperis et interdum debilitavit adversis. O quantum christicolis videbatur arridere prosperitas! O quantum illuxisse credebatur fidelibus felicium aurora successuum, quando crucesignatorum exercitus Egyptum aggrediens post turrim captam, post transitum fluminis, post hostes exterritos, in adversariorum stationibus castra fixit et Damiatam que robur censebatur Egypti duris obsidionis angustiis coarctavit! [Postea memorat infelicem exercitus christiani casum amissionemque Damiatae, et inde ita pergit:] Ecce ipsius inspiratione, ut firmiter credimus, charissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, omissis multis arduisque negotiis quorum onus honorem imperialis celsitudinis sequebatur, venit ad nos in Campaniam nobiscum de predicte terre subsidio tractaturus, ibique presentibus venerabili fratre nostro patriarcha et charissimo in Christo filio nostro Johanne illustri rege Hierosolymitano, Bethlehemitano episcopo, magistro Hospitalis, preceptore Templi et magistro domus Theutonicorum et aliis quos ad tractatus hujusmodi e diversis mundi partibus credidimus adhibendos, singulis que natura negotii requirebat diligenti meditatione pensatis, idem imperator ad nostrum beneplacitum et consilium predictorum transfretandi terminum in festo beati Johannis Baptiste post biennium proximo secuturo prompta voluntate suscepit, corporale super hoc exhibens spontaneus juramentum. Denique ut ad id plenius suum manifestaret affectum et plus fidei daretur negotio ac omnino suspicionis con-

---

(1) Adest alia ad regem eumdem epistola brevior ut pacem faciat cum rege Angliae pro unitate christianorum in subsidium Terrae sanctae applicanda: « Gratias autem [agamus] Deo qui » sollicitudinem hujus negotii dedit in corde carissimi in Christo filii nostri F. Romanorum » imperatoris illustris, semper augusti et regis Sicilie, ut exhortatione nostra recepta ad nos » propter hoc venerit in Campaniam et negotium assumpserit in se ipso, prestito corporaliter » juramento promittens quod ab estate presenti ad biennium ad Terre sancte succursum vita » comite transfretabit, etc. Datum Laterani, XIV kal. maii, anno VII (18 april. 1223). » Inedit. in collect. Paris., ann. VII, n° 141.

trarie scrupulus tolleretur, ad instantiam patriarche predicti et aliorum Orientalium, in nostra et fratrum nostrorum presentia et multitudinis hominum qui ad colloquium venerant se ducturum in uxorem legitimam filiam regis ejusdem jurisjurandi religione firmavit. Sane probabili presumptione tenemus quod cum a Domino factum est istud ut votis fidelium optate rei successus exsolvat quod preconcepte spei preludia promiserunt, ad sui restaurationem negotii tuum et aliorum regum ac principum animos ipse filius summi regis accendet, qui de secreto patris in publicum egressus est ad servos, ad ima descendit ut subditis ad summa pararet ascensum, sub testa nostre mortalitatis figulus in terris visus et cum hominibus conversatus. Etc.

Datum Laterani (1). . . . .

[Scriptum est fere in eumdem modum regi Hungariae, regi Angliae, atque universis Christi fidelibus per Tarantasiensem provinciam, multis in hac ultima epistola mutatis seu additis.]

Fridericus, Romanorum imperator, universitati hominum terrae Thermarum concedit nundinas omni datia immunes annuatim celebrandas per tres dies, scilicet in festo beati Calogeri martyris, pridie et postridie ejusdem festi. Apud Panormum, 8 junii (?).

(Memorat. ap. Solito, *Istor. di Termini*, tom. II, p. 8, ex origin. privilegio in arch. publ. Thermitano. Cujus initium tantummodo refert, ut sequitur:)

Federicus Dei gratia, etc. Licet libertatum et immunitatum concessionibus que fiunt per principes fidelibus et subjectis fiscalibus juribus detrahi videatur, potiora tamen dominis exinde argumenta proveniunt dum ipsi beneficentie titulis decorantur et subditorum conditio de bono pro-

(1) Cum epistola 174 data fuerit Signiae VI idus junii, hanc quae sub n° 176 notatur paulo ante discessum ab Urbe, scilicet exeunte maio, scriptam fuisse arbitrari licet.

movetur in melius; per quod promptiores et habiliores redduntur ad obsequia dominantium. Per presens itaque privilegium notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris quod nos, ad supplicationem pro parte universitatis hominum terre Thermarum nostrorum fidelium proinde culmini nostro factam, eidem universitati liberaliter et gratiose concessimus, etc. . . . .

Datum apud Panormum, anno dominice incarnationis MCCXXIII, octavo junii (1), indictione undecima.

Apud Paternonem, 13 junii.

Jacobus Pattensis episcopus, Rainaldus dux Spoleti, Simon de Tocco, Petrus et Goffridus de Sancto Germano, magnae imperialis curiae judices, per providentiam litem terminant quae vertebatur inter ecclesias, monasteria et milites Surrenti ex una parte et villanos Surrenti ex altera; postquam Henricus de Morra magnae imperialis curiae magister justiciarius, vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur, quaestionem examinasset super appellationem ecclesiarum et caeterorum, qui petebant eosdem villanos injuste ad imperiale demanium receptos, sibi ex antiquo jure restitui.

(Edidit Gennaro Arcucci, *Illustraz. d'una carta giudiziar. dei primi anni del sec. XIII*, (Napoli 1819); qui extractam dicit ex uno *antico processo del sedile di Nilo* et relatam a G. B. Bolvito in suorum codicum volumine secundo. Mendas quibus scatet, utrum Bolvito an Arcuccio ipsi tribuendae sint, tanto accuratius corrigendas duximus quanto majoris momenti instrumentum sit. Edidit quoque imperiale mandatum, reliquis omnino omissis, Tutini, *De maestri Giustiz. del regn. di Napoli*, p. 29, sed incorrecte, praesertim in chronologicis notis quae ita exhibentur : *Datum apud Posinorum, XI junii, II indictione;* quod nullomodo admitti potest.)

---

(1) Rectius tamen legendum fore *octavo julii* suspicamur, quum imperatorem ineunte junio versus orientales Siciliae partes morantem inveniamus.

In nomine Domini Jesu Christi. Amen. Anno salutifere incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mense septembris, XIII indictionis, imperante domino nostro Federico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie gloriosissimo, Romani imperii ejus anno quarto, regni vero Sicilie vigesimo septimo feliciter. Amen. Cum questio verteretur inter ecclesias, monasteria et milites Surrenti ex una parte et villanos de casalibus civitatis Surrenti extra muros ex altera super homagio, servitiis, redditibus, angariis et aliis quibusdam, dominus noster imperator dictam causam domino Henrico de Morra, magne imperialis curie magistro justiciario, comisit in modum subscriptum :

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, Henrico de Morra curie sue magistro justiciario gratiam suam et bonam voluntatem. Recolit excellentia nostra quod villani casalium Surrenti, fideles nostri, dudum nobis graviter sunt conquesti quod ecclesie, monasteria et milites Surrenti absque aliquo jure quod in eis habuissent aliquo tempore aut haberent, eos suo dominio injuste vendicaverant et tenebant per violentiam occupatos, et quod ab eis ea dictis villanis gravamina et contumelie tam in personis quam in rebus fuerant multipliciter et inhumaniter inrogata quibus, etiamsi in ipsis dicte ecclesie, monasteria et milites Surrenti jus aliquod habuissent, id (*a*) amittere debuerunt; quare majestati nostre humiliter supplicarunt ut super oppressionibus et molestiis suis benignitatis nostre oculos advertentes ab eorum manibus eos eruere et in nostrum tenere demanium dignaremur. Nos autem dictorum rusticorum querelis et supplicationibus inclinati, quia mala que in nostram presentiam proponebant nos ad misericordiam invitabant, utpote quod vera (*b*) ipsos proponere credebamus, ipsos ad demanium nostrum recepimus (*c*) et habemus. Nunc autem quidam milites Surrentini pro parte ecclesiarum, monasteriorum et militum ipsius civitatis Surrenti ad nostram curiam accedentes exposuerunt nobis quod

(*a*) Apud Arcucci *ea*, male.
(*b*) Ibidem *mera*, male.
(*c*) Ibidem *precepimus*, male.

dicti villani majestati nostre falsa et frivola penitus subgesserunt; asserentes eos villanos ipsarum ecclesiarum, monasteriorum et militum Surrenti a tempore cujus non existit memoria extitisse et quia eos tempore regum predecessorum nostrorum et maxime regis Guglielmi secundi recolende memorie juste et pacifice tenuerunt, nec aliqua ipsis villanis gravamina inrogasse quibus ab eorum dominio se subtrahere aut eximere possint, et attentius supplicarunt ut dictos villanos ipsis restituere dignaremur. Cum igitur neutri partium velimus prejudicium inrogare, prudentie tue mandamus firmiter precipientes quatenus partibus in tua presentia convocatis, audias allegationes quas tam ecclesie [et] monasteria quam dicti milites contra villanos proponere voluerint, quodque militibus contra eas ipsi villani voluerint respondere, et cause meritis diligenter auditis, omnia in scriptis redigi facias et sub sigillo tuo curie nostre transmittas, prefigens partibus terminum competentem quo nostro se debeant conspectui presentare. Datum apud Paternonem (1), XIII junii, XI indictionis.

Partibus igitur presentibus coram eo, pars ecclesie, monasteriorum et militum proposuerunt contra. . . . . villanosque in hunc modum : Petentes Petrus et Ligorius milites Surrenti constituti. . . . . . . ab archiepiscopo et capitulo Surrentino, monasteriis civitatis ejusdem, scilicet abbatibus (*a*) in conventu Sancti Petri ad. . . (2), Sancti Petri de Caprolla, Sancti Archangeli et Sancti Salvatoris, Sancti Johannis, Sancti Pauli, et ab episcopo et capitulo Sancte Marie de Equa (3), ab

(*a*) Ap. Arcucci *S. Abbas*, male.

(1) Siciliae locus, prope Cataniam.

(2) Facile suppletur *Cerminam*, ut monet Arcucci, hodie *San Pietro a Cermegna*. Igitur ex instrumento liquet hanc ecclesiam et Sanctum Petrum de Caprolla (hodie *a Crapolla* non *a Cappella*, ut in quibusdam mendose legitur) nec non et alias tres, fuisse tot monasteria religionis Benedictinae tunc temporis universalis in regno.

(3) Ughellius (*Italia sacra*, t. VI, p. 686) de episcopis Vici-Aquensis disserens, ita scribit: « An vero Æquensis vetusta civitas episcopali fuerit dignitate exornata non satis constat. » Ex nostra autem charta clarissime patet Æquam civitatem in anno 1224 episcopo et capitulo gaudere. Sed Neapolitani scriptores sine ampliori disquisitione dubium Ughellii secuti sunt. Usque ad finem seculi decimi tertii extitit Æqua civitas, et ineunte tantum decimo quarto in Vicum propterea dictum *Aquensem* transtulit episcopalem sedem Carolus II Andegavensis.

episcopo et capitulo de Lubrensi (1), et a militibus Surrenti, petunt eo nomine per ipsos restitui sibi villanos, agendo judicio petitorio a Nicolao de Cicala procuratore pro parte domini imperatoris, quos dominus imperator tenet; unde dicunt et ipsos villanos restitui in eorum dominio, quos tam ecclesia [et] monasteria quam milites Surrenti tenuerunt tempore regum Guglielmi I et II juste et pacifice, exigendo et percipiendo ab illis villanis redditus in spallis et in ovis tempore carnisprivii et Pasche solvendos, et operas et servitia per duos dies in qualibet septimana, et exigendo et percipiendo ab eorum villanis et marinariis ut in barchis eorum aut (*a*) ab ipsis villanis pecunia sua conductis deferant vinum vendendum dominorum usque ad Amalphiam, morando ibidem per octo dies donec vinum venderetur; ad vindemiam dominorum et tempore vindemie. . . . . in vindemiis faciendis. Petunt et sibi restitui ea jura omnia que tempore suorum (*sic*) regum predecessorum ab ipsis villanis (*b*), quia nullus villanus quum habebat (*c*) unicam filiam et si plures habebat, non audebat eas maritare sine mandato dominorum et dispositione, et si habebant duos filios masculos aut plures non audebant aliquem eorum sine mandato dominorum clericum constituere. Super hiis omnibus lite contestata tam contra procuratores villanorum quam contra dominum Nicolaum de Cicala constitutum procuratorem ad defendendum jus domini nostri imperatoris, processum est in presentia partium ad productionem testium et exhibitionem istromentorum (*d*).

(*a*) Ap. Arcucci *ut*, male sicut infra.

(*b*) Deest aliquid. Legitur ibi in impresso numerus arabicus 43, sicut et supra post verba *servitia* et *marinariis*. Quid autem significet omnino nescimus.

(*c*) In impresso *quod habet*, male.

(*d*) In impresso : « *Processu et presentem partem ad perduttione testium et exhibitione istromentorum.* » Quem locum mutilum sic restituendum arbitramur.

---

(1) Non datur ergo titulus *episcopi Lubrensis* episcopo Massae, sed dicitur *de Lubrensi*, scilicet de ecclesia *di nostra donna della Lobra;* unde conjici potest hanc tunc temporis cathedralem Massae fuisse ecclesiam, ita nominatam a *delubro* Minervae, quod in hoc loco apud Strabonem describitur.

Questione (*a*) igitur in presentia dicti magistri justiciarii bene examinata et (*b*) sufficienter instructa et ad presentiam domini nostri imperatoris remissa, idem dominus noster illam nobis Simoni de Tocco, Thome magistro judici, Petro [de Sancto] Germano, Henrico de Tocco et Goffredo [de Sancto] (*c*) Germano magne imperialis curie judicibus discutiendam comisit. Procuratoribus igitur pro parte ecclesiarum, monasteriorum et nobilium de Surrento, Donato Rapista et Ligorio domini Ligorii, et Angelo Calefatto procuratore pro parte fisci, Nicodemo notario de Montecaveoso in nostri presentia constitutis, meritis. . . . . tutius diligenter discussimus et negotii meritis sufficienter inspectis. . . . . indagatis, seriem cause tocius domino nostro imperatori fideliter diximus et retulimus seriatim. Idem quoque dominus imperator domino duci Rinaldo (*d*), Pattensi episcopo et nobis Simoni de Tocco, Petro de Sancto Germano et Goffredo de Sancto Germano supradictis (*e*) judicibus eam ipsam commisit aut per sententiam aut per amicabilem compositionem aut (*f*) per nostram providentiam terminandam. Prehabito igitur tractatu et deliberatione communi, intelleximus partibus expedire quod ita inter eos terminaretur negotium, sicut inferius declaratur : primum ut cassatis omnibus scripturis villani restituantur ecclesiis, monasteriis, nobilibus et aliis bonis hominibus Surrenti; item singuli villani singulis dominis suis in septimana unam operam faciant, exceptis in duobus mensibus anni quos elegerint domini, in quibus per quamlibet septimanam duas prestabunt operas dominis suis; quod si continuatis diebus illas operas duorum mensium domini sibi petierunt exiberi, villani ad eas prestandas omnino teneantur; si vero dicti villani in prestatione operarum secundum supra-

(*a*) In impresso *questio*, male.

(*b*) Ibidem *ea*, male.

(*c*) Desunt verba *de Sancto*. Sed infra exprimuntur.

(*d*) Ibi sub abbreviationis forma *Vin.* Quod facile emendatur ex nominibus huic providentiae infrascriptis, unde constat nunc agi de duce Spoletano.

(*e*) In impresso *supp.*, abbreviationis forma male servata.

(*f*) Pro disjunctiva *aut*, ter *ut* in impresso legitur. Sed in pergamenis hujus aevi *ut* cum *aut* et *vel* facilius confunditur.

scriptum modum cessaverint, predicti domini possint eos cogere pignoribus captis ad ipsas operas prestandas, ita tamen (*a*) ut pro qualibet opera negata et non exibita non plus eis capere liceat nomine pignoris nisi ad valens tarenum unum Amalphitanum; spallam quoque in carnisprivio et viginti ova in Pascha prestabunt; de ceteris vero operibus, servitiis et redditibus immunes in futurum et liberi perseverent; sane sine licentia dominorum suorum villani filios suos non perducant ad officium clericatus nec filias suas matrimonialiter copulent sine licentia dominorum extraneis, quin (*b*) fuerint in numero villanorum militum de Surrento; inter se autem si velint villani matrimonia copulare, in quibuscumque rebus liberam habeant facultatem; super venditionibus vero. . . . . id inter eos obtineat quod hactenus servabatur; de villanis vero quod fugam arripuerunt, illud jus predictis ecclesiis, monasteriis, nobilibus et aliis bonis hominibus Surrenti conservetur quod de aliis villanis fugientibus, qui angarias et perangarias debent, per alias partes regni dominis eorum servatur; omnibus querelis eorum super hac materia per hanc nostram providentiam (1) perpetuo terminatis; operas autem in bobus vel zappis dicti villani prestabunt sicut consueverunt. Ad cujus rei memoriam presens scriptum per manus notarii Nicodemi de Montecaveoso fieri fecimus nostris subscriptionibus communitum, anno, mense et indictione pretitulatis. — Jacobus Pattensis episcopus (2), domini imperatoris familiaris. — Ego Rainaldus dux Spoleti. — Ego Simon magne imperialis curie judex. — Ego Petrus de Sancto Germano imperialis curie judex. — Ego Goffridus de Sancto Germano imperialis curie judex.

(*a*) In impresso *tum*, male.
(*b*) In impresso *quam*, male.

---

(1) Notandum et nomen et res; a *sententia* discrepat, cum sententiae approbatio imperialis necessaria fuerit. Providentia ista voci nostrae vulgari *transaction* fere respondet.

(2) In serie episcoporum Pattensium et Liparensium apud Rocchum Pirrum non memoratur annus quo Jacobus sedem obtinuit. Jam vero ab anno 1224 praesulatum exercebat, ut ex isto documento constat. Unde notatur error Wadingii in libro Annalium suorum primo, qui vitam Anselmi Jacobi praedecessoris in episcopatu Pattensi usque in annum 1225 producit.

Signiae, 27 junii.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori conqueritur quod Capuanae et Aversanae ecclesiis ipse providere praesumat et si alios ad easdem ecclesias curia Romana miserit, hos recipi prohibeat, adjectis verbis in auctoritatem pontificalem contumeliosis. Jus suum in ecclesias regni Siciliae memorat, hortaturque ut saniori usus consilio asperitatem verborum negando removeat et in nuntium ipsius refundat.

(Edider. Fr. Hahn, *Collect. monum. veter. et recent.*, in epistol. Thom. de Capua, t. I, p. 321-324, et Raynaldus, *Annal. eccles.*, ad ann. 1223, § XV, ex regest. Honor., lib. VII, epist. 194; iste tamen minus integre. Quos inter se contulimus et cum codice Biblioth. Paris. 8604, *Anc. fonds latin*, fol. 12 recto-verso.)

Honorius, etc., Frederico, etc. Venientem ad presentiam nostram dilectum filium L. (*a*) judicem Barensem consueta benignitate recepimus et ea que nobis ex parte tua dicere voluit audivimus diligenter. Eo autem nominante quasdam in presentia nostra personas de quarum aliquibus Capuane et Adversane ecclesiis provideri petebat, nos cum propter quorumdam fratrum nostrorum absentiam super hoc deliberare finaliter non possemus, fecimus ad te deferendas fieri litteras quales tunc vidimus faciendas. Sed dictus judex ad te illas deferre recusans audientiam a nobis et fratribus nostris petiit sibi dari; qua ei benigne concessa, verba quedam proposuit a te sibi, prout dicebat, injuncta, in que tua non debuisset prorumpere circumspectio, etiam si gravem a nobis injuriam pertulisses. Dixit enim nos tibi protectionem dedisse que non erat protectio, sed destructio potius appellanda, utpote tendens, prout idem subintulit, ad persone tue perditionem et regni. Et adjecit quod quandoquidem nolebamus a te nominatos recipere, nullos ad prefatas mitteremus ecclesias,

(*a*) Haec initialis littera deest apud Hahn et in codice.

quia non reciperes aliquos nec recipi sustineres a nobis ad ipsas ecclesias destinatos. Denique nostris est auribus postmodum intimatum te Capuanis, Salernitanis et Adversanis firmiter mandavisse ut si alios quam a te nominatos ad ecclesias miserimus eorumdem, ipsi nullatenus admittantur, sed porte non solum ecclesiarum, sed etiam civitatum obserentur eisdem. Que vera vix esse credimus, et si vera sunt, tua circumspectio videat utrum te deceat talia facere utrumve apostolica Sedes talia debeat tolerare. Sane non satis sano, ut cum tua pace loquamur, fuisti usus consilio si talia dici vel fieri mandavisti, quia sic ivisti dicens te, quod non credimus, esse paratum et promptum ad rumpendum inter nos et te vinculum caritatis (1). Desideramus enim, fili karissime, ut omni tempore, maxime nostro, sit inter te et Romanam Ecclesiam firma et sincera dilectio, quia id esse ipsi ecclesie utile et tibi ac toti christianitati cognoscimus expedire, nec quicquam amarius facile nobis posset accidere quam si statum tuum, quem multa cura promovere studuimus, cogeremur aut perturbare, quod absit, aut perturbari ab aliis, illum si tibi favorem apostolicum deesse cognoscerent perturbare paratis, conniventibus oculis pertransire. Sed si, quod Deus avertat, necesse est ut veniant scandala, que causa excogitari poterit conflatura tibi plus odii vel conciliatura Ecclesie plus favoris quam si tu per intolerabilem usurpationem attemptes evertere ecclesiasticam libertatem, apostolica vero Sedes illam secundum divinas et humanas sanctiones studeat conservare? Certe vide quod qui talia persuadent, aut sua ceca ambitione falluntur aut malitiose te fallunt et gressuum tuorum vias fraudulentis dissipare consiliis et machinationibus pravis subvertere moliuntur. Videre potes etiam quam sincero quamque paterno te zelemur affectu qui non solum verborum tuorum injuriam patienter accipimus, verum etiam contra nos te quodammodo premunimus, dum dissuademus te causam illam assumere ex qua posses quasi omne incurrere odium,

(1) Cum caetera de hac prima inter Honorium et Fridericum disceptatione monumenta desint, non pigeat consulere quid referat FAZELLUS, *De reb. Sicul. decad.*, lib. VIII, p. 438. Iste tamen causam et tempus dissidii confuse nimis cognovisse videtur; et persuasum habemus ex collatione documentorum verba quae imperatori tribuit rectius ad ann. 1226 esse referenda. Vid. *Additamenta* ad calcem voluminis.

Sede apostolica ex eadem favorem plurimum assequente. Cur enim non obtinebimus illam jurisdictionem vel potestatem in regno Sicilie quam in Francia, Anglia, Ispania ac ceterorum christianorum regnis ac in ipso imperio noscimur obtinere? Numquid in regno minus potestatis aut auctoritatis habebimus, quia in eo tanquam in apostolice Sedis patrimonio plus juris et jurisdictionis habemus? Quid conaris aggredi, quid meditaris incipere, seductus falsis consiliis et animatus tuo calore ac robore juventutis? An credis esse prudentiam vel consilium aut providentiam [si] contra Deum et ejus timore postposito speras te posse prevalere adversus Ecclesiam, cum qua promisit se ipse Deus usque ad consummationem seculi permansurum? Si contempnis nostris acquiescere monitis, domesticis saltem acquiescas exemplis, tecum ipse recogitans manum Domini abreviatam non esse ut non possit deprimere et erigere, perdere ac salvare. Hec tibi benigno animo ac sincero affectu, princeps invictissime, scribimus, satagentes inconsultos animi tui motus paterna comminatione, redargutione, obsecratione ac increpatione compescere, teque ad ea que terrenum stabiliant tibi regnum et eternum preparent informare. Denique ut tibi consulamus quantum ad presentem articulum bona fide consilii nostri est, litteras tuas seorsum nobis et seorsum fratribus nostris sine dilatione transmittas, per quas, si forte prefatus nuncius de mandato tuo usus non fuit predictorum asperitate verborum, nec mandasti quod premisimus de civitatibus et ecclesiis obserandis, hujusmodi culpam a te factam negando removeas et in talium portitorem verborum a te removendo refundas. Quod si forte dici predicta et fieri precepisti (*a*), non te pudeat culpam tuam agnoscere ac eam reverenter, ut condecet, excusare, certus quod nos et fratres nostri te sincera in Domino caritate diligimus et gerimus in firmo proposito, quantum cum Deo et honestate possumus, ea semper efficere que tue placere debeant voluntati, ac inter te et apostolicam Sedem pacem et caritatem perpetuam conservare. Super hiis autem dilectum filium A. subdiaconum et capellanum nostrum virum fidei et probitatis expertum ad tuam duximus presentiam destinandum, rogantes ut eum vultu sereno

(*a*) Ap. Raynald. autem : *Quod si forte ipsum verba eadem dicere inconsulto motu animi precepisti.*

respicias et ad nos laudabiliter expeditum sine longa dilatione transmittas (1).

Datum Signie, V kalendas julii, pontificatus nostri anno VII.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Petri diaconi cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum dilecti amici sui, monasterium Sancti Petri de Amalphia Cisterciensis ordinis ab eodem cardinale fundatum in sua protectione suscipit, eique confirmat locum in quo constructum est cum tenimento, capellam Sancti Petri de Tuxoli aliasque possessiones quas ab eodem fundatore tenet (2).

In urbe felici Panormi, julio.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 126, n° 523, ex copia seculi XVI ap. Amalfiam a Bethmanno communicata.)

---

(1) « Quidnam vero ad haec Fridericus responsi reddiderit parum exploratum est : at consentaneis officiis injuriam delevisse inde conjicimus quod similes querelas minime repetitas reperimus. Imo extat in libro privilegiorum Romanae Ecclesiae exemplum jurisjurandi, quo Fridericus atque Henricus rex ejus filius se in potestatem Sedis apostolicae futuros hoc anno polliciti sunt nihilque mali adversus Romanam Ecclesiam unquam molituros. » Raynald., *Annal. eccles.*, *ibidem*. Nullum tamen aliunde vestigium invenimus hujus juramenti, quod nunquam in lucem prodiit.

(2) Huc pertinere videtur hoc fragmentum transumpti ann. 1388, in quo diversa privilegia monasterio Sancti Petri concessa memorantur, notis tamen chronologicis non expressis : « Et quod dictus dominus imperator ob reverentiam dicti Sancti Petri concessit abbati et fratribus in dicto monasterio degentibus ut possint possidere rationabiliter omnes possessiones et bona jamdicti monasterii, necnon et confirmavit monasterio ipsi locum qui dicitur Fuscumcelli in quo ipsum monasterium est fundatum cum toto tenimento suo et capellam dicti Sancti Petri de Curte de Amalphia cum justis tenimentis suis; et quod confirmavit etiam dicto monasterio in perpetuum omnes possessiones et tenimenta existentes tam in ducatu Amalphiae quam in territorio Ebuli cum uno molendino et quasdam apothecas in Amalphia, et quod liceret eisdem abbati et fratribus in tenimento Ebuli in loco qui dicitur Brisca in flumine unum de novo construere molendinum, et quod victualia nascentia in terris propriis ex tenimentis Ebuli annuatim possent ad jamdictum monasterium deferri libere et absque aliquo jure portus seu dohanae; item et quod idem dominus imperator confirmavit omnia alia jura et possessiones quae erant ipsius monasterii eidem monasterio. » Ap. Ughellium, *Ital. sacr.*, t. VII, p. 214.

Per manus Joannis de Trajecto notarii nostri. . . . .

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis MCCXXIII, mense julio, indictione XI.

Apud Panormum, 10 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, mandat universis officialibus suis per ducatum Amalphiae et principatum Salerni constitutis se ad preces Petri diaconi cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum dilecti amici sui, monasterium Sancti Petri de Amalphia Cisterciensis ordinis ab eodem cardinale fundatum in suam specialem protectionem recepisse, vetatque ne illud in aliquo molestare praesumant.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 125, n° 521, ex copia sec. XVI ap. Amalfiam a Bethmanno communicata.)

Datum apud Panormum, X julii, indictione undecima.

In urbe felici Panormi, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Lucae Cusentini archiepiscopi quaedam privilegia Rogerii et Guillelmi ducum et imperatricis Constantiae matris suae antecessoribus ejus indulta, ei et ecclesiae ejus renovat et confirmat.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. IX, p. 211. Privilegia ducum et imperatricis require ad p. 191-192, ubi mendas facile detectas correximus.)

Federicus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter cetera pietatis opera que ad salutem pertinent animarum, illud nobis eternas promeretur divitias et locum stabilem vendicat ad quietem quod locis venerabilibus et Dei ecclesiis benignius elar-

gimur. Ea propter notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod Lucas venerabilis Cusentinus archiepiscopus fidelis noster transcriptum quoddam privilegiorum Rogerii ducis Apulie, Guillelmi ducis ejusdem Rogerii ducis filii et litterarum (a) quondam imperatricis Constantie domine matris nostre memorie recolende, sigillis P. Marturanensis episcopi, P. abbatis Curatii, Boni quondam abbatis Matine et M. abbatis Floris et eorum subscriptionibus roboratum, nostre celsitudini presentavit, supplicans humiliter et devote ut privilegia et litteras supradictas sibi et ecclesie sue innovare et confirmare de nostra gratia dignaremur. Qua propter supplicationes ipsius venerabilis archiepiscopi de solita clementia benignius duximus admittendas, et privilegia ipsa et litteras innovantes eadem de verbo ad verbum huic nostro privilegio jussimus annotari : quorum tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Rogerius Dei gratia dux Apulie, Calabrie et Sicilie, confirmo et stabiliter largior et dono tibi domino Arnulpho archiepiscopo tuisque successoribus in perpetuum quicquid pater meus tuis prioribus archiepiscopis ecclesiam sancte Dei genitricis Marie Cusentie gubernantibus dedit, scilicet omnem decimationem victualium et bestiarum et omnes ecclesias vestri episcopatus cum presbyteris tam Grecis quam Latinis et cum omnibus rebus eis pertinentibus, filiis denique atque heredibus eorum et castellum Sancti Lucidi cum omnibus rebus sibi pertinentibus; item de Minsiunio (b) inde [et] ejus pertinentiis similiter. Iterum noviter concedo tibi et dono domino Arnulpho archiepiscopo eamdem Sanctam Mariam ecclesiam regenti tuisque successoribus cunctas leges spiritualiter tibi pertinentes jure ecclesiastico et decimas omnium solidorum judiciorum ac tributorum. Hec omnia infrascripta confirmo et stabilio ut omni tempore firma et inconcussa permaneant. Quicumque vero hoc nostrum preceptum temerario ausu violare presumpserit, stratigus videlicet ac vicecomes, troncarius (?) plazearum, se nostre curie decem libras auri purissimi sciat compositurum atque sit maledictus et excommunicatus a Deo patre omnipotente et ab omnibus sanctis ejus; et ut hec nostra concessio permaneat, Petro nostro

(a) Ap. Ughellium *et liberorum*, addito *supradictorum et*, quod sensu omnino caret.
(b) Infra autem *Monticino*.

notario scribere precepimus, anno dominice incarnationis millesimo nonagesimo tertio, indictione I, kalendis aprilis. — Ego Rogerius dux. — Ego Robertus filius Roberti ducis. — Ego Formundo de Rusiano. — Ego Melinostona. — Ego Marinus imperialis magister atque stratigo. — Ego Balduinus. — Ego Richardus filius Tristain.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Guillelmus divina favente clementia dux, Rogerii gloriosi ducis heres et filius. Nos ab omnium conditore et gubernatore dignas mercedes credimus accepturos, si sanctis et venerabilibus locis curam impenderimus et quod ab eorum cultoribus postulati fuimus bono et sincero animo prebuerimus. Ob amorem ergo regis celestis per quem subsistimus et regnamus, propter redemptionem etiam animarum supradicti patris mei et avi mei Roberti magnifici ducis aliorumque nostrorum parentum, sed et propter nostram salutem, postulationibus domini Arnulphi venerabilis archiepiscopi civitatis nostre Cusentie digne aures accomodantes concedimus et per hoc nostre ducalis potestatis sigillum confirmamus ecclesie in honorem Dei genitricis Marie constitute in eadem civitate Cusentie et eidem domino Arnulpho venerabili archiepiscopo ejusque successoribus in perpetuum habendum et possidendum in perpetuum quicquid supradictus pater meus R. dux eidem ecclesie et ipsi archiepiscopo suisque prioribus archiepiscopis dedit et suum per sigillum firmavit, scilicet omnes decimationes victualium et bestiarum nostrarum et omnes ecclesias ipsius episcopatus que diocesis juri pertinent cum presbyteris tam Grecis quam Latinis et cum omnibus rebus eis pertinentibus et filiis atque hereditatibus eorum; de Monticino quoque et ejus pertinentiis similiter tibi concedimus. Concedimus etiam tibi cunctas leges spiritualiter tibi pertinentes jure ecclesiastico et decimas solidorum de judiciis videlicet ac tributis seu de quibuscumque nostro juri pertinentibus scilicet jamdicte civitatis, etiam et de plateis. Hec itaque omnia sicut supra scripta sunt ita tibi concedimus et confirmamus ut omni tempore firma et inconcussa permaneant, quemadmodum jamdictus pater meus tibi dedit et per suum sigillum firmavit. Preterea pro redemptione animarum supradicti patris mei bone memorie et avi mei atque aliorum nostrorum parentum et pro nostra sa-

lute damus jamdicte ecclesie Sancte Marie archiepiscopatus Cusentie et supranominato domino archiepiscopo suisque successoribus et concedimus jure perpetuo habendos et possidendos hos villanos : in casali Speciani Joannes Curator, Andreas filius ejusdem, Letus Russo, Petrus nepos ejus, Nicolaus de Vinere, Michael de Casule, Joannes Congus, Voto de Siveterali, Petrus triginta demonum, Andreas de Benedicti, Bonfilius de Votovolcanus. In casali autem Lappani sunt isti Bonus Magister miles, Joannes Govisi, Michael de Russimanni, Joannes de Stephano, Joannes Besinianensis, Talaricus cum filiis et heredibus et pertinentiis eorum commorantes in his duobus casalibus. Et ut hec omnia vel supradicta leguntur, a nobis nostrisque heredibus vel successoribus ita firma atque inviolabilia stabilimus ut nullus aliquot heredum nostrorum vel successorum, nullus stratigotus vel vicecomes aut judex, nullus quilibet nostre reipublice minister, nulla quelibet magnifica parvaque persona quocumque tempore audeat violare, sed ipsa ecclesia et idem dominus archiepiscopus ejusque successores ex jure quieto habeant et possideant sine omni humane persone contrarietate. Si quis autem hujus nostre concessionis et confirmationis quocumque tempore violator extiterit, sciat se compositurum auri purissimi libras viginti, medietatem curie nostre et medietatem ipsi jamdicte ecclesie sine ipsius pagine qualibet infirmatione. Quam ut firmiter observetur Joanni nostro notario scribere precepimus et nostro cum sigillo insigniri jussimus, anno dominice incarnationis millesimo centesimo tertio decimo, ducatus autem nostri anno II, mense februario, VI indictione. — Ego Guillelmus dux me subscripsi. — Ego Richardus senescalcus me subscripsi. — † Signum crucis proprie manus Dragonis Abbanelli. — † Signum crucis ex manu propria Guidandi de Orber.

Constantia Dei gratia Romanorum imperatrix, semper augusta et regina Sicilie, Rogerio de Calo et Constantino de Tauromonte (a) magistro duane, dilectis fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Venerabilis archiepiscopus Cusentinus fidelis noster exposuit et conquestus est celsitudini nostre dicens quod cum jam alia vice nostra serenitas bajulo Cu-

(a) Alias autem *Tauromense.*

sentie precipiendo mandavit ut integras decimas nostras tam de victualibus quam de aliis redditibus nostris ecclesie persolveret, mandatum nostrum ut asserit distulit adimplere. Unde quia de voluntate domini nostri magnifici imperatoris et nostra est ut debite Dei ecclesiis decime integre et sine diminutione solvantur, mandamus vobis et firmiter precipimus quatenus omni mora et occasione cessante, decimas Cusentie tam de victualibus quam de aliis redditibus nostris faciatis ecclesie Cusentine cum eodem bajulo nostro integre et sine diminutione persolvere, ut nostra celsitudo de cetero nullum inde valeat audire clamorem. Datum Panormi, XXIII die mensis junii, XIV indictionis.

Nos itaque pro remedio animarum felicium regum predecessorum et divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, pro salute quoque nostra et Henrici regis carissimi filii nostri, omnia que superius in ipsis privilegiis et litteris continentur eidem venerabili archiepiscopo, successoribus suis et ecclesie Cusentine in perpetuum de nostra gratia concedimus et confirmamus, volentes et precipientes ut ea omnia de cetero pacifice et sine diminutione habeant et quiete percipiant, sicut regum felicium Willielmi primi et secundi tempore usque ad obitum domine quondam imperatricis Constantie matris nostre consueverunt percipere et habere. Ad hujus autem immunitatis et confirmationis nostre memoriam et inviolabilem firmitatem predictorum privilegiorum. . . . . per manus Henrici notarii et fidelis nostri fieri et sigillo celsitudinis nostre jussimus roborari, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in urbe felici Panormi, anno dominice incarnationis MCCXXIII, mense julii, XI indictionis, imperii domini nostri Federici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno III et regni ejus Sicilie anno XX (*a*), feliciter. Amen.

In Sicilia, junio vel julio.

Imperator in Sicilia Saracenos arctat et obsidet, quorum partem non modicam sibi subjectam ad partes mittit Apuliae moraturam

(*a*) Recte autem *XXVI.*

apud Luceriam (1), reliquis se in montanis tenentibus contra eum. Propter quod Rogerium de Aquila, Thomam de Caserta, Jacobum de Sancto Severino et filium comitis Tricaricensis regni comites vocat ad servitium suum in Sicilia. Qui in comitatu et manu brevi euntes ad ipsum, capi eos et teneri praecepit et eorum terras per Henricum de Morra justiciarium recipit ad opus suum. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Fridericus, Romanorum imperator, Conrado Hildeshemensi episcopo scribit super debellatione Saracenorum Siciliae et captione regis Daciae, res imperii affectioni ejus commendans. [Julio circiter.]

(Edid. Schannat, *Vindem. Litter.*, t. I, p. 194.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, etc., dilecto principi suo Hildesheimensi C. episcopo gratiam suam et omne bonum. Felices nostre serenitatis eventus quos affectare te scimus tecum participare volentes, affectioni tue sepesepius ducimus intimandum quod, per illius gratiam a quo provenit omne bonum, ad vota nobis in regno nostro cuncta succedunt, Sarracenis qui cacumina montium et loca inexpugnabilia ceperant ad inferiora et plana loca jam omnibus revocatis (2). De tua itaque

---

(1) Vide descriptionem hujus urbis quam ad ann. 1233 edidimus, in libro cui titulus: *Recherches sur les monuments et l'histoire de la mais. de Souabe dans l'Ital. méridionale*, p. 73-75.

(2) Nondum tamen Sarraceni omnes ad deditionem devenerunt, ut supra testatur Riccardus de S. Germano qui etiam ad finem hujus anni 1223 haec addit: « Item pro stipendiis militum » et servientium quos ad debellandos rebelles Saracenos Siciliae statuerat, certam pecuniae » summam per totum regnum mandat colligi imperator, et tunc per quemdam judicem Ur- » banum de Theano collectae fuerunt de terra S. Benedicti unciae auri CCC. » Audiamus quoque appendicem ad Gaufr. Malaterram: « Anno Domini 1223, duodecima indictione (sci- » licet non ante mensem septembrem), dominus Fredericus imperator misit exercitum suum » in Gerbis (insula Gelves) et cepit illos, destruxit et captivavit. » Praeterea vide notas ad epistolam datam Cathaniae, 5 martii 1224, p. 411.

fidelitate certissimam fiduciam obtinentes, H. carissimum filium nostrum Romanorum regem illustrem circumspectioni tue duximus commendandum, pro servitiis eidem filio nostro a te modo exhibitis in absentia nostra tanto tibi uberiores gratias referentes quanto in absentia nostra magis quam in presentia purissime fidei tue animus approbatur. Ut igitur, ecce nobis in Alemanniam venientibus, gratissimis tuis possimus meritis respondere, rogamus plurimum et monemus quatinus in servitiis nostris et ejusdem filii nostri more solito perseveres. Sane relatum est celsitudini nostre quod rex Dacie ac filius ejus capti a comite H. de Zwerin dilecto fideli nostro in custodia detinentur (1); qui rex, sicut tu ipse nosti, preter precedentem causam multa de bonis imperii occupavit, ad nos et imperium respectum quem debuit non habendo; unde cum ad recuperationem bonorum imperii totis viribus et affectibus anhelemus ut ipsa possimus ad imperium revocare, affectionem tuam rogandam duximus omnimodis et monendam quatenus ad hoc quod ipse rex et filius ejus ad manus vestras deveniant prorsus et totaliter elabores, facturus quod quidquid venerabilis Herbipolensis episcopus propter hoc promisit vel dehinc promiserit comiti predicto et ipse promittas cum eo, quia nos illud ratum habebimus et omnia cum consilio tuo curabimus efficaciter observare.

Signiae, 5 augusti.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribit se auctoritate praesentium dispensare ut copuletur cum Isabella filia regis Hierosolymitani, quae ipsi in quarta consanguinitatis linea attinere dicitur.

---

(1) Hoc anno 1223, 9 maii, Waldemarus rex Daciae et filius ejus per proditionem capti fuerunt ab Henrico comite de Schwerin et apud Dannenberg inclusi. Cf. chronic. Sampetr., Godefr. Colon. et Albert. Stad. ad ann. De curia apud Northusen super liberatione regis mensibus augusto et septembri hujus anni celebrata, vide *Historiam Henrici septimi diplomaticam*.

(Edid. RAYNALD., *Annal. eccles.*, ad ann. 1223, § VII, e regest. Honor., lib. VIII, epist. 7.)

Honorius, etc., Frederico illustri, etc. Quia celestia, etc. . . . . . .

. . . .

Cum zelo fidei christiane succensus et inspirante Domino aspirans ardenter ad vindicandum injuriam Jesu Christi et terram ejus de perfidorum manibus vindicandam, accepta cruce, illuc devoveris transfretare, ac ut exhiberes circa Christi causam ferventioris devotionis affectum et ad persecutionem ejus te arctius obligans alios ad id efficacius exhorteris, fastigium excellentie imperialis decenter humilians ad consilium nostrum et fratrum nostrorum nobilem mulierem I. natam charissimi in Christo filii nostri J. illustris regis Hierosolymitani affidaveris publice in uxorem, nos provide attendentes quod tanta res, que noscitur principaliter Dei esse, non erat impedimento aliquo retardanda, sed potius favore benevolo prosequenda, impedimentum consanguinitatis vel affinitatis si quod obsisteret tunc decrevimus submovendum, et nunc ut, non obstante quod in quarta consanguinitatis linea eadem I. tibi dicitur attinere, legitime copulemini auctoritate presentium dispensamus.

Datum Signie, nonis augusti, pontificatus nostri anno VIII.

Fridericus, Romanorum imperator, Paulo abbati Sanctae Mariae de Nerito et fratribus monasterii ejusdem omnia bona et possessiones quae tenent et in posterum acquirere poterunt confirmat, eademque bona ab omni servitio et onere eximit. Melfiae (?), augusto.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacr.*, tom. X, p. 300.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Cum ex pietatis officio cunctis Dei ministris intendamus favores nostre benignitatis extendere, laudabilius noscitur viris

religiosis nostra cura provisionis impendi; qui tanto debent a secularibus esse curis exempti, quanto magis expedit ut orationes eorum quas pro salute christianitatis impendunt a molestiis non debeant nec infestis casibus perturbari. Ex his enim sacris operibus actus nostros feliciter decoramus, si religiosis divinis obsequiis intendentibus ad nos tanquam ad unicum et singulare refugium accurrentes (*sic*) mansuetudinis nostre gremium reseremus et justis eorum supplicationibus aures nostrum culmen benevolas non avertat. Ea propter preces et supplicationes quas dilectissimus in Christo frater Paulus, abbas monasterii Sancte Marie de Nerito, et fratres ejusdem lacrymabiliter porrexerunt, ex innata nobis benignitate adtraximus, et eorum desiderium favorabili prosequentes assensu, predictum monasterium Sancte Marie de Nerito cum universis bonis sibi concessis et donatis per quondam Goffridum inclytum comitem et alios fideles quoslibet christianos, tam prefata civitate contentis quam alibi per totum regnum nostrum Sicilie, et que in futurum dante Domino per quoscumque concedentur et donabuntur monasterio supradicto (*a*), ipsique abbati et ecclesie ex nunc ea confirmamus et teneri amodo ipsius monasterii propria jura cupimus ut itidem tam acquisita quam acquirenda perpetuo illibata serventur. Et pro salute quoque animarum patris et matris nostrorum recolende memorie confirmamus venerabili abbati predicto et successoribus cuncta bona feudi Sancti Nicolai ad Erneum et pertinentias et vasallos, item tenimentum dictum Petri de Vito et feudum Sancte Veneris cum pertinentiis suis et que tenet tam in Nerito ut supra dicitur quam extra et per totum regnum nostrum Sicilie, et specialiter casale Tavelli cum vassallis et jurisdictionibus suis, et quod ipsius casalis homines societatem semper habeant cum hominibus Neritonis, necnon decimas omnes civitatis Neriti, sicut a predicto quondam comite sunt concesse (1); grangiam quoque Sancte Marie de Astiliano cum tenimentis suis et ipsius terris cultis et incultis et cellam Sancti Nicolai de

(*a*) Deest aliquid; forsan: *sub nostra speciali protectione suscipimus*, vel hujusmodi.

---

(1) Extant autem quinque privilegia hujus comitis, *ibidem*, p. 291-294.

Cilliano prope Nerito[nem] cum terris, domibus et vasallis suis, oblationes fidelium, donationes comitum et baronum seu quecumque alia que quolibet justo titulo ipsum monasterium tenet et possidet : et si qua postea ipsi monasterio concessa, donata et oblata fuerint a quibuscumque personis, et ea nostre auctoritatis munimine communimus. De speciali quoque gratia monasterio ipsi et ecclesie Sancte Marie de Nerito communicata, vasallos, possessiones, bona et loca cum pertinentiis suis liberamus et eximimus ab omnibus servitiis et onere, quodcunque sit illud, que nostre curie, comitibus, baronibus seu quibuscumque personis aliis debeantur, cum monasterium ipsum cum omnibus bonis ac rebus suis acquisitis vel etiam acquirendis plena et perpetua velimus libertate potiri. Volentes ut nullus ausus sit dictum monasterium, abbatem ejusdem seu fratres et successores eorum super hiis vel aliquo premissorum deinceps aliquatenus molestare. Quod si aliter quisquam fecerit, indignationem celsitudinis nostre se noverit incursurum. Ad hujus autem confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Jacobi de Bandra notarii et scribe nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Melphie (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo tertio, mense augusti, undecime indictionis, imperii domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno tertio, regni vero Sicilie vigesimo quinto (*a*), feliciter. Amen.

(*a*) Rectius *vigesimo sexto.*

---

(1) Cum hoc anno et sequenti continuam in Sicilia sedem imperator prolongaverit, omnino dubium est an apud Melfiam in Basilicata interposito intervallo moratus fuerit. Nulla tamen alia suspicionis causa deprehenditur, dum et forma privilegii et notae chronologicae justae sint.

Anagniae, 14 octobris.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat ordinationem a Sede apostolica factam inter ecclesiam Messanensem et monasterium Sancti Salvatoris de lingua Phari, monetque ut gratam accipiat, cum minime in hoc juri ejus derogetur.

(Memorat. ap. BZOVIUM, *Annal. eccles.*, ad ann. 1224, § II, et R. PIRRUM, *Sicil. sacr.*, I, 403, omissa temporis nota quam addimus ex indice litterar. Honor. III, in collect. Laporte du Theil in Biblioth. Paris.)

Datum Anagnie, II idus octobris, pontificatus nostri anno VIII.

ANNO 1224. — INDICTIONE 12.

Cataniae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno, domus hospitalis Sanctae Mariae Theotonicorum in Jerusalem magistro, privilegium suum, super domo hospitali apud Ellingen eidem domui concessum, inserendo renovat et confirmat.

(Editum in dissertat. Germanica, cui titulus : *Brandenb. usurpations-Gesch.*, beilag. 222, n° 104; et in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 118-120, n° DCLXIV, ex originali unde sigillum illaesum et bene expressum appendet ex filis sericis rubri et flavi coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter alia pietatis opera quibus imperialis dignitas uberius exornatur, li-

beralitas optinet principatum, illa precipue que ad commodum et utilitatem locorum venerabilium exercetur. Nam si a terreno principe particula datur, illius interventu qui affluenter tribuit universa, quod dat ad eum cum fenore multo revertitur, precipue cum per hoc videtur quod pro terrenis eterna provida meditatione mereatur. Noscat igitur fidelium nostrorum presens etas et futura posteritas quod frater Hermannus, venerabilis magister domus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem, coram nostra presentia constitutus ostendit nobis quoddam privilegium concessum a nobis eidem domui hospitali dudum ante susceptum imperii diadema, et majestati nostre attencius supplicavit ut privilegium ipsum nunc in nostri sublimitate imperii innovare et confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus privilegii tenor talis est :

Fridericus Dei gratia Romanorum rex, semper augustus et rex Sicilie. (*Sequitur privilegium jam supra relatum* ad ann. 1216, 8 septembris *et de verbo ad verbum hic renovatum.*) Nos autem supplicationibus predicti magistri benignius inclinati, diligencius attendentes honestatem et religionem laudabilem ejus et fratrum suorum necnon grata et accepta servicia que nobis semper exhibuerunt et exhibere non desinunt incessanter, predictum privilegium de benignitate solita confirmantes, ipsum de verbo ad verbum sicut superius scriptum est jussimus innovari. Mandantes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona parva vel humilis, ecclesiastica vel secularis, domum hospitalis predicti contra hanc confirmationem nostram et tenorem privilegii supradicti de prefato hospitali apud Cillingin (1) (Ellingin) ausu temerario impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostram et penam centum librarum auri se noverit incursurum, medietatem camere nostre et alteram medietatem predicto hospitali passo injuriam persolvendam. Ad hujus autem confirmationis et innovationis nostre memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

(1) Locus in instrumento inserto trina vice *Cellingin* et in hac ipsa confirmatione *Cillingin* erronee utique nominatur, cum nomen ejus verum sit *Ellingen* in episcopatu Eichstadiano.

Hujus rei testes sunt : Berardus Panormitanus et Nicolaus Tarentinus archiepiscopi, Cuonradus Triestinus, Jacobus Pattensis et Bartholomeus Siracusanus episcopi, Johannes abbas Casemarii, Raynaldus dux Spoleti, Evirhardus dapifer de Walpurc et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gracia Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense februarii, duodecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus quarto, regni vero Sicilie vicesimo sexto, feliciter. Amen.

Datum Cathanie, anno, mense et indictione prescriptis.

Cataniae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, fratribus hospitalis Sanctae Mariae Theotonicorum in Jerusalem donationem Ottonis episcopi Wirziburgensis et capituli ejus confirmat, nimirum curiam in civitate Wirziburgensi ultra Mogum juxta monasterium Scotorum, cum curtibus ad eam pertinentibus.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 121-122, n° DCLXV, ex originali, et ap. Hennes, *Cod. diplomat. ord. S. Mar. Theuton.*, p. 70, n° 65. Sigillum cum filis sericis periit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter varia humane sollicitudinis exercicia, ea nobis proficere, ac prevalere ad anime salutem confidimus que christiane religioni de clementia nostra conferimus et ecclesiis ac religiosis personis ad fidem catholicam ampliandam misericorditer elargimur. Hac igitur inducti consideratione laudabili, diligentius attendentes religionem et honestatem fratrum hospitalis Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem, pro remedio quoque

anime nostre et divorum augustorum felicis memorie patris et matris nostre, donationem quam Otto venerabilis Wirziburgensis episcopus et capitulum ejusdem ecclesie hospitali predicto fecerunt (1) de curia in civitate Wirziburgensi ultra Mogum juxta monasterium Scotorum cum curtibus ad ipsam curiam pertinentibus constituta, que olim fuit Friderici avi et domini Henrici patris nostri felicium augustorum recolende memorie, in perpetuum confirmamus. De habundantiori quoque gratia nostra et celsitudinis munificentia quicquid juris in ipsa curia vel in curiis ad eam pertinentibus habemus vel habere videmur eidem hospitali et fratribus supradictis liberaliter elargimur. Statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona parva vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hospitale predictum et fratres de prenominata curia sive curtibus ad eam pertinentibus et rationibus que ad nos exinde spectare noscuntur impedire aut molestare presumat. Quod qui presumpserit, in sue temeritatis vindictam, indignationem nostram et penam centum librarum auri puri se noverit incursurum, medietatem camere nostre et alteram medietatem passis injuriam persolvendam. Ut autem hec nostra confirmatio et concessio robur semper obtineat perpetue firmitatis, presens privilegium inde fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Berardus Panormitanus et Nicolaus Tarentinus archiepiscopi, Cuonradus Triestinus, Jacobus Pattensis et Bartholomeus Siracusanus episcopi, Johannes abbas Casemarii, Raynaldus dux Spoleti, Cunradus (a) dapifer de Walpurc et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense februarii, duodecime indictionis, imperante domino

(a) Rectius tamen *Evirhardus*, ut in praecedenti; facilius autem *Cunradus* pro *Evirhardus* in originali legi potest.

---

(1) Donatio Ottonis Wirceburgensis episcopi et capituli ejus memoratur ap. LANG, *Regest.* II, 99 et 101 ad ann. 1219, 16 novembris.

nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus quarto, regni vero Sicilie vicesimo sexto, feliciter. Amen.

Datum Cathanie, anno, mense et indictione prescriptis.

Cataniae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat compositionem inter fratres hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum et Conradum de Richenberg Conradumque de Smidevelt habitam, sicut in privilegio Henrici filii sui Romanorum regis continetur.

(Inedit. ex originali in arch. Stuttgartensi, unde pendet sigillum integrum rubrae cerae ex filis sericis flavi amaranthinique coloris. Scriptura autem splendidissima est et quasi noviter exarata videtur.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter alia pietatis opera quibus imperialis dignitas uberius exornatur liberalitas optinet principatum, illa precipue que ad commodum et utilitatem locorum venerabilium exercetur; nam si a terreno principe particula datur, illius interventu qui affluenter tribuit universa, quod dat ad eum cum fenore multo revertitur, precipue cum per hoc videtur quod pro terrenis eterna provida meditacione mercatur. Hinc est igitur quod universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod olim Bodo de Rabensburg fidelis noster divinitus inspiratus una cum fratre Hermanno preceptore domus Theotonicorum in Alemania et fratre Henrico de Hohenloch accedens ad Ottonem venerabilem episcopum Herbipolensem, presentibus fidelibus nostris Tegenhardo Herbipolensis ecclesie majore scolastico, Diepoldo marchione de Voburch, Godefrido de Hohenloch, Henrico magistro coquine et quam pluribus aliis, castrum suum in Wernecke et omnem suam proprietatem ubicumque habuit in vineis, areis, pascuis, nemoribus et hominibus per manum jamdicti

episcopi secundum jus et consuetudinem regionis illius venerando hospitali Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem liberaliter contulit et absolute concessit; et nos quia id nobis constitit testimonio episcopi memorati, ad instanciam quoque peticionum et precum supradicti Bodonis et fratris Hermanni venerabilis magistri domus hospitalis ejusdem donationem eamdem ratam habuimus et omne jus nostrum quod in castro et predictis omnibus habebamus per privilegium nostrum totaliter concessimus predicte domui hospitalis. Sed quia postmodum processu temporis Cunradus de Richenberch et Cunradus de Smidevelt sibi jus in suprafatis castro et proprietatibus usurparunt, ad decidendam demum inter ipsos et predictum magistrum et fratres suos tocius rancoris materiam, quia etiam iidem magister et fratres ob bonum pacis et concordie in suo jure prompta caritate sepius condescendunt, coram Henrico illustri Romanorum rege karissimo filio nostro ad talem inter se compositionem et concordiam devenerunt: videlicet quod iidem magister et fratres jamdicto castro cum suis pertinenciis renunciarunt et predicti Cuonradus de Richenberch et Cunradus de Smidevelt cum uxoribus suis quicquid juris in vineto Rabensburch et Geburnen (1) et area in Wirceburg profiterentur per manus jamdicti filii nostri et salamannorum (2) ipsorum sentencialiter secundum jus et consuetudinem illius patrie absolute et libere contulerunt predicte domui hospitalis, sicut in privilegio predicti filii nostri plenius continetur. Unde predictus magister in nostra presentia constitutus celsitudini nostre attencius supplicavit ut compositionem et concordiam ipsam ratam habentes confirmare dignaremur eamdem. Nos autem supplicationibus suis benignius inclinati, diligenter ejus attendentes religionem et honestatem ipsius et fratrum suorum laudabiliter Domino famulantium, predictam compositionem et concordiam inter eosdem magistrum et fratres et supradictos Cunradum de Richenberch et Cunradum de Smidevelt habitam, sicut in privilegio predicti filii nostri plenius continetur, acceptandam duximus et perpetuo confirmandam; mandantes et presentis privilegii

---

(1) Recentius tamen *Gebrunnen*.

(2) Germanice *Salamann*, id est *homines atrii* sive *finium arbitri*.

auctoritate firmiter statuentes ut nulla omnino persona parva vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictos magistrum et fratres et domum hospitalis prefati contra hujus confirmationis nostre tenorem de premissis ausu temerario impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostram et penam centum librarum auri puri se noverit incursurum, medietatem camere nostre et alteram medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus autem confirmationis nostre memoriam et perpetuam firmitatem presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Berardus Panormitanus et Nicolaus Tarentinus archiepiscopi, Cunradus Triestinus, Jacobus Pattensis et Bartholomeus Siracusanus episcopi, Johannes abbas Casemarii, Raynaldus dux Spoleti, Evirhardus dapifer de Walpurc et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris et semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense februarii, duodecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus quarto, regni vero Sicilie vicesimo sexto, feliciter. Amen.

Datum Cathanie, anno, mense et indictione prescriptis.

Melfiae (?), februario.

Fridericus, Romanorum imperator, Johannem abbatem Sanctae Mariae Montisvirginis et conventum ejus cum universis bonis eorum sub protectione sua suscipit, eisque confirmat omnia quae continentur in privilegiis sibi juxta generale mandatum suum resignatis.

(Edid. Mastrullo, *Montevergine sagro*, p. 655. Coll. cum copia anni 1615 in arch. Montisvirg. Cf. supra privilegium datum apud Sanctum Germanum, decembri 1220, p. 86 et seqq.)

Federicus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, rex Sicilie. Justum quidem est et rationi conveniens ut summo principi Deo specialiter cura regnantium militet a quo libram justitie et regendi percipiunt, ideoque magnifice accedit ad titulum imperialis dignitatis cum ad ecclesiarum et locorum venerabilium cultus aciem intentionis sue convertit et eorum profectus et commoda pie mentis oculis intuetur. Per presens privilegium notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod post solemnem curiam nostram noviter Capue celebratam (1) ubi inter cetera que generaliter statuimus observanda privilegia omnia ab obitu regis Guilielmi bone memorie facta resignari precepimus coram nobis, dominus (2) Joannes, venerabilis abbas Sancte Marie montis Virginis, juxta generale mandatum nostrum quedam privilegia imperatoris ac imperatricis felicis recordationis parentum nostrorum nostre curie resignavit, per que nos et idem augusti recipiebamus dictum monasterium et omnia bona ipsius sub speciali protectione et defensione nostra, concedentes et confirmantes eidem monasterio omnes possessiones, ecclesias et loca ei subdita, hospitalia, tenimenta, molendina, redditus, casalia, homines, vaxallos, jura, libertates, mobilia et immobilia universa que nunc habet vel habere poterit in futurum, libertates per totum imperium et regnum Sicilie, necnon et terram Mercuriani cum omnibus hominibus, possessionibus, juribus, libertatibus et pertinentiis suis, prout in ejusdem monasterii privilegiis, instrumentis, juribus et aliis scripturis publicis continentur, et pascua libera per totum regnum et imperium pro animalibus suis, obedientiarum, locorum, pastorum, hominum et vaxallorum suorum, et in ejusdem monasterii obedientia ut loca ejus ac omnes homines et vaxalli, castri videlicet Mercuriani, casalium aliorumque locorum suorum omnium, quocumque titulo ad ipsum ubique spectantes monasterium, perpetuo ab omni molestia, inquietatione, collectis, adjutoriis, datiis, exactionibus, plateaticis, aliisque gravaminibus omnibus et servitiis personalibus, rea-

---

(1) Cf. supra privilegium eidem conventui indultum, p. 313.
(2) Hic titulus in privilegiis imperialibus nusquam abbatibus ascribi solet.

libus et rebus personarum ipsarum parti reipublice vel aliquibus fidelibus debitis penitus essent immunes; et quod homines et vaxalli ejusdem monasterii in quacumque parte regni et imperii fuerint de quibuslibet possessionibus et bonis eorum nemini prestent sacramentum fidelitatis et securitatis, nisi nobis et heredibus nostris et abbatibus vel rectoribus ejusdem monasterii; nec ipsi etiam abbas et conventus prefati monasterii alicui prestent sacramentum fidelitatis et securitatis, nisi nobis et fidelibus nostris. Concedentes etiam ipsi monasterio, hominibus et vaxallis ejus omnibus ligna viridia et sicca pro eorum justa utilitate semper accipere per totum regnum et imperium; et quod omnes libertates, bonos usus et consuetudines fratres dicti monasterii ac homines et vaxalli ejus semper habeant libere quas tempore regis Guillelmi habuerunt. Et si qua mala consuetudo imposita fuit hactenus ipsi monasterio, obedientiis, locis suis vel rebus et possessionibus, castro Mercuriani, casalibus, hominibus et vaxallis ipsius monasterii per totum regnum et imperium, omnino non valeat et deinceps deleatur. Prohibentes etiam ut infra claustrum monasterii, obedientiarum et locorum suorum nulla temeraria presumptio seu violenta vel illicita conventio fiat, unde possit fratribus damnum aliquod seu scandalum suboriri; et quod nullus malefactor pro qualicumque maleficio commisso, excepto crimine proditionis vel lese majestatis nostre, confugiens ad ipsum monasterium, donec ibi manserit, per vim capiatur ibidem neque violenter exinde extrahatur. Concedentes et confirmantes etiam ipsi monasterio in eleemosynam sexaginta sertas anguillarum de grossis et supergrossis annuatim percipiendas et habendas de lacu Alesine ex donatione quondam Matthei comitis Alesine, prout ipsius donationis publicum continet instrumentum; necnon et donationem atque concessionem nostram olim ipsi monasterio a nobis factam de foresta nostri demanii et octo casatas villanorum in Magdalono et de aqua Sancti Mauri, ipsam derivando pro velle et utilitate monasterii et de novo construendo molendina et fusaria apud Nuceriam in eadem aqua Sancti Mauri. Unde predicti abbas et conventus supplicaverunt instanter celsitudini nostre ut predicta omnia et quecumque alia in privilegiis continebantur, predictis restitutis sibi privilegiis ipsis, eidem monasterio concedere et confirmare per-

petuo dignaremur. Verum cum pie nostre mentis intentio opera nobis suadeat pietatis [et] ad id precipue summa voti nostri se porrigat ut retribuamus aliquid Domino pro omnibus his que ipse retribuit nobis, nos considerantes sanctam religionem, vitam laudabilem et honestatem domini abbatis et conventus monasterii antedicti, pro reverentia Regine virginum ad cujus honorem et laudem idem monasterium est constructum, pro salute nostra et remedio animarum felicium augustorum parentum nostrorum memorie recolende, predictum abbatem, monachos, conversos et successores eorum ipsumque monasterium, ecclesias, obedientias et loca ei subdita, castrum Mercuriani et casalia cum omnibus hominibus et vaxallis, possessionibus, tenimentis, redditibus, molendinis, juribus, libertatibus et pertinentiis eorumdem sub speciali nostra protectione et defensione recipientes, restitutis eidem abbati et conventui privilegiis supradictis, concedimus et perpetuo confirmamus quecumque in privilegiis illis nostris ac imperatoris et imperatricis parentum nostrorum apertius continentur, que vidimus et tenorem ipsorum inspeximus diligenter, nulli ulterius necessario ostendenda et ipsorum inspiciendo et legendo tenore, quia vidimus et scivimus ea nullo aliquo vitio et vituperatione confecta. Concedimus etiam et confirmamus eidem monasterio concordiam communiter factam inter ipsum monasterium et Robertum Malerbam dominum Submontis de questione quorumdam servitiorum et reddituum quam idem Robertus moverat contra ipsum monasterium et homines casalis ejusdem monasterii quod dicitur Fontanelle coram Jacobo Francisco justitiario et fidele nostro, prout ipsius concordie publicum continet instrumentum. Precipimus etiam firmiter imperiali dignitate ut de possessionibus feudalibus seu burgensaticis quas ipsum monasterium habet et possidet titulo concessionis, donationis, emptionis, permutationis, oblationis seu legationis vel quocumque alio justo titulo ab obitu regis Gulielmi secundi predecessoris nostri et ante, temporibus regum et imperatorum divorum augustorum antecessorum nostrorum memorie recolende usque nunc, nulla persona alta vel humilis occasione constitutionis nostre in curia Capue promulgate de feudis integraliter revocandis et quod bona stabilia per aliquos ecclesiis et religiosis locis oblata

vendi [aut] alienari debeant infra annum (1), audeat vel presumat ipsum monasterium exinde aliquatenus perturbare; et si quis voluerit revocare ad feudum suum occasione constitutionis predicte aliquas feudales possessiones feudi sui, seu aliquis etiam voluerit vendicare vel revocare occasione dicte constitutionis nostre aliquas possessiones burgensaticas quas monasterium ipsum habet, quas ipse vel sui predecessores eidem monasterio vendidissent, donassent, concessissent, permutassent, legassent vel pie similiter obtulissent, nullatenus presumat ipsum monasterium exinde modo aliquo dissaisire nec etiam perturbare; volentes ipsum monasterium easdem possessiones feudales et burgensaticas libere et pacifice habere et possidere absque omni onere servitutis perpetue. De nostre munificentia majestatis concedimus etiam et in perpetuum in eleemosynam confirmamus ipsi monasterio libere absque omni onere Roccellam Sicilie que est grancia ejusdem monasterii cum omnibus possessionibus, rationibus, libertatibus et pertinentiis suis, ecclesiam que sita est in honorem Salvatoris, ecclesiam Beate Marie ac etiam tertiam partem molendinorum Golisanensium et tres uncias auri de venatione cuniculorum in territorio ejusdem, que omnia Paulus comes Golisani eidem monasterio donavit et obtulit, sicut in instrumentis et scripturis ejusdem monasterii inde confectis plenius continetur. Auctoritate presentis privilegii precipientes firmiter universis quatenus nullus de cetero sit tam ausus qui super predictis omnibus ipsum monasterium impedire in aliquo vel molestare presumat; et si quis presumpserit, centum libras auri in vindictam sue temeritatis componat, medietatem camere nostre, reliquam medietatem injuriam passis. Ad hujus igitur protectionis, concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Joannis de Lauro notarii et fidelis nostri scribi et sigillo celsitudinis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

---

(1) Hanc constitutionem inter Melfienses posterius insertam reperimus, lib. III, tit. V et XXIX. Cf. p. 91, not. 1, 4°.

Datum Melfie (1), anno dominice incarnationis MCCXXIV, mense februarii, XII indictione, imperii domini nostri Federici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno III, regni vero Sicilie XXVI, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, Honorio papae scribit se centum galeas et quinquaginta usseria in regno suo pro subsidio Terrae Sanctae parari jussisse, et cum in Sicilia detineatur ad recipiendam Sarracenorum deditionem, in Alemanniam ad principes imperii Hermannum magistrum Theutonicorum misisse. Conqueritur etiam quod nimis remisse crucis praedicatores in partibus Alemanniae, Franciae et Angliae agant : denique nuntiat se habere in proposito Jacobum Pactensem episcopum Accon destinandum, qui consensum futurae consortis suae recipiat. Catanae, 5 martii.

(Edid. partim RAYNALD., *Annal. ecclesiast.*, tom. I, ad ann. 1224, § IV-XII, ex regest. Honor., lib. VIII, n° 405.)

[Sanctissimo patri domino suo Honorio, etc. Fredericus, etc.] Cum ab eo per quem reges regnant et principes dominantur id quod sumus et possumus divino munere cognoscamus, assumpti beneficii non ingrati, nescientes quid exsolveremus Altissimo pro omnibus que contulit et retribuit ipse nobis, cum bonis nostris non egeat a quo procedit bonorum omnium plenitudo, in holocaustum tamen gratitudinis obsequio Sancte Crucis obtulimus nosmet ipsos, personam, substantiam et quas ipse concessit opes et regna sibi et Terre Sancte ministerio deputantes. Ad persuasionem quoque vestram, paterne monitionis instantiam et mandatum,

(1) Locus omnino dubius, quum imperator hunc annum in Sicilia continuum egerit. Vid. supra p. 397, not. 1.

fratribus etiam vestris venerabilibus cardinalibus consulentibus atque rogantibus per se specialiter singulis et generaliter universis, filiam illustris Hierosolymitani regis hereditariam ipsius terre dominam, pronuba sacrosancta Romana ecclesia, vobis quoque existentibus paranympho, ducere juravimus in uxorem ut assumptum Terre Sancte negotium videremus et possemus commodius consummare. In quo sic credimus onus cum vinculo matrimonii oportere transduci, sicut labor et conjugium pro exigentia negotii sunt indissolubiliter federata. Dotes vero ab ecclesia, vestri videlicet et fratrum vestrorum continui et indeficientis auxilii, super Terre Sancte negotio coram cunctis astantibus compromissas non duximus omittendas, quas velut necessarias et oportunas exigimus et vos tanquam actorem et coadjutorem precipuum in iis exposcimus confidenter, prout ex stipulatione tenemini et Sedis apostolice dignitas a vobis postulat et requirit. Nos enim, sicut novit inspector cordium Deus qui mentes et renes hominum perscrutatur, ad illius Terre Sancte negotium toto mentis affectu jugiter aspiramus; et ut de apparatu nostro pateat universis, centum galeas in portibus regni nostri si necesse fuerit habere confidimus preparatas; quinquaginta vero usseria noviter per regnum nostrum precepimus fabricari, singula quidem quadraginta milites cum totidem dextrariis portatura (1); et super ipsorum opere duos de fratribus domus Theutonicorum et alios statuimus exercitatos viros de regno, per quorum industriam eadem usseria proximo futura estate credimus posse compleri, et tam de galeis quam de usseriis interim usque ad terminum pretaxatum plura fieri poterunt sicut videbitur expedire,

(1) « Inter caetera intimantes [nuncii] quod dominus imperator ad succursum Terrae Sanctae » quinquaginta naves fecerit praeparari quae usseriae nuncupantur, quarum magnitudo tantae » capacitatis erit ut duo millia militum cum dextrariis suis et omnium armorum suorum » pertinentiis et praeterea decem millia aliorum hominum valentium ad pugnam et ad bella » cum armis suis in eisdem usseriis valeant transferri. Ad unum quodque usserium fiet pons » ut milites si necesse fuerit armati et ascensis dextrariis suis in navibus commode absque » laesionis discrimine per ipsos pontes valeant exire, quasi jam ordinatis aciebus in praelium » processuri, et si opus fuerit erectis velis intrare possint flumen Damiatae vel aliud aliquod » flumen. » Godefr. Colon., ad ann. 1224, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 355.

preter naves et vassella alia infinita que per regnum et aliunde poterimus sufficienter habere. Preterea frater Hermannus domus Theutonicorum magister ad presentiam nostram accedens proposuit et persuasit instanter quod de consilio vestro erat et satis utile vobis et ei expediens videbatur ut pro tam arduo negotio Terre Sancte cum principibus imperii oretenus loqueremur, versus partes illas nos personaliter conferentes. Quod dum nostro proposito resedisset et in procinctu essemus versus partes illas dirigendi prosperum iter nostrum, venit mareschalcus noster Cathaniensis qui fuerat in expugnatione Sarracenorum Sicilie constitutus, ducens secum Gaitos et Seniores de omnibus montanis Sarracenorum Sicilie, nuntios ex parte omnium ad nostram presentiam destinatos, per quos ceteri omnes exposuerunt se mandata nostra et beneplacita nostra pronius impleturos (1). Super quo habita deliberatione cum proceribus curie nostre quid videretur agendum, visum est omnibus consultius expedire quod non deberemus in hoc articulo presentiam nostram de Sicilie partibus absentare, ne pro nostra absentia vel recessu Sarraceni a devotione proposita declinarent et facilius possent eorum sata colligere, quibus collectis difficile foret admodum in brevi termino subjugari; sed premitteremus magistrum ad principes, propositum et voluntatem nostram per eum singulis exponens, nobis ad recipiendum Sarracenos dum se spontaneos darent instantem operam impensuris. Propter quod eumdem magistrum de tam arduo negotio utile vidimus onerandum, injungentes ei legationem ad principes faciendam (2), scribentes et promittentes per

---

(1) Nondum tamen imperator Sarracenos ad deditionem accepisse videtur. « Anno 1224, mense » septembris, pro facto Saracenorum Siciliae tantumdem colligi mandat de terra Casinensis eccle» siae imperator quantum collectum fuit in proxime praeterito. » Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.* « Anno Domini 1224, decima tertia indictione (scilicet a mense septembri 1224 ad » mensem septembrem 1225), dominus Fredericus imperator misit exercitum magnum super » Saracenos Siciliae et remanserunt in montanis, et magnum guastum semper annuatim faciebat » super illos usque quo descenderunt cum magno opprobrio, et fecit illos morari in plano Siciliae » in casalibus. » *Append. ad Gaufr. Malat.*, ap. Muratori, *Script.*, V, 604.

(2) « Nuncii imperatoris cum litteris ipsius affuerunt intimantes regi [Henrico] et principibus » Hermannum magistrum hospitalis Sanctae Mariae Teutonicorum in Epiphania Domini in » Sicilia ad imperatorem venisse et de succursu Terrae Sanctae ad hoc eum induxisse ut

eum duci Austrie, lantgravio Thuringie ac ceteris principibus nominatim nec non regi Ungarie ac suis magnatibus ad Terre Sancte subsidium transituris passagium, victum, pecuniam et alia necessaria in regno nostro liberaliter exhibenda, prout idem magister quem ad vestram prius presentiam destinamus proponet in conspectu vestro singula singillatim. Per quem etiam plenius agnoscetis quod illustris Hierosolymitanus rex nuper scripserit nobis et qualiter in proposito sit ab illis partibus (*a*) recedendi, pro eo quod parum ibi proficiat pro negotio Terre Sancte. Nam predicatores qui predicant verbum Crucis in tantum vilipenduntur ab omnibus, tum quod infime persone videntur, tum quod nullam auctoritatem vel aliquam sicut moris est in talibus habeant prestande indulgentie potestatem, quod non est qui eos audiat vel intendat. Et sicut a diversis partibus orbis majorum et potentiorum ad nos littere pervenerunt, videtur eis quod remisse ab ecclesia et a vobis (*b*) in tanto negotio procedatur. Magnates enim regnorum Francie et Anglie, sicut predicti regis insinuatione cognovimus, nullam videntur voluntatem habere de Crucis negotio assumendo, nisi prius ut decuit inter utrumque regnum ea fuerit in longevum treuga firmata quo secure ire valeant et redire. Plerique vero de potentioribus Anglie qui proficere possent in servitio Jesu Christi et olim assumpserant signum Crucis, pretendunt se a vobis de Crucis ministerio absolutos, et sic pauci vel nulli sunt qui per omnes provincias illas quas dictus rex dicitur peragrasse, velint se ad Crucis ministerium preparare. Nos igitur tanti negotii zelo ducti predicto regi moram per litteras nostras in partibus illis persuasimus longiorem, quem

(*a*) Verisimiliter *ab Alemannia*.
(*b*) In impresso *nobis*, male, quum sensus clare *vobis* indicet.

» continuo Pharum disponeret transire et versus Teutoniam venire et cum principibus de » processu suo et Terrae Sanctae negotio ordinare. Verum audiens imperator Sarracenos qui in » monte Platano (Piazza) habitant velle se suae gratiae subjugare, misit pro marescalco suo in » obsidione constituto, volens ab eo investigare de statu Sarracenorum diligentius. Ob quam » causam Pharum transire distulit, ipsum Hermannum praedictum pro Sanctae Terrae prin» cipali tuitione ac imperii negotiis in Alemanniam praemittens. » Godefr. Colon., ad ann. 1224, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 355.

nihilominus per apostolicas litteras de mora in illis partibus facienda pro Crucis negotio promovendo expedit animari. Nam recessus ejus, et precipue si ad ultramarinas partes futura estate sicut habet in proposito transfretaret, multum diffidentie et incommoditatis afferret erga obsequia Crucifixi. Commisimus etiam ei per patentes literas nostras ut omnes quos inducere poterit ad Terre Sancte negotium opportunos, diligenter inducat et tam crucesignatis quam et signandis ex parte nostra secure promittat passagium, victum et quecumque necessaria in regno nostro singulis largiflue ministranda. Ecce quidem, ut Oriens totus agnoscat quod incommutabilem gerimus voluntatem promissum consummandi matrimonium et onus illius terre sicut recepimus efficaciter procurandi, Jacobum venerabilem Pactensem episcopum, dilectum fidelem et familiarem nostrum, in passagio proximo futuri martii apud Accon disposuimus destinare, qui consensum filie regis future, dante Domino, consortis nostre juxta ordinationem vestram coram delegatis vestris inquirat et audiat, prout solemnitas exigit conjugalis. Erit itaque sanctitatis vestre per Alemanniam, Ungariam et regna finitima, necnon in Franciam, Angliam et ceteras partes orbis tam sufficientes et idoneas delegare personas et illa prestande remissionis et indulgentie auctoritate munitas, que ad Crucis negotium promovendum audiri debeant et timeri. Legatum etiam specialem pro treuga inter Francorum et Anglorum reges tractanda pariter et firmanda dignemini destinare, quo licite possint et tute strenui predictorum viri regnorum ad Dei servitium se conferre; taliter super ceteris circumstanciis negotii providere dignantes quod desidia vel remissa negligentia quelibet sicut hactenus non notetur, quia nos quoad nostram spectat et imperii sollicitudinem per affectum et effectum ostendimus evidenter qualiter tantum perficere negotium intendamus, celi et terre super hoc testimonium habituri. Ceterum que dictus magister ex parte nostra vestre sanctitati proponet firmiter credere debeatis, injungentes nihilominus ei ut injunctam sibi tanti legationem negotii propensius exequatur.

Datum Cathane, V die martii, duodecime indictionis.

Cataniae, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, Nicolaum episcopum Reginum et ecclesiam ejus sub sua protectione recipit, eique privilegia ab Hugone, Lothario, Ottone, Friderico I et Henrico VI praedecessoribus suis indulta confirmat.

(Edider. Ughelli, *Ital. sacra*, t. II, p. 303, ex arch. cath. Regin., capsa 7, n° 1230. — Amplius autem Tiraboschi, *Memor. Moden.*, t. IV, append. p. 81.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus II divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Tunc imperatorie dignitatis thronus extollitur ac illustribus laudum titulis decoratur, cum ad ecclesias Dei principalis dirigitur clementer intuitus et quod eisdem ecclesiis misericorditer erogatur, ne vetustate scripture depereant, de innata clementia innovat et confirmat. Inde est quod universis fidelibus nostris tam modernis quam posteris volumus esse notum quod Nicolaus venerabilis episcopus Regiensis, fidelis noster, duo antiqua et authentica privilegia, unum videlicet Ugonis et Lotharii regum et aliud Othonis imperatoris divorum augustorum predecessorum nostrorum per nuntium proprium nostre curie presentavit, in quibus continebatur qualiter dicti principes predecessores nostri confirmaverant ac plene corroboraverant sancte Regiensi ecclesie in honorem sancte Dei genitricis semperque virginis Marie constructe sanctique Prosperi confessoris omnem terram ipsius comitatus et publicam functionem cum teloneo et stradatico et muris in circuitu et fossato et alveum aque a quatuor milliariis intrinsecus sursum et deorsum; omnes quoque curtes, plebes, abbatias, monasteria, capellas, predia, cunctasque res quas de donis regum seu imperatorum ceterorumque bonorum hominum concessionibus, traditionibus episcoporum, privilegiis, oblationibus, comparationibus, commutationibus libellorum quorumcumque, legalium cartarum conscriptionibus ipse sanctus locus legaliter obtinuit vel investitus fuit, una cum domibus

et edificiis, etc. [*Sequitur enumeratio ut in diplomatibus Othonis primi et Caroli magni* (1), *usque ad* :] sicut ab imperatoribus, regibus, et idoneis ac catholicis hominibus antiquitus in ipsa ecclesia constitutum fuisse reperimus. Confirmaverant [etiam] et corroboraverant eidem Regiensi ecclesie per privilegia supradicta curtem Luzarie vocatam cum capella Sancti Sixti in loco Paludano edificata necnon et gajo inter Padum et Bondenum sito cum omnibus pertinentiis et appenditiis suis ac familiis utriusque sexus. Presentavit etiam episcopus supradictus celsitudini nostre per prefatum nuntium suum alia duo authentica privilegia a clare memorie Frederico avo nostro et Henrico patre nostro imperatoribus divis augustis supradicte ecclesie Regiensi indulta in quibus continebatur qualiter ipsi avus et pater noster ecclesiam ipsam cum universis possessionibus suis, rebus et personis sub sue majestatis defensione receperant eique imperiali auctoritate confirmaverant omnes curtes et plebes omnesque res et proprietates in eodem Regiensi comitatu seu Parmensi, Mutinensi atque Bononiensi, Veronensi ac Papiensi comitatibus jacentes, per precepta antecessorum imperatorum Caroli, Ludovici, Lamberti, Berengarii aliorumque imperatorum et regum seu quorumcumque hominum per aliquas inscriptiones et testamenta eidem ecclesie legitime assignatas, videlicet omne districtum, teloneum, terraticum, stradaticum, omnemque publicam functionem tam infra eamdem civitatem Regiensem quam extra in circuitu per quatuor milliariorum spatia, necnon et curtem Mazenzaticam, curtem que Nove dicitur cum plebe, curtem de Sancto Stephano cum plebe, curtem Mercoriatica, castellum de Favorice (Fabrica?) cum plebe, insulam de Suzaria cum plebe et suis pertinentiis, plebem de Luzaria, plebem de Wardastalla, plebem de Pigugnaga, plebem de Revere, curtem Sancti Martini de Spino cum piscariis et paludibus, plebem de Carpo, plebem de Herberia, Cardignaculam cum capella, plebem de Prato cum castello, curtem de Camporotundo cum plebe, plebem de Balneo cum curte, castellum de Arceto cum suis pertinentiis, curtem de Militulo cum plebe, curtem de Sancto Salvatore, plebem de Sancto Eleucadio, plebem de

---

(1) Cf. TIRABOSCHI, *ibidem*, t. I, append. p. 125, et supra, p. 6 et 7.

Castellarano cum curte, capellam de Rodilia cum suis pertinentiis, plebem de Tuano, plebem Sancti Vitalis de Verabulo, curtem de Menotio cum plebe, capellam de Vellonio, plebem de Besmanto, villam etiam. . . . . . . Fraularia et Nasseto et rivum diluvii, montem insuper qui Rosolo dicitur, curticellam que Belleli dicitur, precarias que sunt in Pidiliano cum ecclesia Sancti Prosperi, plebem de Lezulo, plebes de Pujanello et Bibiano ac Caviliano, curtem de Albinea cum plebe, castellum de Querzola, curtem de Runcosisuli cum silva, plebem de Modelena, curtem de Marore, terram que est in Feraria et in Cugumano et in Vico Variano et in castello Comaclo intus et deforis cum salinis, terras cum olivis. . . . . . . universa garda terrarum, in civitate Papia tabulas quinquaginta duas et extra pratum de Wacile aliasque curtes et plebes cum omnibus terris et omni integritate curtium predictarum et plebium; una [cum] capella de Sosso (Sisso) et ejus omnibus pertinentiis, cum lacu etiam qui Vico dicitur, cum loco insuper qui Caldevasa nominatur omnibusque rebus mobilibus et immobilibus in prenominatis locis pertinentibus, ut prelibata ecclesia predicta omnia loca cum omnibus in integrum earum pertinentiis habeat, teneat et in eternum firmiter possideat, omnium hominum contradictione remota. Confirmamus etiam eidem ecclesie per privilegia supradicta curtem unam in comitatu et episcopatu Regino que dicitur curtis Nova, quam Petrus quondam Reginus episcopus obtinuit ab abbate Sancti Sixti de Placentia, et curticellam quamdam que Cella dicitur sitam in episcopatu Regiensi inter Regium et Parmam; concesserant quoque eidem ecclesie per eadem privilegia et ejus vicariis qui pro tempore fuerint ut eorum imperiali auctoritate fulti habeant potestatem castella, munitiones, portus, molendina, et quicquid eis justum visum fuerit super predicta loca et aquas construere de certa precaria, commutationes, libellaria a decessoribus episcopis injuste et inordinate facta frangere et Deo placite omnia ordinare. Addiderunt denique predicte sanctioni eorum ut nulla prescriptio XXX vel XL annorum vel etiam tempus centum annorum ecclesie supradicte vel alicui actioni ipsi ecclesie competenti noceat. Et idem Regiensis episcopus celsitudini nostre humiliter supplicavit ut ea omnia que superius continentur ipsi Regiensi ecclesie confirmare nostra serenitas dignaretur. Nos itaque

prefati episcopi supplicationibus benignius inclinati, inherentes quoque vestigiis predictorum avi et patris nostri felicium augustorum, eumdem episcopum et ipsam Regiensem ecclesiam cum omnibus bonis suis sub imperii nostri protectione ac defensione recipimus, omnia que continentur superius, sicut ea suprascripta authentica privilegia plenius continebant, eidem episcopo et ecclesie supradicte in perpetuum confirmantes, salva per omnia imperiali justitia. Si quis autem temerarius violator hoc nostre confirmationis preceptum infringere tentaverit et res prefate ecclesie invadere aut intromittere sine licentia episcoporum ipsius ab hinc in antea presumpserit, cognoscat se compositurum auri puri libras mille, medietatem camere nostre et medietatem eidem Regiensi ecclesie ac ejus vicariis. Ad hujus autem nostre confirmationis memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium fieri et majestatis nostre sigillo precepimus communiri.

Hujus rei testes sunt Berardus (*a*) Panormitanus et Nicolaus Tarentinus (*b*) archiepiscopi, Girardus Tridentinus et Conradus Tergestinus episcopi, Joannes abbas Casemarii, Wilielmus marchio Montisferrati, Raynaldus dux Spoleti et quam plures alii.

Signum domini Federici II Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXIV, mense martii, XII indictionis, imperante domino nostro Federico II Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus IV, regni vero Sicilie XXVI, feliciter. Amen.

Datum Cathanie, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Nicolai episcopi Regini, ei et ecclesiae ejus confirmat privilegium a patre suo Henrico imperatore 24 maii 1195 indultum. Cathaniae, martio.

(*a*) Ap. Tiraboschi *Bertrandus*, male.
(*b*) Ap. Ughelli *Tarraconensis*, male.

(Edid. Tiraboschi, *Memor. Moden.*, t. IV, append. p. 80, n° 752, ex originali in archivo episcop. Regino.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Decet imperialis excellentie dignitatem ecclesiarum Dei clementer instudere profectibus ac pie promovere quod juste petitur ab eisdem, ut et predecessorum principum beneficia digna provisione respiciat et ipsorum integritatem liberalitate cumulata conservet. Hinc est itaque quod universis fidelibus nostris tam modernis quam posteris volumus esse notum quod venerabilis Regiensis episcopus, fidelis noster, quoddam solempne scriptum, a clare memorie divo augusto domino Henrico patre nostro ecclesie Regiensi liberaliter et clementer indultum, nostre curie per suum specialem nuntium presentavit, suppliciter postulando ut quia, sicut predicti paterni scripti concessionem obtinere gaudebat, sic et nostra cupiebat confirmatione gaudere, idem scriptum innovare et de nostra confirmare gratia dignaremur; cujus scripti tenor talis est :

Henricus Dei gratia Romanorum imperator augustus et rex Sicilie. Omnibus fidelibus nostris presentibus scilicet ac futuris notum fieri volumus quod nos propria voluntate moti concedimus Petro venerabili episcopo Regino et ecclesie sue facultatem et liberam potestatem in sua civitate et in circuitu civitatis usque ad quatuor miliaria, sicut eadem ecclesia per precepta [pre]decessorum nostrorum districtum tenet, et per omnes curtes totius episcopatus Regiensis ubicumque. . . . .
. . . . . . est; et si quis vel homines ecclesie interpellaverit vel ab hominibus ejusdem ecclesie interpellatus fuerit, ut habeat nostram imperialem auctoritatem omnes suarum terrarum causas agendi [et] definiendi ante se per advocatores suos et ecclesie, duellum judicandi, legem et justitiam faciendi et quicquid aliud regalibus missis concessum est a regibus vel ab imperatoribus faciendi, ea videlicet ratione ut nullus ejusdem judicialem causam spernat vel nostram jussionem parvipendens sese ante eum distringere contempnat. Quod qui parvipenderit nostre jussioni contrarius, quinquaginta libras argenti nobis persolvere cogetur. Concedimus etiam prenominato episcopo quod de omnibus qui in terris

suis possident possit nomine ecclesie petitiones et actiones sub advocato ecclesie dirigere, et advocatus auctoritate imperiali possit judicare et ejus sententia auctoritate imperiali. . . . . Item concedimus quoque eidem episcopo quod petitiones et actiones suas possit dirigere contra quoslibet, prescriptione nisi centum annorum non obstante preteriti vel futuri temporis. Concedimus etiam. . . . . . eidem episcopo et sue ecclesie suisque successoribus palatium nostrum cum capella et cum toto quod. . . . . habemus in civitate videlicet Regina, quod habet tales fines : a mane Malapresi. . . . . et a sero via publica, de subto fovea civitatis, ut ipsum habeat et teneat cum omnibus suis adjacentiis, salvo tamen nobis et successoribus nostris quod quando Regium venerimus possimus. . . . . palatio descendere et hospitari. Quod autem ut certius credatur et diligentius observetur, hanc hujusmodi constitutionis paginam sigillari jussimus. — Testes Willelmus Ravennas archiepiscopus, Oldevrandus Volaterranus episcopus, Bernardus Faventinus, Opizo Parmensis electus, ex judicibus curie Mediolanensis Arnaldus Strictus, Albertus Strusius, Bernardus de Cuvriaco qui datus fuit ad tenutam dandam, et alii quamplures. — Data Regii, anno dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo quinto, indictione XIII, nono kalendas junii.

Nos igitur illius intuitu cujus ministerio ecclesie sunt dicate, a quo recognoscimus quod vivimus et regnamus, tam honestis supplicationibus inclinati, prelectum scriptum de verbo ad verbum scribi et innovari precepimus et illud de nostra gratia duximus confirmandum. Mandamus presenti statuentes edicto ut nullus dux, marchio, comes, vicecomes, potestas, rector, consul, ecclesiastica vel secularis persona, alta vel humilis, contra presentis innovationis et confirmationis paginam memoratam ecclesiam molestare presumat, et qui presumpserit quinquaginta libras argenti componat, quarum medietas curie nostre et reliqua passis injuriam persolvetur. Ad hujus itaque innovationis et confirmationis nostre memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium fieri fecimus quod sigilli nostri robore jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Berardus Panormitanus et Nicolaus [Ta]-

rentinus archiepiscopi, Girardus Tridentinus et Corradus Triestinus episcopi, Johannes abbas Casemarii, Guillelmus marchio Montisferrati, Raynaldus dux Spoleti, Ricardus imperialis aule camerarius, comes Henricus et quamplures alii.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense marcii, duodecima indictione, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno imperii ejus quarto, regni vero Sicilie vicesimo sexto, feliciter. Amen.

Data Cathanie, anno, mense et indictione prescriptis.

Cathaniae, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, renovat et confirmat privilegium imperatoris Henrici patris sui, datum apud Burgum Sancti Domnini 26 maii 1195, quo episcopo Mutinensi et successoribus ejus concessit ut causas ecclesiae suae, nullo sacramento calumniae praestito, peragere possint.

(Memorat. ap. Tiraboschi, *Memor. Moden.*, t. IV, append., p. 79, ex originali in arch. capit. Mutinensis. Supra autem privilegium Henrici integrum exhibuit, *ibid.*, p. 13, n° 611.)

[Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense marcii, duodecima indictione, etc.]

Datum Cathanie. . . . .

Cataniae, 19 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, Magdeburgensi archiepiscopo, comiti Romaniae et Lombardiae legato, mandat ut cum episcopus

Mutinensis licentiam reaedificandi castri Pontis Ducis requirat, ipse statuat quod inde juste noverit expedire.

(Edid. UGHELLI, *Ital. sacra*, t. II, p. 122, et SILLINGARDI, *Episc. Mutin.*, p. 91, ex copia antiqua in arch. capit. Mutin.)

Fridericus Dei favente gratia imperator et rex Sicilie, dilecto principi suo venerabili Magdeburgensi archiepiscopo, comiti [Romaniae] et totius Lombardiae legato, gratiam et omne bonum. Venerabilis Mutine episcopus fidelis noster celsitudini nostre per nuncium suum et litteras attentius supplicavit ut quia castrum Pontis Ducis in diocesi Mutine positum, spectans ad jus et proprietatem ipsius, a Ferrariensibus, Mutinensibus et aliis civibus funditus est destructum in gravem ipsius ecclesie injuriam et jacturam, illud reedificandi et cunctos homines reducendi in ipsum prestare licentiam dignaremur. Quare devotioni tue duximus committendum mandantes quatenus super hoc juramento (*a*) quod cum honore imperii et indemnitate ipsius ecclesie procedendum videris sic procedas, et inde statuas quod juste noveris expedire, faciens quod statueris per bannum imperiale auctoritate nostra firmiter observari.

Datum Catanie, die XIX martii, XII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Magdeburgensi archiepiscopo, comiti Romaniae et Lombardiae legato, mandat ut constitutionem suam publicari faciat qua jubet haereticos igne concremandos vel, si vitae reservantur, linguae plectro privandos. Cataniae, martio.

(Edider. RAYNALD., *Annal. eccles.*, tom. XXI, ad ann. 1231, § XVIII. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, IV, 252, ex regest. Gregor. IX, ann. IV, 103, sed minus integre.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex

(*a*) Deest aliquid, forsan [*recepto, juxta*].

Sicilie, venerabili . . . Magdeburgensi archiepiscopo, comiti Romaniole et totius Lombardie legato, dilecto principi suo, gratiam suam et omne bonum. Cum ad conservandum pariter et fovendum ecclesiastice tranquillitatis statum ex commisso nobis imperii regimine defensores simus a Domino constituti, non absque justa cordis admiratione perpendimus quod hostilis invaleat heresis, proh pudor! in partibus Lombardie, que plures inficiat et per ora blasphemantium contra decus ecclesie et catholice fidei documenta ex impunitate sumat audaciam insultandi, nec possumus merito non moveri qui tam ex urgenti causa moveri compellimur non injuste quod ante Sedem principis apostolorum et doctoris Ecclesie per quem ad remotos populos fluenta vere scientie derivantur, tam vicina provincia mendicatis iniquorum adinventionibus inquinetur in parte ut in ea dicantur esse quamplures qui prevaricantes legem Domini et abeuntes post scientiam seductricem, decipiunt ad invicem semetipsos et velut aliorum saluti nequiter invidentes quotquot possunt seductoriis verbis alliciunt et eorum damnationi convertere moliuntur, ut per hec verba putrida corpus ledatur Ecclesie ac major pars gregis fidelium per oves has morbidas maculetur. Eritne igitur dissimulandum a nobis, aut sic negligenter agemus ut contra Christum et fidem catholicam ore blasphemo insultent impii, et nos sub silentio transeamus? Certe ingratitudinis et negligentie nos arguet Dominus qui contra inimicos sue fidei nobis gladium materialem indulsit et plenitudinem contulit potestatis. Quapropter in exterminium et vindictam actorum sceleris tam nefandi, complicum et sequacium heretice pravitatis quocumque nomine censeantur, utriusque juris auctoritate muniti, dignos motus nostri animi exercentes, presenti edictali constitutione nostra in tota Lombardia inviolabiliter de cetero valitura duximus sanciendum ut quicumque per civitatis antistitem vel diocesanum in qua degit post condignam examinationem fuerit de heresi manifeste convictus et hereticus judicatus, per potestatem, consilium et catholicos viros civitatis et diocesis earumdem ad requisitionem antistitis illico capiatur, auctoritate nostra ignis judicio concremandus, ut vel ultricibus, flammis pereat, aut si miserabili vite ad coercitionem aliorum elegerint reservandum, eum lingue plectro depri-

vent, quo non est veritus contra ecclesiasticam fidem invehi et nomen Domini blasphemare. Ut autem presens hec edictalis constitutio nostra debeat in hereticorum exterminium firmiter observari, circumspectioni tue committimus quatenus hanc constitutionem nostram per totam Lombardiam facias publicari, amodo per imperialis banni censuram ab omnibus universaliter observandam.

Datum Cathanie, anno dominice incarnationis MCCXXIV, mense martii, duodecime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, in protectione sua suscipit gentes Livoniae, Esthoniae, Samlandiae, Prussiae, Semigalliae ad unitatem catholicam converti volentes. Cataniae, martio.

(Edit. ap. *Petr. de Vin. epist.*, lib. VI, cap. 30; coll. cum cod. Biblioth. Paris., *Fonds St-Germain lat.*, n° 456, fol. 211, unde notas chronologicas eruimus quae omnino in impressis usque nunc defuerant.)

Fridericus, etc., regibus, ducibus et principibus, marchionibus et universis Christi fidelibus imperio Romano subjectis gratiam suam et omne bonum. Ad hoc summi dispensatione consilii pre aliis principibus obtinuimus monarchiam dignitatis et imperii Romani suscepimus diadema ut, etsi ad alia extrinseca debita sollicitudo nos provocet, ad ea tamen que libertatis Ecclesie statum et incrementum catholice fidei promoverent tanto specialius intendamus, quanto gratius inde Christo impertitur obsequium, a quo fides cepit exordium et per quem imperialis gratiam recognoscimus unctionis. Hinc est igitur quod per presens scriptum notum fieri volumus universis presentem paginam inspecturis ad nostram nuper ex veridica fidelium insinuatione noticiam pervenisse quod quedam gentes in septentrionalibus partibus constitute, videlicet in Livonia, Estonia, Samblandia (1), Prussia, Semigallia et in aliis provin-

(1) Scilicet *Samland*, provincia parvae Pomeraniae vicina.

ciis convicinis, inspirante celitus eo qui ubi vult spirat et expulsa de cordibus eorum superstitionis caligine, cor carneum inducentes ab infidelitatis errore discedere cupiunt et ad veri Dei cultum et catholice fidei unitatem accedere sunt parati, ob illius tantum sicut dicitur differentes timorem ne post susceptionem fidei per principes orbis libertas eorum ad servitutis onera deducatur; cumque penitus censeamus indignum et cunctis Christi cultoribus abhorrendum ut libertas que per se res favorabilis est, privilegium et favorem que per fidem meretur amittat, ea omnia prevenienda duximus de gratia speciali. Et ecce quod universos et singulos eorum ad susceptionem catholice fidei venientes post susceptam fidem cum omnibus bonis eorum sub nostra et imperii protectione et speciali defensione suscipimus et presentis scripti auctoritate plenam eis et heredibus eorum intuitu suscepte fidei concedimus et confirmamus perpetuo libertatem, necnon omnes immunitates quibus uti consueverunt priusquam converterentur ad fidem. Eximimus insuper eos etiam a servitute et jurisdictione regum, ducum et principum, comitum et ceterorum magnatum, presenti sancientes edicto ut nonnisi sacrosancte matri Ecclesie ac Romano imperio, quemadmodum alii liberi homines imperii, teneantur, nullusque eos contra presentis protectionis, defensionis, concessionis et confirmationis nostre paginam impetere, molestare, offendere vel eorum quietem turbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram et imperii se noverit graviter incursurum. Quare universitatem vestram hortando et rogando monemus attentius exhortantes quatenus predictas gentes accedentes ad fidem, ob illius amorem cujus nutu ac inspiratione ducuntur et qui eas denuo ad se vocat, benigne protegere, fovere ac tueri potenter ab incursibus malignorum et ob reverentiam imperii commendatas habere velitis, ut universos et singulos possimus exinde merito commendare.

Datum Cathanie, anno dominice incarnationis M° CC° XX° IIII°, mense marcii, XII° indictionis (1).

(1) Notandum est hoc privilegium jam sex annis ante indultum quam ordo Theutonicus ex concessione Conradi ducis terram Culmensem occupaverit.

Simon et Henricus de Tocco et Roffredus de Sancto Germano magnae imperialis curiae judices declarant Guillelmum marchionem Montisferrati in praesentia sua et testium a Friderico Romanorum imperatore novem millia marcarum argenti in mutuum accepisse, pro quarum solutione omnia ipsius bona immobilia obligavit. Apud Cataniam, martio.

(Edit. a BENVENUTO DE S. GEORGIO apud MURATORI, *Script.*, t. XXIII, p. 376 et seqq.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno salutifere incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mensis martii, duodecime indictionis, imperante domino nostro Federico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie gloriosissimo, Romani imperii ejus anno quarto, regni vero Sicilie vigesimo sexto, feliciter. Amen. Nos Simon de Tocho, magne imperialis curie et Capue magister judex, et nos Henricus de Tocho et Rofridus de Sancto Germano, ejusdem magne curie judices, presentis scripti serie declaramus quod in presentia nostra et illustris viri domini Raynaldi ducis Spoleti, comitis Henrici de Malta, domini Lamberti de Monialino, Bartholomei de Arrichito justitie Catanie magistri, Raynaldi Ottoboni campsoris domini imperatoris, Guglielmi de Rodulpho Januensis, Fusci Miseraile (*a*), Leonis de Pando et aliorum testium subscriptorum, illustris vir dominus Gulielmus marchio Montisferrati confessus est se recepisse mutuo a domino nostro Federico Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, novem millia marcarum argenti mercatalis ad pondus Colonie, quarum quelibet marcha tenebat mediam unciam, quas promisit se soluturum ipsi domino imperatori vel ejus certo nuntio stipulatione solemni, sine omni questione et controversia facti vel juris. Pro quibus

(*a*) Verisimiliter legendum *Fusci Musci filii*. Vid. infra inter nomina testium.

omnibus adimplendis obligavit sibi omnia bona sua immobilia que habet in civitatibus, castris et villis, sive in allodio, sive in homagio, sive in servitio, sive in pedagio, sive in fodro, sive in redditibus aliquibus seu juribus, sive angariis, sive perangariis, seu aliquibus exactionibus, specialiter illa, etc. [*Sequitur descriptio omnium possessionum quas tenet marchio aut quae de ipso tenentur a caeteris.*] Idem autem marchio renuntiavit in hoc facto omni legum auxilio, et specialiter exceptioni non numerate pecunie, doli et . . . . . in factum obligans se suosque heredes domino imperatori suisque heredibus ad penam viginti millium marcharum argenti, si ipse vel heredes sui vel aliquis pro parte eorum contra predictam obligationem venire presumpserit, predicta conventione in suo robore duratura; omnium autem rerum et singularum corporalem possessionem domino imperatori tradidit, concedens sibi omnes fructus et utilitates et obventiones predictarum rerum et jurium ex causa donationis inter vivos (1). Item specialiter convenitur inter eos quod si dictus dominus imperator predicta bona in totum vel in partem recollegerit que dictus marchio aliis obligavit, eadem conditione teneantur pro primo debito pro sorte, et quod eodem modo possit fructus percipere, sicut superius dictum est, quam etiam pro debito pro quo a creditoribus dominus imperator obligata bona ab ipso marchione duxerit redimenda; dum tamen dominus imperator predictis bonis redimendis non solvat ultra septem mille et ducentas marcas argenti predicti ponderis et qualitatis. Ad cujus rei memoriam et inviolabilem firmitatem, ego Nicodemus de monte Ca-

---

(1) Hoc mutuum contraxit Guillelmus marchio ut facilius regnum Thessalonicense recuperaret. Jam anno praecedente 1223, 11 octobris apud Fructuariam, Bonifacius de Monteferrato Sedi apostolicae promiserat a se patrem suum ad sacram movendam expeditionem animandum, ut constat ex instrumento inedito in libro censuum Cencii camerarii. « Mense januario (1224) » marchio Montisferrati cum electis nonnullis militibus quos in Lombardia et Tuscia retinuerat, » venit Brundusium profecturus in Romaniam in succursum civitatis Thessalonicensis quam » Comniano tenebat obsessam, et relicta gente sua Brundusii, ipse ad imperatorem in Siciliam » vadit, consilium ab eo et auxilium petiturus. Interea tamen ipse Comniano obtinet civitatem » ipsam diu eam obsidendo, et dictus marchio nihilominus a Brundusio in Romaniam trans» fretat. — Mense septembris (1225), marchio Montisferrati in Romania naturali morte defun» gitur. » Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

veoso notarius de mandato domini nostri serenissimi imperatoris et rogatu prefati marchionis scripsi duo consimilia instrumenta, unum habendum penes dominum imperatorem, aliud penes eumdem dominum marchionem. Acta sunt hec apud Cataniam, anno, mense et indictione pretitulatis. — † Signum crucis proprie manus domini Raynaldi egregii ducis Spoleti. — † Signum crucis proprie manus comitis Henrici de Malta. — Ego Simon magne imperialis curie, etc. — Ego Henricus de Tocho magne imperialis curie judex. — Ego Rofredus de Sancto Germano magne imperialis curie judex. — Ego Bartholomeus de Arrichito justitiarius Catanie interfui. — Ego Ottobonus imperialis curie ponderator interfui. — Fusco Constantini Musci filius. — Ego magister Renaldus de Cachas interfui.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori grates agit quod ad interventum suum [Rogerium] comitem Fundanum dimiserit, rogatque ut superaddita gratia filium ejusdem quoque dimittat, quum pro eodem comite se obligaverit quod nihil contra ipsum attentabit. [Martio seu aprili circiter.]

(Inedit. ex Cod. Bibliot. maj. Paris. n° 8604, fol. 54 recto, lib. VII, cum hoc titulo : *Cardinalis rogat imperatorem ut dimisso patre dimittat et filium.* Honorio tamen epistolam ascribimus, coll. Codic. S. Victoris 273, parte VIII, et Berolin. 188, f. 123 r°.)

[Honorius, etc., Frederico, etc.] Imperiali mansuetudini gratiarum dignas referimus actiones quod dilectum filium nobilem virum. . . comitem Fundanum (1) pro quo specialiter et precipue magistrum Roffridum familiarem nostrum ad te cum multa fiducia destinavimus, ad nostram presentiam remisisti (2). Verum si tua rememinisset serenitas cum

(1) Scilicet *Rogerium de Aquila.* Vide supra, p. 393.
(2) [Ann. 1224 ineunte]. « Dicti Fundanus, Casertanus, Avellini et Tricarici comites in Si-

quanto affectu quantaque instantia te quampluries non solum litteris sed viva voce pro ipso rogavimus, et quanta pollicitatione te nostris precibus annuisse spem dederis, nequaquam forsan contra ipsum in aliquo processisses, sed eum specialiter nostro honorasses obtentu; et sic falsa esset quorumdam opinio asserentium quod ad hoc ipsum feceris detineri ut nobis donares eumdem. Ceterum ne liberalitatem tuam questionibus impugnare, sed potius commendare precibus deberemus, vellemus ut prudenter sicut decet attendens quod Christus non dimidium, sed totum hominem salvum fecit, et advertens quod proprie liberalitatis est proprium plura concedere quam rogetur, eo quod semiplena est gratia cui aliquid non adjicitur, ad nos dictum comitem [totum] liberum remisisses; quia cum fictione (*a*) juris pater et filius intelligantur una persona, nequaquam totum ipsum retento filio suo nobis reddidisse videris, presertim cum nonnunquam nobiscum affectu naturali fallente, pater non minus in filio quam in seipso soleat cruciari. Ut igitur tot inculcatio precum nostrarum apud te plenum sortiatur effectum nec minus tua solvat liberalitas quam promisit, imperialem mansuetudinem rogamus, monemus et hortamur attente omni affectione qua possumus quatinus recogitans magnanimiter quod in donando et in parcendo immensitas tanto principi optima est mensura, dictum comitis filium liberaliter nobis donans, eum ad nos absolute remittas, quia pro dicto comite nos fidejussorie obligamus quod contra te nihil penitus attemptabit, sed pro posse tuis beneplacitis obsequetur, sperans apud te nostri maxime interventu propensiorem gratiam invenire. Preces autem nostras hac vice taliter adimpleas quod mendaces ostendas illos qui ex hoc contra te mendaciter murmurant, et nos sinceritatem tuam commendantes in Domino reddas merito letiores.

(*a*) In Codicibus tamen *factione*.

» cilia ab imperatore detenti ad interventum Honorii papae dimissi sunt liberi et regnum » exeunt, suis tamen filiis et nepotibus pro se obsidibus datis. » Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Honorius papa Ludovico Francorum regi transmittit litteras imperiales de succursu Terrae Sanctae procurando et de treugis cum rege Angliae innovandis. Laterani, 4 aprilis.

(Inedit. ex codice Biblioth. Paris. 8408, dicto *Chartulaire de Philippe-Auguste*, fol. 122.)

Honorius, etc. Ludovico Francorum regi, etc. Petitionibus quas per venerabiles fratres nostros archiepiscopum Bituricensem et Lingonensem et Carnotensem episcopos nobis tue serenitatis devotio destinavit a nobis et fratribus nostris multa diligentia, sicut exposcebat negotii magnitudo, discussis, ita quod finali tractatu habito super illis prefati episcopi jam iter arripuerant ad te cum litteris nostris revertendi, ipso archiepiscopo qui pro quibusdam negotiis suis apud apostolicam Sedem remanserat adhuc in nostra presentia constituto, supervenerunt solempnes nuncii carissimi in Christo filii nostri F. illustris Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie, nobis per ipsos nuncios et imperiales litteras (1) exponentis fervens desiderium quod ei de Terre Sancte succursu Dominus inspiravit ac postulantis instanter ut, cum ipse reges et principes christianos ad id animare studeat imperialibus largitionibus et promissis, sicut colligere poteris ex tenore litterarum ipsarum quem tibi per venerabilem fratrem nostrum C. Portuensem episcopum apostolice Sedis legatum curavimus destinare, nos quoque universos Christi fideles exhortationibus et indulgentiis apostolicis ad idem excitare negotium studeremus. [Unde hortatur ut pacem si fieri possit cum R. filio quondam R. comitis Tolosani faciat et de treugis cum rege Angliae innovandis legato suo plenam fidem adhibeat.]

Datum Laterani, II nonas aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

---

(1) Vide supra epistolam 5 martii 1224, p. 413.

Catanae, 6 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, denuo mandat archiepiscopo Arelatensi et episcopo Cavallicensi ut Guillelmum de Sabrano comitem Forcalcherii compellant ad restitutionem villae Pertusii, quam contra jus monasterii Montis Majoris violenter occupavit.

(Inedit. ap. CHANTELOU, *Hist. monast. S. Petri Montis Majoris*, fol. 266, MSS. in biblioth. Arelat.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilectis fidelibus suis venerabilibus Arelatensi archiepiscopo et Cavellicensi episcopo gratiam suam et bonam voluntatem. Venerabilis abbas Montismajoris fidelis noster gravi nobis conquestione significare curavit quod Guillelmus de Sabrano comes Forcalcherii villam Pertusii ad ipsum monasterium pertinentem contra conventiones ipsi monasterio factas et juratas et a nostra celsitudine, sicut de jure fuerat, confirmatas violenter et nequiter occupavit. Quod si verum est, eo grave ferimus et indignum quod illud tanquam ad nos et imperium nullo mediante in temporalibus pertinens in suis justiciis nolumus aggravari. Quare fidelitati vestre firmiter precipimus et attente quatenus Guillelmum ad restitutionem predicte ville, prout ipsi monasterio noscitur de jure spectare, compellere, sicut justum est et expedire videbitis, debeatis; nullatenus sustinentes quod per potentiam antedicti nominatum monasterium suis rationibus spolietur, mandatum nostrum taliter adimplentes ut devotionem vestram exinde commendemus.

Datum Cathane (1), VI° aprilis, XII° indictionis.

---

(1) Legitur ap. Chantelou *Caterbae*, quod me penitus fugit. Polycarpus de la Rivière, *Annal. MSS. eccles. civit. et comit. Avenion.*, lib. IV, vol. 1, fol. 771, idem mandatum commemorans dicit : *Datum Cathé, sexto aprilis*, etc.; quae quidem abbreviatio verbum *Cathane* clarissime demonstrat.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit papae, suas jam multoties per nuntios et litteras pro notario suo magistro Johanne de Trajecto interpositas preces renovans, de quibus nulla fuerit usque nunc decisio secuta, et apud pontificem commendat archiepiscopum Hydruntinum qui suas pro eodem instantiores preces ex ore porrigat. Cataniae, 3 maii.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 127, n° 537, ex copia quam Pertz in regestis Vaticanis transcripsit.)

Datum Cathanie, III nonas maii, indictione duodecima.

Fridericus, Romanorum imperator, sententiam a Simone et Henrico de Tocco et Petro de Sancto Germano magnae curiae suae judicibus latam confirmat, qua deciditur in favorem Thomasii praepositi Sanctae Mariae de Luco pro parte monasterii Cassinensis. Cataniae, maio.

(Edit. ap. GATTULAM, *Access. ad hist. Cassin.*, p. 292, ex originali in arch. Cassin.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, [semper augustus] et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod dominus Thomas, venerabilis prepositus Sancte Marie de Luco obedientie monasterii Cassinensis, fidelis noster, quamdam sententiam latam pro ipsa ecclesia Sancte Marie de Luco contra curiam nostram per magistros Simonem de Tocco, Petrum de Sancto Germano et Henricum de Tocco, magne curie nostre judices, nostro culmini presentavit, supplicans humiliter et devote ut sententiam ipsam confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus sententie tenor talis est :

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno salutifere incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mense madii, duodecime indictionis, imperante domino nostro Federico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie gloriosissimo, Romani imperii ejus anno quarto, regni vero Sicilie vigesimo septimo, feliciter. Amen. Sub domino Henrico de Morra magne imperialis curie magistro justitiario querelam instituit dompnus Thomas prepositus Sancte Marie de Luco pro parte monasterii ejusdem continentem : « Ita peto a curia imperiali ut permittat homines predicte ecclesie habitantes in casali Luci esse in eo statu et libertate quo fuerunt tempore regis Guillelmi et ut curia cesset ab indebitis molestationibus et exactionibus quas facit ipsis hominibus. Molestat enim trahendo eos ad forum seculare, imponendo eis collectas, adjutoria et servitia, angariando et perangariando eos, que omnia non consueverunt ipsi homines facere et prestare tempore regis predicti. Item molestat eos ponendo bajulos in ipsa villa quos prepositus tempore dicti regis ordinabat et percipiendo plateaticum in villa ipsa quod spectat ad ipsam ecclesiam, preter plateaticum turzellorum quod spectat ad curiam, salvo jure addendi et minuendi. » Verum ut dictum negotium debitis partibus non careret, dictus magister justitiarius ad eam litem procuratorem constituit judicem Santuctum qui justitiam fisci defenderet et in ea causa fisci vices fideliter sustineret. Processit igitur dictus magister ad litis contestationem in modum subscriptum, negans dictos homines pertinere ad ecclesiam Sancte Marie, addens quod bajuli domini imperatoris in omnibus que exegerunt ab ecclesia usi sunt jure suo. Re igitur dubia per negationem facta, producti sunt testes qui communiter pro utraque parte dicerent veritatem. Apertis autem depositionibus postquam renuntiatum fuerat a partibus et conclusum, per multos testes contra quos nihil dictum fuerat vel objectum, probatum extitit manifeste, videlicet per Johannem de Simone qui dixit quod ipse vidit tempore regis Guillelmi per annos duodecim prepositos ecclesie Sancte Marie de Luco tenere et possidere homines quos ecclesia illa habet in casali Luco liberos et quietos, quod nemini respondebant nisi solis prepositis qui pro tempore succedebant de omnibus

debitis servitiis de quibus homines soliti sunt respondere dominis suis. [Sequitur depositio istius Johannis, Raynaldi Segnoretti caeterorumque testium qui una omnes jus ecclesiae Sanctae Mariae super casale Luci producunt.] Sane cum dictus prepositus ferri cum instantia sententiam postularet, magister justitiarius nolens negotium sine speciali consensu principis terminare, omnia cum relatione et depositionibus testium sub sigillo suo ad presentiam principis destinavit. Quo processu domino nostro imperatori per nos Simonem de Tocco, Petrum de Sancto Germano et Henricum de Tocco magne imperialis curie judices fideliter recitato, precepit negotium ipsum judiciali sententia terminari. Nos igitur predicti judices, inspectis meritis actorum, et depositionibus testium consideratis non minus fideliter quam prudenter, constituto quoque procuratore pro parte curie magistro Rofredo de Benevento ad sententiam audiendam, ipsum magistrum Rofridum pro parte curie a percipiendis angariis et perangariis et ab impositione bajuli super ipsis hominibus et a constringendis hominibus in foro curie, a percipiendo plateatico preterquam de torsellis, ab exactione collectarum et adjutorum (*sic*) sententialiter decrevimus abstinere, nisi forte dominus imperator de adjutoriis, sicut viva voce protulit coram nobis, mandaret certum quid exigi pro capitibus omnium singulorum, predicta omnia supradicto preposito loci adjudicantes pro parte monasterii Cassinensis. Ad cujus rei memoriam presens scriptum per manus notarii Nicodemi de Monte Caveoso scribi fecimus nostris subtestationibus communitum, anno, mense, indictione pretitulatis. —Ego qui supra Simon magne imperialis curie judex. —Ego Petrus de Sancto Germano magne imperialis curie judex (1). —Ego Henricus de Tocco magne imperialis curie judex.

---

(1) Iste judex anno praecedente, dum Henricus de Morra magnae imperialis curiae magister justiciarius, pro servitiis imperialibus abesset, conventionem factam inter Thomasium praepositum Sanctae Mariae de Luco et Joannem priorem Castellionis, procuratores conventus Cassinensis, ex una parte, Johannemque de Archiepiscopo civem Trojae ex altera scribi fecerat, per instrumentum actum Foggiae, mense novembris 1223, duodecimae indictionis; cui se ipse subscripsit una cum Simone [de Tocco] et Guisando de Rubo, magnae imperialis curiae judicibus. Inedit. in *arch. Montis Cassini*, cap. 98, fasc. I, n. 7.

Nos autem supplicationibus predicti prepositi que justitiam continebant benignius inclinati, predictam sententiam, sicut superius continetur et per predictos magne curie nostre judices juste lata est, de consensu [et] consueta benignitatis nostre gratia in perpetuum confirmamus. Ad cujus nostre confirmationis memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Data Catanie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense madii, duodecime indictionis.

In civitate Catanae, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, sub protectione sua iterum recipit Sancti Cesarii Arelatensis abbatissam cum monasterio ejus eique omnia bona et possessiones confirmat.

(Inedit. ap. Bonnemant, *Hist. et cart. de l'abb. roy. de S. Césaire d'Arles*, pars II, fol. 12, MSS. Bibl. Arelat. — Extat quoque ap. arch. comm. Arel., *Église*, t. I, n° 86, transcriptum in privilegio imper. Caroli IV, anno 1359. Vid. supra, p. 367.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum fieri volumus universis quod venerabilis abbatissa monasterii Sancti Cesarii Arelatensis provincie nostre celsitudini supplicavit ut predictum monasterium, eam et collegium suum cum omnibus bonis suis sub speciali protectione nostra recipere et bona eadem confirmare de nostra gratia dignaremur. Nos itaque attendentes conversationem honestam predicte abbatisse ac collegii memorati et cultum religionis qui jugiter in eodem monasterio conservatur, monasterium ipsum, eam et collegium suum et omnia bona sua sub nostra speciali protectione recipimus, de gratia nostra confirmantes eidem omnia que collatione pontificum, largitione regum et principum et aliorum oblatione fidelium seu alio justo titulo in presentiarum juste tenet ac possidet monasterium memoratum, vel in antea justis modis, prestante Domino, poterit adipisci. Statuentes et presentis auctoritate scripti man-

dantes quod nullus dux, marchio, comes, vel aliqua persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, predictum monasterium in eisdem bonis suis contra hujusmodi protectionis et confirmationis nostre paginam inquietare audeat vel modo quolibet perturbare. Quod qui presumpserit penam centum librarum auri componat, quarum medietas fisco nostro et reliqua medietas injuriam passis persolvetur. Ad hujus itaque protectionis et confirmationis memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri fecimus et sigillo nostro solito fecimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis (*a*).

Datum in civitate Cathane, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo quarto, mense junii, XI[a] indictione (*b*).

Fridericus, Romanorum imperator, in unum privilegium redigi facit, renovat et confirmat duo privilegia a se monasterio Sanctae Mariae Montis Virginis indulta, primum mense maio **1221**, secundum autem mense julio **1222**. Syracusis, junio.

(Inedit. in archivo Montis Virg., vol. VIII, n° 62, ex originali cujus scriptura in medio pergamenae temporum injuria fere deleta est.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris tam presentibus quam futuris quod Johannes venerabilis abbas et conventus monasterii Sancte Marie Montis Virginis fideles nostri per duos de fratribus suis celsitudini nostre duo privilegia presentarunt ipsi monasterio post curiam Capuanam a nobis indulta, et majestati nostre devotius supplicarunt ut ea transcribi et in unum redigi privilegium faceremus; quorum continentia talis est:

(*a*) Ap. Bonnemant *suprascriptis*, minus recte.
(*b*) Sic in codice. Rectius tamen legendum *XII*[a].

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Cum inter cetera pietatis opera quibus supernum regnum acquiritur, virtus eleemosine locum obtineat celsiorem, religiosis quibuscumque ecclesiis imperialem convenit adesse favorem a quibus pro populi indulgentia omnipotenti Domino jugiter. . . . . Hac igitur nos ducti consideratione laudabili, attendentes etiam sacre religionis cultum venerabilis monasterii Sancte Marie Montis Virginis et eterne retributionis intuitu, pro remedio quoque animarum divorum augustorum parentum nostrorum ac pro salute nostra. . . . . concedimus et confirmamus eidem monasterio in perpetuum homines et possessiones terrarum quas in tenimento Magdalonis. . . . . sicut in privilegiis a majestate nostra sibi indultis plenius continetur, ... in quibuscumque videlicet terrarum possessionibus. . . . . ad honorem. . . . . Marie semper virginis est constructa. Confirmamus etiam eidem venerabili monasterio in perpetuum hospitale pauperum de Nuceria. . . . . et molendina in territorio ejusdem castri Nucerie et totum. . . . . rationabiliter possidet in casali Sancti Marciani quod est in territorio Sarni, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus autem concessionis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium per manus Philippi de Salerno notarii et fidelis nostri scribi et sigillo nostro jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis. Datum in civitate Messane, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo primo, mense madii, indictione nona, imperii domini Frederici Dei gratia gloriosissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie anno primo, regni vero Sicilie vicesimo tercio, feliciter. Amen (1).

Secundi continentia talis est :

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis fidelibus nostris

(1) Cf. supra, p. 181.

tam presentibus [quam futuris] (*a*) quod Joannes venerabilis abbas et conventus monasterii Sancte Marie Montis Virginis fideles nostri per duos de fratribus suis majestati nostre significaverunt humiliter supplicando ut, quia sub quodam privilegio ipsi monasterio post curiam Capuanam indulto de quibusdam hominibus, possessionibus et bonis que monasterium ipsum a nobis longe ante tenuerat rationabiliter et quiete, occasione illius clausule qua dicitur salvo mandato et ordinatione nostra a camerariis et bajulis curie nostre monasterium ipsum graves et indebitas molestias sustinebat, de gratia nostra indulgeremus eisdem ut clausula ipsa in dicto privilegio nostro apposita dicto monasterio de cetero non obesset. Nos itaque supplicationibus dicti abbatis et conventus sui benignius inclinati, de gratie nostre plenitudine quam pluribus jam monasteriis fecimus super clausula supradicta [ut] exemptes (*sic*) existerent vel immunes, et quia dictis camerariis et bajulis nostris adimere volumus omnem injustam materiam dictum monasterium malignandi, volumus et decernimus ut predicta clausula in dicto privilegio apposita qua dicitur salvo mandato et ordinatione nostra in nullo dicto monasterio possit obesse, sed ea quasi dempta privilegium ipsum in sua permaneat perpetua firmitate. De majori quoque munificentie nostre gratia restituimus et confirmamus in perpetuum monasterio memorato sexaginta sertas anguillarum de pantano nostro Alexine singulis annis percipiendas, sicut ex dono comitis Mathei dudum illas habuisse dinoscitur et in privilegio ipsius comitis continetur apertius. Data in castris ante Iatum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo tercio, mense julii, decime indictionis (1).

Nos autem predictorum abbatis et conventus honestam vitam et religionem laudabilem attendentes, eorum justis. . . . . supplicationibus benigne duximus annuendum, predicta duo privilegia sicut superius continetur. . . . . et in quibuscumque. . .

(*a*) Haec duo verba in pergamena desunt.

---

(1) Cf. supra, p. 261 et not. 1.

. . . . concedentes et confirmantes eisdem et suis successoribus in monasterio memorato quicquid in eisdem. . . . . plenius. . . . . Ad cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Siracusis, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense junii, duodecime indictionis.

Apud Syracusiam, julio et 2 julii.

Joannes de Leandro, magister Basilius Tacqui, magister Nicolaus judices Regii et magister Nicander ejusdem civitatis notarius, ad requisitionem Stephani archimandritae monasterii Sanctae Mariae de Terreto Regini dioecesis, in publicam formam redigunt quinque privilegia eidem monasterio indulta: primum per comitem Rogerium I, anno 1090, mense madii, et confirmatum a comite Rogerio II filio ejus, anno 1115, mense junii; secundum per eumdem comitem Rogerium II, anno 1121, mense junii: quae quidem duo de graeco in latinum judices supradicti translatari faciunt; tertium vero quo Fridericus tunc rex Siciliae Joannicio archimandritae Sanctae Mariae de Terreto et ecclesiae ejus confirmat omnia privilegia et obedientias ejusdem; quartum quo Fridericus idem tunc imperator ad preces Nicodemi archimandritae monasterii ejusdem duo graeca privilegia superius memorata confirmat; quintum denique quo Fridericus idem camerario Calabriae et bajulis Regii, Mesae, Sanctae Agathes, Sancti Niceti et Tuchii mandat ne monasterium unquam indebite molestare praesumant.

(Inedit. in arch. egregii viri Volpicella Neapolit., ex pergamena originali temporum injuria et antiqui possessoris ignorantia paululum deleta, et fracta in plicaturis. Quod quidem instrumentum, licet ultra fines nostros prodeat, ob singularem redactionis formam integrum exhibere duximus.)

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Anno ab ejusdem dominica incarnatione millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, die martis ultimo mensis aprelis, decime indictionis, regnante domino nostro Conrado Dei gratia Romanorum in regem electo, Jerusalem et Sicilie illustrissimo rege, secundo regno (*sic*) utriusque regni ejus, feliciter. Amen. Nos Joannes de Leandro, magister Basilius Tacqui, magister Nicolaus judices civitatis Regii et magister Nicander publicus notarius ejusdem civitatis presenti instrumento publico declaramus quod in presentia nostra et aliorum proborum virorum litteratorum subscriptorum veniens dopnus Stephanus, venerabilis archimandrita monasterii Sancte Marie de Terreto Regini diocesis, presentavit et ostendit quedam duo privilegia in greca littera facta monasterio suo per comitem magnum Rogerium Sicilie et Calabrie et per sequentem magnum comitem Rogerium Sicilie et Calabrie filium ejus, sigillata et munita consueta plumbea bulla ipsorum comitum bone memorie, et petiit ut de officio nostro ad cautelam dicti sui monasterii ipsa privilegia translatari et in publicam redigi formam [faceremus]. Item ostendit quasdam patentes litteras et duo privilegia factas ipsi monasterio per dominum nostrum quondam serenissimum imperatorem, quorum alterum ante ejus incoronationem et aliud et alteras post incoronationem : roborate littere ipse et unum ipsorum privilegiorum cum cera sigilli imperii et ceterum munitum cum cera rubea sigillo regni Sicilie; quas etiam litteras et duo privilegia petiit similiter ad publicam redigi formam, dicens ipsa omnia velle habere in uno instrumento continuata ad ostendendum regie curie pro consequendis juribus suis. Nos vero considerantes ipsum archimandritam illud petere quod juris est, duo predicta privilegia ex greca littera de verbo ad verbum per me antedictum notarium publicum translatata cum predictis litteris et dictis duobus privilegiis fideliter de verbo ad verbum in publicam presenti pagina redegimus formam : que etiam omnia privilegia et litteras antedictas vidimus fore non cancellatas, non abolitas, non abrasas, neque in aliqua parte maculatas, scripta in carta de pergamena, exceptis litteris que erant in carta papiri, quorum instrumentorum et litterarum tenor talis est :

Sigillum factum a me Rogerio magno comite Calabrie et Sicilie et datum tibi abati et archimandrite dompno Nicodemo et omnibus fratribus commorantibus in monasteriis Sancte Marie de Terreto et Sancti Nicolai de Salamicio, mense madii, tercie decime indictionis. Nunc transpositum in presenti pagina, eo quod primum fuit in charta papiri, de concessione roborata mei Rogerii comitis filii predicti magni comitis, mense junii, octave indictionis. Divis et sanctis ecclesiis curam habere et manum eis porrigere auxilii dignum est et valde justum et monachis qui in eisdem venerabilibus et sanctis locis et domibus commorantur benefacere et remunerare. Quapropter te predictum cum tuis fratribus invenientibus disponentes monachorum ordinem (*a*) feci vobis presens sigillum ut amodo sine impedimento vadant omnia predictorum monasteriorum animalia ad omnes meas terras, videlicet Mese, Regii, Sancte Agathes, Sancti Niceti et Thuchii, et simpliciter in omne nostrum tenimentum pascentia et hospitata in quo et volunt loco indeterte (?) et granchiarum eorum omnia predicta similiter, et vestrum grypnum (*b*) mandamus piscari sine impedimento in omni mea terra in qua volueritis, non substinens omnino aliquam consuetudinem vel dapnum pro opsonio vel aliis petitionibus. Cum hiis autem ut habeatis omnes terras quas possidetis in tenimento Tuchii et ipsas sine molestia, absque censu aliquo, agrariis (*c*) et ceteris redditibus, nec etiam decimas aufferre alias de vestris animalibus in mea terra omnino, set magis sicut dictum est libere ea pascere in omni; predicta etenim omnia sicut dictum est teneat et possideat ipsum monasterium usque in eternam vitam, nunquam ab aliquo in hiis molestata omnino nec a me ipso nec ab heredibus meis et successoribus neque etiam ab aliqua persona omnino. Qui etenim inventus fuerit hec removens, sit ille maledictus a Domino Deo omnipotenti et solvat in nostro thesauro, sicut transgressor nostrorum mandatorum, aureos mille. In hiis et presens nostri sigillum munitum et roboratum de nostra con-

(*a*) Locus obscurus aut male translatus.

(*b*) Legitur potius *Xrypum* cum littera graeca X. Inferius vero *piscata grypi*, verisimiliter a voce graeca Γρίπος, *piscatorium rete*.

(*c*) Sic : forsan pro *angariis*.

sueta plumbea bulla, mense et indictione premissis, anno sexto millesimo quingentesimo nonagesimo octavo (1). Transcriptum autem sicut communita omnia et roborata que tenebant predicta monasteria juste tempore bone memorie patris mei et a me predicto comite, anno sexto (2) millesimo sexcentesimo vigesimo tercio.

Item continentia secundi greci instrumenti est talis :

Sigillum factum a me Rogerio magno comite Calabrie et Sicilie et datum tibi venerabili archimandrite Sancte Marie de Terreto domino Nicodemo, mense junii, quartedecime indictionis. Paternalia benefacta conservare et in melius augmentare valde laudandum et utile est, et maxime in sanctis ecclesiis et venerabilibus monasteriis in quibus Deus incessanter glorificatur. Ea propter accedens predictus Sancte Marie de Terreto archimandrita dominus Nicodemus petiit ut bone memorie patris mei Rogerii magni comitis Sicilie et Calabrie et pietissime matris mee data et concessa per nostrum privilegium roboraremus. Quare et vestigia paterna sequentes, pro redemptione et dimissione peccatorum parentum nostrorum bone memorie et continua. . . . . nostri status, obedivimus cordetinus adimplere que ipse archimandrita petiit; et sic per sigillum nostrum dudum donata et concessa a parentibus nostris memorie recolende ipsi monasterio de Terreto juxta tenorem privilegiorum suorum concedimus et roboramus, et ipsum monasterium libere permanere perpetuo mandamus ab omni noxia molestia et petitione et ab omni reddita et quesito cum omnibus existentibus et consuetis ejus granchiis, terris, vineis, molendinis. . . . . pedibus et pascua animalium ejus et in maritima Sancti Niceti [et] Regii dimidia salina et pis-

(1) In pergamena in hac parte abrasa posteriori manu superscribitur *anno vero millesimo nonagesimo octavo*. Quod omni sensu caret. Arbitramur autem quemdam computus graeci penitus ignarum annum Christi ludibrio suo superaddidisse. Quem corrigimus juxta lectionem elegantem a D. Julio Minervinio Neapolitano nobis indicatam, quum annus mundi ex graeco computu 6598 (ex nostro 1090) apprime tertiae decimae indictioni respondeat.

(2) Ibi tantummodo *sexto* supplendum, vice vocis *vero* quae in pergamena pariter superscribitur. Annus autem mundi ex graeco computu 6623 (ex nostro 1115) apprime octavae indictioni respondet.

cata grypi una cum vivariis et nemore et aliis omnibus. . . . . in terra nostra Regii. . . . . Sancti Niceti et Tuchii et simpliciter in omni nostro tenimento habens monasterium introytum et exytum proventuum ejus, et que ad usum ipsius monasterii delata fuerint. . . . . laborum a nemine imperare. . . . . contra ipsum monasterium vel res suas. . . . . : . . . . quecumque dapnum audeat inferre post infiscationem bonorum suorum ipse de nostro regno fugerit (?) ipso monasterio semper inconcusso permanente. . . . . contravenientium. Presens sigillum nostra consueta plumbea bulla munitum datum tibi predicto venerabili archimandrite de Terreto dopno Nicodemo, mense et indictione prescriptis, anno sexto millesimo sexcentesimo vicesimo nono (1). . . . . Calabrie et Sicilie et christianorum auxiliator.

Item series privilegii domini nostri quondam imperatoris in latina littera talis est :

Fridericus divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Cum de jure ad omnes regimini suo subjectos regius se debeat favor benignitatis extendere, laudabilius ecclesiis Dei regalis noscitur cura provisionis impendi, que tanto minus debent curis secularibus occupari quanto magis expedit ut divinus cultus. . . . . pro salute christianitatis celebrantur officia, infestis non deceat casibus perturbari. Licet utique gratum Deo omne pietatis officium extimemus, Christo tamen in largiendo locis venerabilibus. . . . . feneramus, nosque gratos divine gratie beneficiis effici credimus, quociens ecclesiis munificentie nostre manus extendimus et earum sustentationibus pie considerationis oculo providemus. Inde est quod nos at-

---

(1) In pergamena in hac parte abrasa posteriori quoque manu superscribitur *anno vero millesimo centesimo vicesimo nono*. Quod quidem juxta alteram bonamque J. Minervinii lectionem ita corrigimus, quum annus mundi ex graeco computu 6629 (ex nostro 1121) apprime quartae decimae indictioni respondeat.

tendentes honestatem et religionem nec non et grata servitia que tu Joannicie, archimandrita Sancte Marie de Terreto, fidelis noster, majestati nostre fideliter exhibuisti et in antea poteris exhibere, de grata et consueta munificentia nostra perpetuo concedimus et confirmamus tibi et ecclesie tue predicte Sancte Marie de Terreto omnia privilegia que antecessores nostri eidem ecclesie concesserunt. Confirmamus et obedientias quas ecclesia ipsa habet tam in tenimentis Regii quam Mese, Sancte Agathes et Sancti Niceti cum medietate saline et obedientiis Tuchii cum molendinis et villianos (*a*) ecclesie ubicumque manent cum omnibus rationibus suis, libere ab omni anggaria. Animalia quoque ecclesie in quocumque loco fuerint libere ab herbatico et glandatico sint; similiter et animalia villanorum ecclesie; hec omnia predicto archimandrite et successoribus et ecclesie predicte Sancte Marie de Terreto libere et perpetuo confirmamus, sicut ipsis temporibus regis Rogerii et ceterorum predecessorum nostrorum bone memorie melius unquam ecclesia ipsa usa est, et in privilegiis predictorum nostrorum predecessorum plenius continetur. Volumus etiam et mandamus dictam ecclesiam ab omni exactione esse liberam et sub regio tam dominio quam protectione securam, et ut nulla ecclesiastica sive laicalis persona audeat ipsam ecclesiam aliquatenus molestare, sed monachi et villani ipsius ecclesie in presentia pastoris judicentur; archimandrita quoque in nostra tantum curia et non alibi de omnibus controversiis debeat judicari. Vos quoque prelati ecclesiarum, comites, barones, secreti, judices, castellani, bajuli tam presentes quam futuri predicte ecclesie nullam injuriam vel molestiam inferatis vel ab aliquo permittatis inferri, sed etiam manuteneatis et adjuvetis eos in omnibus rationibus et justiciis suis; sciturі quod si aliquis vestrum contra mandatum nostrum ipsam ecclesiam in quolibet molestare presumpserit, indignationem nostre majestatis incurret. Ad hujus autem nostre concessionis et confirmationis memoriam et inviolabile firmamentum, presens privilegium per manus Bonihominis de Gaieta notarii et fidelis nostri [scribi] et majestatis nostre sigillo precepimus communiri, anno, mense

(*a*) Sic : forsan pro *villanos*.

et indictione subscriptis. Datum in urbe felici Panormi, per manus Gualterii de Palena venerabilis Cathanensis episcopi et regni Sicilie cancellarii, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo nono, mense februarii, duodecime indictionis, regni vero domini nostri Friderici regis Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue anno undecimo, feliciter. Amen.

Item secundi privilegii domini imperatoris series scripti in latina littera talis est :

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Justis et piis postulationibus supplicantium tanto debet imperialis benignitatis favor adherere, quanto solium suum pietatis et justicie studio adornatur et ea que postulantur a rationis tramite non discordant. Inde est quod Nicodemus venerabilis archimandrita monasterii Sancte Marie de Terreto, fidelis noster, per quemdam de fratribus suis duo privilegia ydiomate greco scripta, quorum alterum comes Rogerius et aliud rex Rogerius avus noster filius dicti comitis monasterio indulxerant memorato, nostre curie presentavit, humiliter supplicans et devote ut privilegia ipsa prefato monasterio confirmare in perpetuum dignaremur. Nos igitur considerantes quod ea que ecclesiis et locis venerabilibus pia provisione conferimus sunt nobis meritoria apud Deum, attendentes etiam vitam honestam et conversationem laudabilem ipsius venerabilis archimandrite et fratrum suorum in eodem monasterio Domino famulantium, pro anima quoque nostra et remedium animarum ob (*a*) (*sic*) divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, predicta privilegia, sicut eis temporibus felicium regum predecessorum nostrorum usque nunc monasterium ipsum uti consuevit rationabiliter et quiete [et] utitur in presenti, prenominato monasterio Sancte Marie de Terreto in perpetuum duximus confirmanda. Ad hujus autem nostre confirmationis memoriam et robur in perpetuum valiturum, presens privilegium per manus Jacobi de Bantra notarii et fidelis nostri exinde scribi fecimus et sigillo majestatis nostre jussimus communiri,

(*a*) Vox evidenter transposita.

anno, mense et indictione subscriptis. Datum apud Siracusiam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense julii, duodecime indictionis, regnante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et serenissimo rege Sicilie, imperii ejus anno quarto, regni vero Sicilie vicesimo sexto, feliciter. Amen.

Item tenor litterarum talis est, que in papiri carta (1) scripte sunt:

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, camerario Calabrie, bajulis Regii, Mese, Sancte Agathe, Sancti Niceti et Tuchii, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Notum facimus fidelitati vestre quod venerabilis archimandrita Sancte Marie de Terreto fidelis noster per quemdam de fratribus suis duo privilegia idiomate greco scripta, quorum alterum olim comes Rogerius et aliud rex Rogerius avus noster monasterio indulxerant, intuenda nostre curie presentavit, humiliter supplicans ut privilegia ipsa confirmare dicto monasterio dignaremur. Cujus supplicationibus benignius inclinati, dicta privilegia, sicut eis nominatum monasterium a tempore felicium regum predecessorum nostrorum usque nunc uti consuevit rationabiliter et quiete et utitur in presenti, dicto monasterio in perpetuum duximus confirmanda. Quare per litteras vestre discretioni precipiendo mandamus quatinus prenominato monasterio Sancte Marie de Terreto super possessionibus, hominibus et aliis bonis suis que in tenimento. . . . . terrarum juste et rationabiliter adeptum est et possidere noscitur. . . . . tenore privilegiorum suorum. . . . . cionem nostram molestare per vos indebite nullatenus presummatis nec permittatis super eisdem. . . . . juris ordinem perturbare. . . . .

. . . .

Datum Siracusie, secundo julii, duodecime indictionis.

(1) Usum chartae papiri, jam circa seculum undecimum fere omnino obsoletum, usque in annum Chr. 1224 perseverasse quis ex isto testimonio crediderit? Arbitrari autem licet notarium chartam bombycinam sub hoc verbo designandam in animo habuisse. Cf. *Constit. sicul.*, lib. I, tit. 80, ubi etiam de *chartis papyri* mentio fit.

Ad hujus autem rei memoriam et cautelam dicti dopni archimandrite de translatatione (1) et publicacione predictorum privilegiorum et sacrarum litterarum predictarum, et ut fides sit adhibenda tam in regia curia quam apud omnes intervenientes, presens publicum instrumentum exinde factum est per manus prefati mei magistri Nicandri publici notarii Regii, predictorum judicum, mei et aliorum proborum infra subscriptorum virorum subscriptionibus roboratum. Actum Regii, anno, die, mense et indictione prescriptis.

Εγω Ἰώαννῆς εκ Λεάνδρου Rηγίου *κριτὴς* (*a*) *ὡς εἶδον πάντα τὰ κύρια τά λατίνα καί τὰ γραῖκα οὕτως λαλοῦντα* (*b*) *τὰ παρόντι ὦμοιως*[*ὑπέγραψα*].

Ego qui supra magister Nicolaus de Sicilia (*c*), judex Regii, sciens utramque litteraturam ydiomatis greci et latini, visis et perlectis tam grecis predictis quam latinis privilegiis huic transcripto similibus, *αὐτὸς ὑπέγραψα*.

Ego qui supra magister Basilius Tacqus, judex Regii, sciens utramque litteraturam ydiomatis greci et latini, visis et perlectis tam grecis predictis quam latinis privilegiis huic transcripto similibus, subscripsi.

Ego Guillelmus de Cantabera (?), *ut supra*.

Ego Homicius de Cillio, *ut supra*.

Ego Guillelmus de Leandro publicus notarius Regii, *ut supra*.

Ego presbyter Cesenius protopapa terre Sancti Nichiti, *ut supra nisi quod : ὑπέγραψά ιδιοχείρος*.

Ego qui supra magister Nicander publicus notarius Regii translatavi, scripsi et subscripsi.

(*a*) Iotacisma pro κριτὴς.

(*b*) Legendum proponit J. Minervinius δηλοῦντα; λαλοῦντα vero non minus rectum videtur.

(*c*) Forsitan legendum *de Scilla*.

---

(1) Notandum quod archimandrita in anno 1224 non petierit translationem de graeco in latinum, in anno vero 1252 hanc faciendam opportunum duxerit; quod indicat linguae graecae usum circa secundam partem seculi decimi tertii jam multum apud Calabres degenerasse.

Friderici Romanorum imperatoris mandata varia super reformatione seu ordinatione studii generalis apud Neapolim (1). [Julio circiter.]

I.

(Edit. ap. PETR. DE VINEIS, *Epistol.*, lib. III, cap. XII, et ap. MARTENE et DURAND, *Ampliss. Collect.*, t. II, col. 1208. Apud istos autem, ex fide codicis Colbertini (nunc 8567, *anc. fonds latin*): *Conradus, etc.*, *justitiario, etc.* Epistola enim optime anno 1253 convenit, quo Conradus, Friderici secundi filius, odio in Neapolitanos succensus studium universale in Salernitana civitate instituit. Sed quum omnes qui de studio Neapolitano disseruerunt, et prae aliis Origlia, hanc epistolam Friderico nostro tribuerint, ad suum locum eamdem apponimus. Nihil insuper obstat quin mandatum patris sui, nomine civitatis mutato, renovaverit Conradus. Manfredus quoque, tempore quo universale studium apud Neapolim restauravit, in eumdem sensum et quasi in eadem verba se convertit. Cf. MARTENE, *ibid.*, col. 1218, n° CI.)

[Fridericus, etc. capitaneo Sicilie, etc.] Sollicitudo continua curas nostras exagitat, qualiter regnum nostrum Sicilie, naturaliter rerum victualium (*a*) ubertate fecundum, prudentum virorum copia nostris temporibus artificialiter decoremus; ut fideles nostri regnicole scientiarum fructus, quos indesinenter esuriunt, per aliena mendicare (*b*) suffragia non coacti, paratam in regno sibi mensam propinationis (*c*) inveniant: et quos ingeniorum nativa (*d*) fertilitas ad consilia reddit alta conspi-

(*a*) Ap. Martene *vitalium*.

(*b*) Ap. Martene : *quos indifferenter excurrunt*, *per aliena querere pomeria non coacti*.

(*c*) Ap. Martene *propositionis*, minus recte.

(*d*) Ibidem *votiva*.

---

(1) « 1224, mense julio, pro ordinando studio Neapolitano imperator ubique per regnum » mittit litteras generales. » RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.*

cuos, literarum scientia faciat eruditos. Ad quod licet progenitorum nostrorum nos clara prioritas invitet exemplis, dum eorum temporibus sic diversarum scientiarum in regno studia floruisse comperimus, ut non solum ad incolas filios, sed ad extraneos etiam extendisse probetur suavitatem odoris; nos tamen super hoc tanto libentius sine cujusquam inductione concurrimus (*a*) quanto per hoc utilius honori nostro consulere credimus, et exaltationem omnimodam regni nostri omni qua possumus diligentia procuramus. Volentes itaque super hoc antiquorum gratam renovare temperiem, et regni nostri fastigia tripudialibus novitatis nostre principiis (*b*) augmentare, universale studium in civitate nostra Neapolis (*c*), consulta nuper deliberatione, providimus reformandum : ut civitas ipsa antiqua mater et domus studii, sicut puritate fidei et situs amenitate prefulget, sic renovata quasi paranympha scientie et singularium hospitalaria facultatum, docentibus et addiscentibus se prebeat gratiosam. Ad hoc igitur tam salubre convivium magistros quoslibet et scholares hilariter invitamus; fidelitati tue mandantes quatenus presens beneplacitum nostrum per jurisdictionem tuam solenniter studeas publicare, firmam singulis fiduciam oblaturus quod immunitates et libertates omnes, quibus olim (*d*) tam in Neapolitano quam in Salernitano studio uti et gaudere sunt soliti, faciemus universis et singulis illuc ire volentibus inviolabiliter observari.

II.

(Edit. ap. Petr. de Vineis, *Epist.*, lib. III, cap. X. Quae sicut praecedens optime Conrado convenit, ut testatur codex Rhedigerianus Vratislaviensis, n° 47 : « Conradus Dei gratia Romanorum in regem electus, Jerusalem et Si- » cilie rex, Petro de Casoli gratiam suam et bonam voluntatem. Noster in- » stanter, etc. Cumque civitatem *Salerni* antiquam profecto matrem et domum

(*a*) Ap. Martene *concutimur*, minus recte.

(*b*) Ap. Martene *primitiis*. Hunc locum Conrado potius quam Friderico convenire quis negabit?

(*c*) Ap. Martene *Salerni*; in plerisque codicibus *Neapolis*.

(*d*) Ap. Martene haec adduntur : *tempore divi Augusti* [*patris nostri*].

» studii, etc. Datum in obsidione Neapolis. » Hic tamen post collationem codicum accurate factam denuo edimus, ex causis quas supra expressimus.)

Fridericus, etc., magistro Petro de Ysernia (*a*), etc. Noster instanter, quem in subditorum semper emolumenta dirigimus, sollicitatur affectus, qualiter regni nostri Sicilie preclara possessio, sicut rerum ubertate victualium ad dispositionem divini numinis natura profluente tripudiat, sic ad nostre provisionis edictum virorum perfectione scientium, fortuna favente, valeat fecundari. Ad quod etsi progenitorum nostrorum nos memoranda prioritas invitet exemplis, dum diversarum scientiarum doctores dudum in regno comperimus et multos artium liberalium munimentis provectos ad ardua, quos innata ruditas honoris et glorie reddidisset indignos, sic nos super his et priorum tempora reviviscere volumus ut que per intervalla quantalibet quassata videntur, jam passa desidiam sub juventutis nostre primordiis (*b*) similiter juvenescant : ac dum fideles nostri regnicole paratam sibi mensam propinationis (*c*) inspexerint, non solum supervacuum sibi reputent aliena proinde flagitare suffragia, sed gloriosum existiment extraneos alios ad gratitudinis hujusmodi participium evocare. Cumque civitatem Neapolitanam, antiquam utique matrem et domum studii, tam marine vicinitatis habilitas quam terrene fertilitatis fecunditas reddant utiliter tanto negocio congruentem, generale studium in civitate ipsa mandavimus reformari, ut quam localis amenitas plenitudine rerum gratificat, docentibus et addiscentibus undique collecta commoditas efficiat gratiosam. Te igitur quem antique fidei prescripta synceritas et prestita dudum felicis recordationis domino patri nostro grata servitia nobis efficaciter recommendant, de cujus etiam experta scientia, probitate cognita et doctrina probata in conspectu nostro jam pluries multorum testimonia claruerunt, ad celebranda communis studii ejusdem festiva solennia hilariter providimus

(*a*) In impresso *de Hybernia*. De hoc nomine vide infra, p. 451, not. (*b*). Una cum Origlia, *Istor. dello studio di Napoli*, t. I, p. 42, *de Yservia* veram esse lectionem arbitramur.

(*b*) Vid. supra p. 448, not. (*b*).

(*c*) In impresso *propositionis*, male.

invitandum; fidelitati tue precipiendo mandantes quatenus de favore et gratia nostra securus, ad civitatem ipsam, ob reverentiam majestatis nostre, personaliter recturus accedas. Et ut certam concipias de nostre gratie liberalitate fiduciam, firmiter te tenere volumus quod in adventu tuo, in signum secundioris auspicii, de valore annuo XII unciarum auri (*a*) tibi faciat nostra munificentia provideri.

III.

(Edit. ap. Petr. de Vin., *Epist.*, lib. III, cap. XI, nunc coll. cum variis codicibus inferius expressis.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem (*sic*) et Sicilie rex, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum prelatis, marchionibus, comitibus, baronibus, justiciariis, camerariis, comestabulis, bajulis, judicibus et universis per regnum Sicilie constitutis, fidelibus suis, presentes litteras inspecturis gratiam suam et bonam voluntatem (*b*). Deo propitio, per quem vivimus et regnamus, cui omnes actus nostros offerimus, cui omne quod agimus imputamus, in regnum nostrum desideramus multos prudenter et providos fieri per scientiarum haustum et seminarium doctrinarum : qui facti discreti per studium et per observationem justi Deo serviant, cui serviunt omnia, et nobis placeant per cultum justicie, cujus preceptis omnes precipimus obedire. Disponimus autem apud Neapolim, amenissimam civitatem, doceri artes cujuscunque professionis [et] vigere studia : ut jejuni et famelici doctrinarum in ipso regno inveniant unde ipsorum aviditati satisfiat, neque compellantur ad investigandas scientias peregrinas nationes expetere,

(*a*) *X unciarum auri.* Cod. S. Audom. 180-8-4, et Cod. Parisiens., 8626. — *XIX unciarum auri.* Cod. Parisiens., 8630. — *XX unciarum auri.* Cod. Argentin. G. 504. — *XL unciarum auri.* Cod. Cotton. Vespas. A,XI. Numerus tamen quem ex impresso admittimus ad plerorumque codicum fidem, pretio rerum et pecuniae tunc temporis usitato melius convenire videtur; in epistola Conradi legitur quoque *XII unciarum auri.*

(*b*) Haec supplentur ex cod. Cotton. Vespas. A, XI.

nec in alienis regionibus mendicare. Bonum autem hoc rei nostre publice profuturum intendimus, cum subjectorum commoda speciali quadam affectionis gratia providemus, quos sicut convenit eruditos pulcherrima poterit spes fovere, et bona plurima promptis animis expectare; cum sterilis esse non possit accessio, quam nobilitas sequitur. Cum tribunalia preparantur, sequuntur lucra divitiarum, favor et gratia comparantur. Insuper studiosos viros ad servitia nostra, non sine meritis et laudibus, convocamus, secure illis qui discreti fuerunt per instantiam studii, juris et justicie regimina committentes. Hilares igitur et prompti satis ad professiones quas scholares desiderant animentur, quibus ad inhabitandum eum locum concedimus, ubi rerum copia, ubi ample domus et spatiose satis, et ubi mores civium sunt benigni; ubi etiam necessaria vite hominum per terras et maritimas facile transvehuntur, quibus per nos ipsos utilitates querimus, conditiones disponimus, magistros investigamus, bona promittimus, et eis quos dignos viderimus donaria conferemus. Illos siquidem in conspectu parentum suorum ponimus, a multis laboribus liberamus, a longis itineribus et quasi peregrinis absolvimus : illos tutos facimus ab insidiis predatorum; et qui spoliabantur fortunis suis et rebus, longa terrarum spacia peragrantes, scholas suas levioribus sumptibus et brevioribus cursibus a liberalitate nostra se gaudeant assecutos. De numero autem doctorum (*a*), quos ibi duximus destinandos, mittimus magistrum R. de Benevento judicem et magistrum Petrum de Ysernia (*b*), fideles nostros, civilis scientie profes-

(*a*) Ita ex cod. Harl. 325. In impresso autem et in plerisque codicibus *prelatorum.*

(*b*) In impresso *R. de Varano judicem et magistrum B. de Hybernia.* Codicem Cotton. Vespas. A, XI hic sequimur, nisi quod *Ybernia* correximus. Varias autem variorum codicum lectiones exhibemus : Inter Parisienses, Notre-Dame, 202, *R. de Isernia;* Navarre, 17, *R. de Ysernia;* fonds latin, 8566, *magistrum R. de Padua* (?) *et magistrum R. de.....*; fonds latin, 8604, *R. de Guarcino et.* — Inter Anglicos, cod. Harl., 325, *magistrum Angelum de..... judicem et magistrum B. de.....*; Cod. Bodl., 136, *R. de Warcino et B. de Ysernia;* Cod. Bodl., 816, *magistrum R. de Sancto Victore judicem et magistrum B. de Ysernia;* Cod. Phillipps. ap. Middlehill, 8390, *R. de Ysernia et P. de Panormo.* — Inter Germanicos, Cod. Trevir., *R. de Guarano et;* cod. gymn. ap. Confluentiam, 73, *A. de C. judicem et magistrum R. de FF.* (?); cod. Guel-

sores, viros magne scientie, note virtutis et fidelis experientie, quam nostre semper exhibuerunt et exhibent majestati, de quibus, sicut de aliquibus regni nostri fidelibus, fiduciam gerimus pleniorem. Mittimus quoque. . . . et. . . . in *tali scientia* et. . . . et. . . . in *tali scientia*, etc. Volumus igitur et mandamus vobis omnibus qui provincias regitis, quique administrationibus presidetis ut hec omnia passim et publice proponatis, et injungatis sub pena personarum et rerum ut nullus scholaris legendi caussa exire audeat extra regnum, nec infra regnum aliquis addiscere audeat alibi vel docere : et qui de regno sunt extra regnum in scholis, sub pena predicta eorum parentibus injungatis ut usque ad festum Sancti Michaelis nunc proximo revertantur. Conditiones autem quas scholaribus concedimus erunt iste : In primis, quod in civitate predicta doctores et magistri erunt in qualibet facultate. Scholares autem, undecunque venerint, secure veniant morando, stando, et redeundo, tam in personis quam in rebus nullam sentientes in aliquo lesionem. Hospitium quod melius in civitate fuerit scholaribus locabitur, pro duarum unciarum auri annua pensione, nec ultra extimatio ejus ascendet. Infra predictam autem summam et usque ad illam, omnia hospitia extimatione duorum civium et duorum scholarium locabuntur. Mutuum fiet scholaribus ab illis qui ad hoc fuerint ordinati, secundum quod eis necesse fuerit, datis libris in pignore et precario restitutis, receptis a scholaribus fideijussoribus pro eisdem. Scholaris vero qui mutuum recipiet, jurabit quod de terra aliquatenus non recedet, donec precaria restituet, vel mutuum ab eo fuerit exsolutum, vel alias satisfactum fuerit creditori. Predicta autem precaria a creditoribus non revocabuntur, quam diu scholares voluerint in studio permanere. Item omnes scholares in civilibus sub eisdem doctoribus et magistris debeant conveniri. Omnes igitur amodo, qui studere voluerint in aliqua facultate, vadant Neapolim ad studendum, et nullus ausus sit pro scholis extra regnum exire, vel infra regnum in aliis scholis addiscere vel docere : et

ferb. Aug. 13-4, *R. de Ysernia et P. de Vanorovo* (?). In Cod. Berolin. 188, reperitur hic titulus ad epist. Petri de Vinea, lib. IV, cap. 8 : *Doloris littere de morte magistri P. de Ybernia*, et agitur de grammatico.

qui sunt de regno extra regnum in scholis, usque ad festum Sancti Michaelis proximum venturum sine mora dispendio revertantur. De frumento autem, vino, carnibus, piscibus, et aliis que ad victum pertinent, modum nullum statuimus, cum in his omnibus abundet provincia; quae vendantur scholaribus secundum quod venduntur civibus et etiam per contradam, etc.

IV.

(Edit. ap. PETRI DE VIN., *Epist.*, lib. III, cap. XIII; coll. cum codicibus Biblioth. Paris.)

Fredericus, etc., justitiario Terre Laboris, etc. Etsi ad perfectionem studii generalis, quod nuper in civitate Neapoli (*a*) providimus reformandum, particularia studia ubique per regnum mandaverimus interdici, nostre tamen intentionis non fuit sic loca quelibet depauperare doctoribus, ut artis saltem grammatice rudimenta noviciis, velut lactantis matris ubera famelicis infantibus, precidantur : sed ad illos tantum extendi volumus nostre serenitatis edictum, qui auditoribus suis, ruditate deposita, in facultatibus aliis ingenia potiora petentibus, cibos jam possint scientie solidos ministrare. Propter quod fidelitati tue precipiendo mandamus, quatenus magistris quibuslibet, qui per terram jurisditionis tue pueros in artis grammatice primitiis edocent, nullam occasione predicta molestiam inferas, sed particularia eorum studia regere sine impedimento quolibet patiaris.

Fridericus, Romanorum imperator, Pafnutium abbatem et conventum monasterii Petri et Pauli de Spanopetro in tenimento Arenarum cum omnibus eorum bonis sub sua protectione recipit. Syracusiae, augusto.

(*a*) In cod. Paris., 8567, *Salernitana*. Unde etiam hoc mandatum a Conrado renovatum fuisse videtur.

(Edidit MONTFAUCON, *Palaeographia graeca*, p. 428, ex originali in archivo Patr. S. Basilii apud Romam.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. In eminenti dignitatis imperialis solio constituti tanto propensiori cura intendere debemus ad protegendas Dei ecclesias et fovendas, et precipue loca religiosa in quibus Dei cultores pro salute nostra et omnium fidelium cotidie militant creatori, quanto nos divina clementia pre aliis orbis principibus exaltavit. Inde est quod nos attendentes honestatem et religionem Pafnutii venerabilis abbatis et conventus monasterii beatorum Petri et Pauli de Spanopetro in tenimento Arenarum existentis, fidelium nostrorum, divine pietatis obtentu et pro reverentia ipsorum apostolorum in quorum honore monasterium ipsum noscitur esse fundatum, abbatem et conventum predictos et successores eorum et predictum monasterium cum obedientiis, hominibus, possessionibus et aliis bonis suis que nunc juste possident et in futuro justo titulo acquirere poterunt, sub protectione nostre celsitudinis recipimus speciali. Districtius inhibentes ne quis monasterium ipsum, abbatem et conventum predictos vel successores eorum super premissis omnibus contra hujus protectionis nostre tenorem temere perturbare aut molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus autem protectionis nostre memoriam et perpetuam firmitatem, hoc presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Siracusie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense augusto, duodecima indictione.

Apud Syracusas, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, Antonio abbati monasterii Roccadiae Cisterciensis ordinis privilegia sibi juxta constitutionem Capuae editam resignata restituit, possessionesque, jura et libertates quae in eis continebantur specialiter recenset et confirmat.

(Edid. R. Pirro, *Sicil. sacr.*, t. II, supplem., p. 1299-1300, ex capibrev. eccles. Barber. in cancell. Menda autem manifesta correximus.)

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Cum imperatoriam deceat providentiam fructuose et suavitate dulcedinis attendere merita, supplicationibus et justis precibus subjectorum adesse, tanto potissimum ad sacrosanctas ecclesias et monasteria Deo dicata tenetur pietatis oculos inclinare quanto dominantium dominanti gratissimum residet cum ejus. . . . . in opera pietatis adhibetur. Universis igitur tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod frater Antonius venerabilis abbas monasterii Roccadie Cisterciensis ordinis, fidelis noster, ad curiam nostram accedens, secundum generale edictum de privilegiis assignandis quod in solemni curia Capue fecimus, presentavit nobis aliqua privilegia que a majestate nostra facta ipsi monasterio de Roccadia fuerant concessa (1) ante imperii nostri coronationem, in quibus vidimus contineri donationes, concessiones, libertates et confirmationes quas de consueta gratia nostra predicto monasterio Roccadie benigne concessimus. Que privilegia a majestate nostra inspecta ad subjectam ejusdem abbatis supplicationem, pro salute nostra et progenitorum nostrorum, ipsi abbati et conventui predicto monasterii Sancte Marie de Roccadia ac successoribus eorum perpetuo confirmamus ut absque ulla molestia que continentur in ipsis possideant, concedentes, donantes et confirmantes eidem monasterio in perpetuum possessiones et omnia bona que in presenti tenet et possidet et in antea poterit justo titulo adipisci; ex quibus quedam propriis vocabulis ad predicti abbatis petitionem in presenti privilegio jussimus exprimenda : scilicet locum Sancte Marie de Roccadia (2) in quo ipsum monasterium est fundatum cum omnibus rationibus, vineis, viridariis, olivetis, circumjacentibus terris et pascuis suis; graugiam Sancte Marie de Catarractis cum omnibus rationibus, vineis, viridariis, olivetis et

(1) Nullibi autem inveniuntur, licet eorum Philad. Magnos (*Theat. genealog.*, fol. 320) tanquam Nivaldo Antonii prædecessori indultorum mentionem faciat.

(2) Abbatia tribus millibus passuum Leontino distans.

circumjacentibus terris, nemoribus, molendinis, fullonibus et pascuis suis; grangiam Sancte Marie de Cantarro cum omnibus rationibus, vineis, viridariis, circumjacentibus terris et pascuis suis et medietatem fluminis Cantarre; grangiam Sancti Petri cum omnibus rationibus, vineis et viridariis, circumjacentibus terris et pascuis suis; molendinum Sancti Cosme cum jure aque ipsius molendini, ut ipsam aquam nullus audeat accipere absque licentia dicti abbatis et fratrum ipsius monasterii; grangiam Randacine cum omnibus rationibus, vineis, nemoribus, molendinis, circumjacentibus terris, pertinentiis et pascuis suis; tenimenta Montis Flasconis cum omnibus rationibus, nemoribus, circumjacentibus terris et pascuis suis; quidquid enim possidet de demanio nostro et si que alia feudalia, burgensatica et servitiis quibuscumque obligata quorumcumque hominum per totum regnum nostrum Sicilie possidet, eidem monasterio confirmamus. Si quid insuper dono comitum, baronum aut aliorum fidelium regni nostri donatione seu oblatione in antea justo titulo nancisci potuerunt, nec obsistat eis lex aliqua aut statutum per nos et per predecessores nostros conditum vel in futurum condendum, quod his concessionibus et libertatibus quiete perpetuo utantur. De speciali etiam gratia volumus quod possint emere libere possessiones nobis vel baronibus vel aliis ad censum obligatas. Volumus etiam quod nullus hominum nullaque persona alta vel humilis in terris ac tenimentis et locis eorum audeat animalia pascere vel piscari, ligna incidere vel venari, seu quidquid aliud omnino sibi facere ibi sine licentia et permissione abbatis et fratrum dicti monasterii. Preterea concedimus dicto abbati et fratribus ejusdem monasterii universa animalia propria per totum demanium nostrum pascere, causas gregum constituere et pro agendis servitiis ipsius monasterii ligna incidere vel secare ubicumque illis placuerit, sine pretii exactione et sine contradictione vel impedimento nostro vel heredum nostrorum et successorum vel alterius cujuscumque persone. Nullus etiam officialium nostrorum ipsum abbatem et fratres predicti monasterii aut successores eorum ad forum civile trahere et coram fisci judicio presumant pro aliqua questione, cum hoc satis monastice derogat honestati; nec respectu domorum aut possessionum quas ipsum monasterium et

ipsi fratres habent in civitatibus, castris et fortalitiis regni nostri et tenimentis earum, occasione utilitatum quas inde pro tempore consequentur, in ipsorum reparationibus, munitionibus aut aliis servitiis, datiis, vel collectis publicis vel privatis solvere aliquid teneantur. Passagium insuper fori cum omnibus equitaturis suis liberum habeant, et per totum regnum nostrum tam in vendendo quam in emendo, eundo vel redeundo terra vel mari ab omni exactione passagii, dogane, plateatici sive pedagii volumus perpetuo fore immunes. Liceat etiam eis per totum demanium nostrum libera habere pascua pro omnibus animalibus ipsius monasterii, statuentes quod nullus pro animalibus ipsius monasterii herbagium, glandaticum vel plateaticum seu passagium exigere audeat; nec obsistat eis si de demanio nostro alicui concedatur, sed hanc libertatem et alias quam et quas ipsum monasterium modo habet omni tempore habeat et possideat. Molendina etiam et fullones cum aquarum usu habere pro pratis, hortis, virgultis et aliis necessariis eorum concedimus jam dicto abbati et fratribus ejus, et tam famulos quam oblatos ipsius monasterii ab omnibus servitiis, datiis et collectis publicis vel privatis absolutos volumus esse ubique, mandantes ut nulla persona ipsa tenimenta vel alia loca eorum invadere vel animalia seu mandras eorum molestare vel movere vel alia animalia superinjicere [presumat] aut aliquid aliud sive occasione aliqua. Herbaticum, glandaticum, terreaticum seu decimas terragiorum et quelibet jura alia integre ab illo recipiant absque alicujus persone contradictione. De abundantissima quoque gratia nostra concedimus et confirmamus jamdicto monasterio omnes donationes et commutationes et quas pro animabus defunctorum ibi legantur oblationes. Concedimus etiam supradicto monasterio omnes libertates et gratias quas aliis monasteriis meminimus concessisse. Nulli autem liceat res et loca monasterii ipsius vel grangiarum suarum invadere aut aliquo modo eis molestiam inferre, sed omnia tam mobilia quam stabilia secundum voluntatem et dispositionem abbatis et fratrum possideantur et ordinentur. Qui vero aliter fecerit et contra hec supradicta ausu temerario venire presumpserit, iram et indignationem nostram incurrat. Et licet in aliis privilegiis nostris jubeamus semper apponi clausulam illam qua dicitur salvo mandato et

ordinatione nostra, in isto tamen privilegio permittimus non apponi. Ad hujus autem nostre concessionis et confirmationis et supradicte clausule amote memoriam et perpetuam firmitatem, presens privilegium per manus Pagani notarii et fidelis nostri scribi fecimus et sigillo nostro cereo roborari.

Datum apud Syracusas, anno dominice incarnationis MCCXXIV, mense augusti (1), indictione XII.

[1224 augusto circiter.] Imperator pro libertatibus ecclesiarum et clericorum justitiario Terrae Laboris suas litteras mittit, in quibus mandat ut ecclesias omnes, clericos, obedientias, possessiones et homines earum, contra libertates quas habuerant temporibus regum, in collectis, talleis, datiis et aliis publicis servitiis ammisceri cum aliis non permittant et nihil cum laicis participent in eisdem, nisi probetur quod tempore regis Guillelmi secundi cum eis in hujusmodi servitiis contulissent. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Cathaniae, septembri. Fridericus, Romanorum imperator, ad requisitionem Albert Magdeburgensis archiepiscopi comitis Romaniolae et Lombardiae legati, renovat et inserendo confirmat privilegium a Conrado secundo Romanorum rege collatum, quo confirmantur omnes donationes ab imperatoribus Ottone primo, secundo et tertio nec non et ab Henrico secundo eidem ecclesiae factae.

(Edid. Sagittarius, *Hist. ducat. Magdeburgensis*, lib. IV, ap. Boysen, t. II,

(1) Legitur in impresso 1220 *die 4 augusti*. Sed facile amanuensis error emendatur.

p. 123-124; in quo etiam diploma Conradi reperitur, lib. VII, p. 285-287. Accurate contulimus cum originali in archiv. reg. Berol., I, 188, n° 23, pulcherrimæ scripturæ et pene illæso, exceptis duobus locis in dextra plica. Pendet sigillum cereum optime conservatum, ex filis sericis rubri coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Tunc imperatorie dignitatis thronus extollitur et illustribus laudum titulis decoratur, cum ad ecclesias Dei principalis dirigitur clementer intuitus et quod eisdem ecclesiis misericorditer erogatur, ne scripture vetustate depereat, de innata clementia innovat et confirmat. Ea propter notum fieri volumus universis imperii nostri fidelibus presentibus et futuris quod Albertus venerabilis Magdeburgensis archiepiscopus, comes Romaniole et Lombardie legatus, dilectus princeps noster, presentavit celsitudini nostre quoddam privilegium divi augusti regis Conradi secundi clare memorie predecessoris nostri ecclesie Magdeburgensi indultum et supplicavit culmini nostro ut ipsum privilegium sibi et ecclesie sue innovare et confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Cuonradus divina favente clementia rex. Si ecclesiis Dei de nostre majestatis regie munificentia aliquid accommodaverimus, id procul dubio ad presentis vite statum et eterne beatitudinis premium capescendum nobis prodesse confidemus. Quapropter omnium fidelium nostrorum presentium scilicet ac futurorum pateat industrie quia vir venerabilis Hunfridus Magdeburgensis ecclesie archiepiscopus ad nos venit secum deferens precepta imperatorum, scilicet beate memorie Ottonis primi, secundi et tercii nec non et pie recordationis antecessoris nostri Heinrici imperatoris augusti, in quibus continebatur quomodo ipsi antedicti imperatores prefatam Magdeburgensem ecclesiam multis prediis suis et aliis quamplurimis rebus preciosis adornaverunt et condonaverunt, regali et imperiali sua auctoritate illuc a se vel ab aliis religiosis viris tradita omnia confirmantes, et qualiter prenotati antecessores nostri multa predia et alia eidem ecclesie contulerunt ac suas aliorumque fidelium traditiones dominationis sue auctoritate ac

preceptione postea corroboraverunt. Pro rei tamen firmitate idem jamdictus Hunfridus archiepiscopus petiit celsitudinem nostram ut nos denuo ab antecessoribus nostris imperatoribus augustis seu ab aliis aliquibus tradita sive tradenda regio magnificentie nostre dono ac precepto confirmaremus. Cujus rei petitionem benigne suscipientes, quicquid prescripti imperatores augusti, Otto videlicet primus, secundus et tercius nec non dive memorie Heinricus imperator augustus sive alii viri religiosi in prediis aut mancipiis vel aliis rebus ad eamdem ecclesiam pro divino amore condonaverunt seu que adhuc a catholicis viris divini instinctus aliqua adauctione illuc condonari possunt, hac regia nostre dominationis munificentia noviter tradimus, confirmamus atque corroboramus, regia firmiter jubentes potentia ut nullus comes vel judex aut alia quelibet judiciaria persona sive regius exactor aliquam deinceps in prediis vel locis sancte Magdeburgensis ecclesie a predecessoribus nostris tam regibus quam imperatoribus aut a nobis seu ab aliis aliquibus datis vel dandis potestatem habeat, aut predictum archiepiscopum suosve successores cum preceptionibus subintroductis seu aliis machinationibus invidis inquietare audeat aut homines ipsius ecclesie distringere sive paratas aut mansiones facere vel ullas illicitas redibitiones exigere presumat, preter eum quem ipse qui modo ecclesie Magdeburgensi presidet archiepiscopus suique successores elegerint advocatum. Et ut hec nostre donationis traditio ac confirmatio presenti ac futuro tempore firma a cunctis fideliter habeatur, hoc regie magnitudinis nostre preceptum inde conscriptum sigilli nostri impressione signare jussimus, manuque propria ut infra videtur corroboravimus. — Signum domini Cuonradi secundi (*monogramma*) regis gloriosi. — Udalricus cancellarius vice Aribonis archicappellani recognovi. — Data anno ab incarnatione Domini M° vicesimo quinto, indictione septima, anno vero domini Cuonradi regnantis primo. — Actum septimo nonas marcii, Walehusun, feliciter. Amen.

Nos itaque supplicationes supradicti Alberti Magdeburgensis archiepiscopi benignius admittentes, de gratia et consueta munificentia nostra qua consuevimus fidelibus et bene meritis providere, privilegium supradictum innovari mandavimus et quicquid continetur in ipso sancte Mag-

deburgensi ecclesie, prefato archiepiscopo et successoribus ejus in perpetuum confirmamus.

Hujus rei testes sunt Martinus (*a*) Thessalonicensis archiepiscopus, Bartholomeus Siracusanus et Bonushomo Capudaquensis (*b*) episcopi, Johannes abbas Casemarii, Raynaldus dux Spoleti, Symon comes Teatinus, comes Henricus, et alii quamplures qui interfuere. Ad hujus igitur innovationis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum presens privilegium fieri et majestatis nostre sigillo precepimus communiri (1).

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quarto, mense septembris, terciedecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus quarto, regni vero Sicilie vicesimo se (*c*), feliciter. Amen.

Data Cathanie, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, cum Ludovico Francorum rege hanc confoederationem init quod homines regni ejus contumaces vel rebelles non receptabit, et idem rex imperii rebelles seu forisbannitos non ipse receptabit; addito quod cum rege Angliae et cum haeredibus ejus nullam imperator confoederationem faciet. Catanae, novembri.

(*a*) Ap. Sagittarium *Martius*, male.

(*b*) Sagittarius nomen episcopi omittit et insuper *Catanensis* legit; in quo magnopere fallitur.

(*c*) Sic in originali, dum forte notarius utrum *sexto* an *septimo* scribere deberet non bene certus, verbum intermissum non compleverit. Ap. Sagittarium *sexto;* evidenter autem legendum *septimo*.

(1) Notanda haec insolita redactionis forma, cum nomina testium hanc caudam contra usum præcedant.

(Edider. Martene et Durand, *Coll. ampliss.*, t. I, p. 1183, qui tunc foedus quasi anno 1223 ictum, sub eisdem verbis denuo, p. 1195, anno 1224 adsignant. — Bouquet, *Recueil des histor.*, t. XVII, p. 307, not. — Pertz, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 253.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, universis presentem paginam inspecturis salutem. Noveritis quod propter dilectionem quam nos et progenitores nostri habuimus et habemus erga carissimum amicum nostrum et fratrem Ludovicum illustrem regem Francorum et ipsius progenitores et antecessores, hanc confederationem cum eodem rege bona fide duximus iniendam : quod nos homines regni sui vel ad regnum suum pertinentes contumaces vel eidem rebellantes seu moventes guerram contra ipsum regem vel forisbannitos regni sui non receptabimus nec receptari sustinebimus in imperio nostro ubi potestatem habeamus, neque aliquam confederationem cum eis faciemus postquam idipsum ab eodem rege nobis fuerit intimatum. Et hanc similiter confederationem fecit bona fide nobiscum idem rex Ludovicus quod homines imperii nostri vel pertinentes ad imperium nostrum contumaces et nobis rebellantes seu moventes nobis guerram et forisbannitos regni nostri non receptabit nec receptari permittet bona fide in regno suo ubi potestatem habeat, nec aliquam confederationem cum eis faciet postquam idipsum fuerit significatum eidem regi. De rege Anglie sic erit quod nullam cum eo faciemus confederationem nec cum heredibus suis nec a nostris fieri permittemus, ubicumque impediendi habeamus potestatem. Hanc autem confederationem precipimus et injunximus jurandam pro nobis et in anima nostra a Renaldo duce Spoleti dilecto familiari et Johanne de Trajecto curie nostre notario fidelibus nostris, coram magistro Simone (*a*) de Domibus clerico et Guilielmo de Balneolis (1) dicti regis legatis.

(*a*) In prima Martenii editione et in cod. nunc 8408 *Sim.*, in secunda editione *Sam.*; videlicet *Simon* vel *Samuel de Maisons*.

(1) In *Chartulario ecclesiae Parisiensis* (t. I, p. 442 et seqq, t. II, p. 412) memoratur quidam Guillelmus de Balneolis (Bagneux) ejusdem ecclesiae presbyter ante annum 1259 mortuus.

Actum Cathane, anno incarnationis dominice MCCXXIV (a), mense novembri.

Fridericus, Romanorum imperator, comitibus, baronibus, justiciariis, caeterisque officialibus in regno Siciliae constitutis mandat ut abbatem et conventum Sancti Petri de Amalfia Cisterciensis ordinis in hominibus, grangiis, possessionibus, omnibusque bonis de caetero conservent et manuteneant. Trapani, 10 novembris.

(Inedit. ex archiv. reg. Sancti Severini ap. Neapolim, numero pergamenae non expresso.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, comitibus, baronibus, magistris justiciariis, justiciariis, magistris camerariis, camerariis, bajulis, catepanis, comestabulis, judicibus et universis fidelibus suis per regnum Sicilie constitutis, gratiam suam et bonam voluntatem. Ex querela venerabilis abbatis et conventus Sancti Petri de Amalfia ordinis Cisterciensis nostrorum fidelium nostra nuper serenitas intellexit quod vos. . . . . grangias et homines suos collectis et exactionibus, angariis et perangariis, exercitibus (?) et procurationibus, trahendo in civilibus et secularibus ad judicem secularem, nec non et aliis multipliciter offenditis et gravatis. Quod tanto nostre displicet pietati quanto abbatem et conventum predictos in libertatibus et rationibus suis volumus conservari. Verum quia ejus intuitu per quem feliciter vivimus et regnamus, tam abbatem quam conventum predictum cum hominibus, granciis, justis possessionibus et bonis suis manutenere volumus et fovere, nec pati possumus vel debemus quod a nobis vel officialibus aut aliis fidelibus nostris debeant molestari quos tenemur in propriis libertatibus et honoribus ex commisso nobis regimine fovere, fide-

(a) In codice Colbertino nunc 8408 *M°CC°XXIII°*; rectius tamen in impressis *MCCXXIV*.

litati vestre sub pena gratie nostre districte precipimus quatenus abbatem et conventum predictos cum hominibus, grangiis, justis possessionibus et bonis suis in nullo indebite aggravantes, omnes libertates et immunitates quas sacer ordo Cisterciensis tempore regis Guillelmi secundi recolende memorie consobrini nostri consuevit habere per regnum nostrum eis integre conservetis et in omnibus justiciis et rationibus suis sic manuteneatis eosdem quod in nullo de cetero se sentiant aggravatos, et nos fidelitatem vestram exinde commendemus. A fratribus enim Cisterciensibus preter orationum munus quibus nos jugiter prosequuntur nichil exigi volumus vel mandamus. Nos enim tanto eos in omnibus protegere volumus et in suis rationibus specialiter confovere, quanto nos divina clementia pre aliis orbis principibus exaltavit.

Datum Trapani, decimo novembris, decime tertie indictionis.

[Trapani] 14 novembris.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Willielmi abbatis Montismajoris Willielmum de Sabrano, comitem Forcalquerii, in infestatione monasterii pertinacem, proscriptum denuntiat et praelatis hic nominatis mandat ut eum a proscriptione non solvant donec digne satisfecerit.

(Inedit. ap. Polycarpum de la Riviere, *Annal. eccles. civ. et com. Avenion.*, lib. IV, vol. 1, f. 771 verso, MSS. in Bibliot. Carpentor. Licet Polycarpus scriptor minoris fidei censeatur et insuper hoc documentum a Chantelou non memoretur, quum tamen nec forma nec sensu a caeteris discrepet, inter spuria rejiciendum non duximus, decisione litis lectori relicta.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilectis fidelibus suis venerabilibus archiepiscopis Arelatensi et Aquensi et Cavallicensi, Avenionensi et Cistaricensi episcopis gratiam suam et omne bonum. Digna animadversione recolentes quod debeamus ecclesiis, ecclesiasticos omnes una cum eorum rebus omnibus et bonis

semper nostra defensione esse volumus contra noxia queque firmatos. Presentium igitur tenore notum sit vobis quod fidelis noster Willielmus abbas Montismajoris ad presentiam nostram veniens sua celsitudini nostre conquestione monstravit qualiter Willielmus de Sabrano comes Folcarcariensis ecclesie sue damna enormia irrogans, ipsum et monachos suos multis possessionibus spoliavit, insuper et castrum ac villam Pertusii invasit que ad dictum monasterium pertinet, ita ut nec ipse nec aliquis monachorum a quatuor et amplius annis ibidem ad manendum et serviendum Deo audeat apparere; et licet per Aquensem archiepiscopum ejusdem diocesanum excommunicationis sententia fuerit propter hoc in eum lata et pontificis Romani auctoritate nostroque jussu confirmata ac promulgata ab Arelatensi archiepiscopo et episcopo Cavallicensi, ipse nichilominus in contemptum Dei ecclesie et imperii nostri eidem abbati et ecclesie in nullo satisfaciens in sua execrabili pertinacia permaneat. Propter hoc prefatus venerabilis abbas, in presentia venerabilium Sifridi Moguntinensis, Joannis Vesontiensis [archiepiscoporum], Alberti Tridentini, Hugonis Leodiensis, Henrici Basiliensis et Petri Avinionensis episcoporum et aliorum quamplurium tam imperii quam regni magnatum, excellentie nostre humiliter supplicavit ut quod restat ad imperiale officium exinde dignaremur prosequi. Nolentes igitur ut per violentiam prefati comitis eidem abbati et ecclesie ipsius ulterius prejudicium fiat, litteras jam super his datas (1) ad eosdem Arelatensem et Cavallicensem episcopos (*sic*) confirmantes innovamus; et insuper attendentes perversam dicti comitis contumaciam, [quia] ad petitionem prefati diocesani episcopi omnem censuram ecclesiasticam postposito Dei timore ipse comes tamdiu contemnens ab infestatione ejusdem cenobii non desistit, cum absonum sit imperio nostro tam enormes ecclesiis irrogari injurias, quas ex collata nobis plenitudine potestatis defensare et fovere tenemur omnibus modis, predictum comitem sententialiter proscriptum denunciamus et sicut proscriptum ab omnibus evitari mandamus. Preterea venerabilibus archiepiscopis Arelatensi et Aquensi, et Cavallicensi, Avenio-

(1) Vid. supra, p. 373 et p. 430.

nensi et Cistaricensi episcopis per has litteras nostras damus in mandatis ut eumdem comitem pro predictis excessibus perpetratis proscriptum denuncient et ab ea proscriptione ipsum non solvant, donec dicto abbati et monachis digne satisfecerit, sed ab omni majestatis nostre gratia penitus exclusum cognoscant.

Datum Cremone (1), decimo quarto novembris, indictione decima tertia.

Apud Drepanum, [novembris].

Harduino Cephaludensi episcopo in exilium relegato, Bartholomaeus thesaurarius Cusentinus auctoritate apostolica causam in Sicilia agitavit et Drepanum ad imperatorem accessit (2), eum de restitutione bonorum ecclesiae allocuturus. Imperator vero omnia quae judicis decreto deberet se restituturum promisit, suumque procuratorem pro re agenda notarium Henricum constituit. Cf. R. Pirrum, *Sicil. sacra,* t. II, p. 805–806.

Panormi, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Pagani de Parisio qui abbati Facundo in abbatia Sanctae Mariae de Latina apud Messanam successerat, privilegia a praedecessoribus suis rege Rogerio et imperatore Henrico eidem ecclesiae indulta confirmat.

---

(1) Quum autem imperator totum hiemale tempus hujus anni in Sicilia consumpserit, forsitan legendum est : *Datum Trapani,* sicut in praecedente documento; nisi sub verbo *Cremone* lateat quidam alius Siciliae locus, quem Polycarpus, inscius aut properans, pro loco sibi melius cognito ad suum arbitrium mutaverit. Memoratur idem mandatum, non expresso fonte, in *Gall. Christ.*, t. I, p. 846, ubi quoque legitur : Datum *Cremone*, die 25 novembris, ann. 1225 (?), indict. XIII.

(2) Cur ad hoc tempus processum istum referendum esse censeamus, rationem in *Additamentis* ad hujus voluminis calcem plenius exponemus.

(Memorat. ap. R. PIRRUM, *Sicil. sacra*, t. II, p. 1132, ex libro Reg. monarchiae, fol. 197.)

Datum Panormi, anno Domini MCCXXV (1), mense decembri, indictione XIII, anno imperii V, regni Siciliae XXVII.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Fontis Laureati ordinis Florensis in dioecesi Tropeiensi privilegia denuo confirmat (2). .... decembri.

(Memorat. ap. UGHELLI, *Ital. sacr.*, t. IX, p. 214.)

Datum. . . . ., anno MCCXXIV, mense decembris. . . . .

ANNO 1225. — INDICTIONE 13.

Fridericus, Romanorum imperator, regiae capellae palatii Panormitani confirmat privilegium Rogerii regis de praebendarum redditibus, cujus tenor inseritur, et alia quedam privilegia et oblationes. In civitate Panormi, januario.

(Edit. ap. GAROFALO, *Tabularium reg. et imper. capellae divi Petri*, p. 50-52, n° XXXVII, ex autographo unde pendet sigillum cereum.)

---

(1) Recte autem *MCCXXIV*, nisi notarius anno nativitatis a vicesimo quinto die decembris usus fuerit.

(2) In hoc privilegio, ut ibidem Ughellius monet, mentio fit Obizonis qui eodem anno in archiepiscopatu Cusentino Lucae successerat.

Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. In principum dextera rerum status et ad eorum nutum decursus temporis integratur, cum que ab eorum progenitoribus pia sunt consideratione disposita robore muniunt firmitatis et laudabiliter facta laudabili prosequuntur assensu, maxime ubi divine spes retributionis accipitur et remedia interveniunt animarum. Ex presentis igitur privilegii serie universis nostris fidelibus presentibus et futuris volumus esse notum quod cum in die beati Stephani prothomartiris (1) essemus in cappella nostra palatii Panormi divinum officium audituri, cantor et capitulum ejusdem cappelle fideles nostri se nostre majestati devotissime presentantes, obtulerunt nobis quoddam privilegium ab avo nostro inclite recordationis rege Rogerio ipsi cappelle ac canonicis ipsius indultum, quod aurea bulla fuerat insignitum, quam quia quidam instinctu ductus diabolico et auri cupidine cecus a privilegio furtim abscidit, sicut dixerunt et probabiliter videbatur, supplicaverunt celsitudini nostre ut ipsum innovari privilegium et nostre confirmationis faceremus munimine roborari; cujus tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Rogerius divina favente clementia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue. Novere gentes et populi per mundi climata constituti per quot et quantos sudores bellicos, quanto vite discrimine predecessores et progenitores nostri pie recordationis et beate memorie Robertus Guiscardus patruus noster, Rogerius comes pater noster et ceteri patrui nostri atque consanguinei ab inimicis fidei christiane Sarracenis miserabiliter occupatos universos fines Sicilie, Calabrie, Apulie et Longobardie suo dominatui subjugarunt; quibus omnipotentis Dei inestimabiliter benignitas misericorditer cooperata nobis misericorditer longeque copiosius gratiam suam ampliavit. Non solum enim que patrem nostrum contigit acquisitionem, verum etiam omnium labores et parta nostre dictioni subjecit et potestati. Sacrosancte igitur matris nostre Romane Ecclesie auctoritate, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, principum, comitum, procerum, cleri nostri regni

(1) Scilicet XXVI mensis decembris 1224, die nativitatis suae anniversario.

et totius populi communi consilio, regnum quod absolverat multis jam evolutis temporibus benignitas Redemptoris, diebus nostris rediit in statum pristinum et formam regni in integrum perfectam, honorificentius decoratam, magnifice sublimatam. Aspirante nobis itaque septiformis Salvatoris gratia, ad honorem Dei cujus misericordia nostra prosperantur in melius et beate Virginis Marie omniumque sanctorum, titulo beati Petri apostolorum principis intus nostrum palatium regale quod est in urbe Panhormi ecclesiam fabricari fecimus summa devotione, ita quidem ut nulli persone liceat in ea sibi aliquid vendicare nisi per nos aut eos qui nobis in regno succedent. Nos autem pro salute animarum predecessorum nostrorum Roberti Guiscardi et Rogerii comitis patris nostri et matris nostre Adelasie et Elvire regine uxoris nostre et filiorum nostrorum et omnium parentum nostrorum et eorum omnium qui in acquisitione Sicilie studium impendere, pro nostrorum etiam remedio peccatorum eorumque omnium qui predictam ecclesiam juverint et dignitatem ejus custodierint, nomine dotis in presenti damus ei pro cimiterio ecclesiam Sancti Georgii novam hoc tenore ut nulli liceat persone aliquid de bonis eidem ecclesie subtrahere vel auferre. Octo autem ibidem prebendas constituimus, duas earum in redditibus septingentorum tarenorum ad granum unum cum vineis et domibus suis et terris, sicut divisum est in alio privilegio, et singulis annis singulas harum duarum accipere frumenti modios sessaginta et totidem ordei, singulas itidem harum duarum prebendarum septingentos tarenos accipere. Item quatuor alias prebendas in redditibus quingentorum tarenorum cum vineis et domibus suis et terris, sicut divisum est in alio privilegio, et singulis annis frumenti modios quatraginta et totidem ordei per singulas. Duas etiam alias que cum sint hujus ecclesie, ordinate tamen sunt in cappella regine bone memorie Elvire (1) in redditibus ducentorum tarenorum ad granum unum cum

(1) Sacellum hoc regium S. Mariae Magdalenae, illustrium Normannae familiae sarcophagis insigne, fuit aedificatum dotatumque ab Elvira anno 1130, ut vult Amatus. In hoc sacello duo canonici palatini ex ordinatione regis Rogerii assiduo cultu celebrabant. Animadvertendum autem est Pirrum in errorem incidisse, cum ait mortuam Elviram 6 indict., febr. anno 1145. Nam in hoc diplomate anno 1140 aperte significatur fato jam functam. (*Garofali nota.*)

domibus et vineis, sicut divisum est in alio privilegio, et singulis annis frumenti modios viginti duos cuique. In ecclesia vero confessionaria pro personis ibidem servientibus ducentos et quinquaginta tarenos et frumenti modios viginti sex, et constituimus ut redditus omnium tarenorum de molendinis urbis Panhormi proveniat, medietas in nativitate Domini et alia medietas in Pascha, victualia vero Thermis mense augusti. Si qua vero personarum cui predicti redditus sunt statuti decesserit, prebende victualia tam pro vicario quam pro cultu vinee et domus utensilibus interim conserventur. Si quid erit residuum, Christi pauperibus erogetur. Tareni vero prebende in manu regis sint, ut aut usibus ecclesie applicentur si ita res exigat aut pauperibus Christi distribuantur. Hoc autem dispositum et constitutum pro salute predecessorum nostrorum et peccatorum nostrorum heredumque nostrorum remedio, filiis nostris summopere committimus et commendamus ut sicut ipsi Dei et nostram benedictionem et gratiam promerere desiderant, sic quisque pro sua persona diligentissime studeat custodire. Si qua vero persona de regno nostro huic nostro privilegio contraire tentaverit, pro qualitate commissi tanquam sacrilegus et regie majestatis reus pene condigne subjaceat; quod si persona de regno non fuerit que nostra sancita violare presumpserit, anathematis gladio fodiatur et omnipotentis Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti iram sentiat sempiternam, nisi resipuerit et congrua satisfactione correxerit. Amen (1).

Nos igitur attendentes quia predicta cappella dicti regis avi nostri structura fuerit specialis, et in nostrum heredumque nostrorum redundat honorem quicquid conferimus obsequentibus in eadem; supplicationes dicti cantoris et capituli illariter et clementer admisimus, et illius intuitu per quem feliciter vivimus et regnamus et reverentia principis aposto-

---

(1) Notae chronologicae in hoc transumpto desunt, quas supplemus ex originali privil. regis Rogerii *ibid.*, sub n° V, exhibito : « Datum Panormi per manus Roberti cancellarii, die dedica» tionis ecclesie, quarto kalendas maii, indictionis tertie, incarnationis dominice anno MCXL, » regni vero excellentissimi regis Rogerii anno decimo. Et totum superius apertissime declara» tum sigillari et insigniri fecimus chrysobullo regali nostro. » Sequuntur signa testium, quorum quatuor litteris graecis exarata sunt.

lorum ad cujus honorem est ecclesia ipsa constructa ac pro salute nostra et remedio animarum prefati regis et aliorum regum ac felicium augustorum parentum nostrorum memorie recolende, supradictum privilegium de verbo ad verbum sicut superius est expressum renovavimus, et sicut temporibus dicti regis avi nostri et aliorum regum predecessorum nostrorum canonici predicte cappelle eo uti consueverunt pacifice et quiete, confirmationis nostre munimine perpetuo duximus roborandum. De majori quoque gratia nostra scriptum confirmationis quondam domini imperatoris patris nostri inclite recordationis super justitiis prebendarum suarum canonicis ipsius cappelle indultum (1), nec non et oblationem singulis annis in certis festivitatibus exhibendam et luminaria pro eadem cappella et anniversaria trium regum, sicut ea de jure consueverunt habere, ipsis et eorum posteris in perpetuum confirmamus. Ad hujus autem renovationis et confirmationis nostre memoriam et robur in perpetuum valiturum, presens privilegium per manus Johannis de Capua notarii et fidelis nostri scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum in civitate nostra Panhormi, anno dominice incarnationis (2) millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense januarii, terciedecime indictionis, imperii domini nostri Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno quinto, regni vero Sicilie vicesimo septimo, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, omnia privilegia regiae capellae palatii Panormitani confirmat et transgressores sub anathemate coercet, omnibus officialibus praecipiens ne in libertatibus, Panormi, januarii.

---

(1) Se refert imperator ad privilegium Henrici sexti : datum Panormi, XIIII die januarii, XIII indictionis, anno dominice incarnationis M°C°XC°V°, quod in *Tabulario* exhibetur, sub n° XVIII.

(2) Licet anni incarnationis hic mentio fiat, anno nativitatis plane utitur notarius.

honoribus, bonis usibus et approbatis consuetudinibus gravent canonicos et clericos ejusdem capellae.

(Memorat. ap. R. Pirrum, *Sicil. sacra*, t. II, p. 1360, ex originali et libro Reg. monarchiae, fol. 213.)

Datum Panormi, anno [dominice incarnationis] MCCXXV, die II januarii, XIII indictione.

Panormi, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Amici Aurasicensis episcopi concedit ut cuilibet liceat bona vendere, donare et in ultima voluntate relinquere ecclesiae eidem.

(Edit. in *Gallia Christiana*, t. I, p. 776.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Presentis scripti serie universis imperii fidelibus presentibus et futuris volumus esse notum quod nos Aurasicensem ecclesiam volentes oculo benigno respicere et ejus profectibus providere, ad supplicationem quoque Amici venerabilis ejusdem ecclesie episcopi dilecti fidelis nostri, generaliter indulgemus ut liceat cuilibet de imperio nostro de bonis et possessionibus suis absque prejudicio et gravamine nostro et imperii vendere, donare et in ultima voluntate relinquere dicto venerabili [episcopo], successoribus suis et Aurasice ecclesie, non obstantibus prohibitione seu statuto alicujus civitatis vel alicujus persone ecclesiastice seu civilis. Ad hujus autem rei evidentiam et perpetuam firmitatem presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Panormi, anno dominice incarnationis MCCXXV, mense martii, decima tertia [indictione] (*a*).

(*a*) In impresso *mensis martii decimo tertio*, male.

Fridericus, Romanorum imperator, innovat privilegium Friderici I avi sui archiepiscopo Arelatensi concessum, quo jubetur ne capellanus aut clericus aliquis ejusdem ecclesiae exactione gravetur, daturque dominium in Judaeis civitatem Arelatensem habitantibus.

In urbe felici Panormi, martio.

(Inedit. in arch. praefect. Massil., *Livre d'or de l'archev. d'Arles*, origin., n° 74, et *Livre noir, ibid.*, fol. 129 verso ad 130 verso; bulla quae appensa erat periit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Collatum nobis celitus imperatorie dignitatis officium nostram ammonet majestatem ut ecclesiis Dei et personis ecclesiasticis specialem benignitatis nostre favorem liberaliter impendentes, ipsis contra quorumlibet adversantium proterviam deffensionis nostre patrocinium apponamus. Ea propter notum facimus universis nostris fidelibus tam presentibus quam futuris quod Hugo venerabilis Arelatensis archiepiscopus, dilectus princeps noster, per A. venerabilem Auracisensem episcopum et G. Arelatensem archidiaconum, fideles nostros, quoddam scriptum olim Remundo venerabili archiepiscopo predecessori suo et ecclesie Arelatensi indultum a quondam Friderico illustrissimo Romanorum imperatore bone memorie avo nostro ad nostram celsitudinem demonstravit, humiliter supplicando ut illud intuentes benigne sibi, successoribus suis et ecclesie sue innovare de solita gratia dignaremur; cujus tenor talis est :

Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Imperialem decet excellentiam racionabilibus fidelium suorum petitionibus facilem et benignum prebere assensum ut fidelis devocio supra bone fidei meritis celerem sortiatur effectum. Unde notum sit tam presentibus quam futuris imperii nostri fidelibus quod nos dilecto principi nostro sancte Arelatensis ecclesie archiepiscopo Raimundo et suis suc-

cessoribus concessimus eique hujus nostre concessionis donum imperiali auctoritate nostra confirmamus, ut nulla de cetero persona clericalis vel secularis, cujuscumque dignitatis seu potestatis fuerit, ipsum in capellanis suis, clericis, monachis, sanctimonialibus angaria vel perangaria aut aliquo genere exactionis gravare aut molestare presumat. Quod etiam nostre benignitatis munus ipsi suisque successoribus in Judeis qui in civitate Arelatensi commorantur clementer ampliamus, quos camere nostre pertinentes ejus dominio supponimus, firmiter statuentes ut nulla ratione aliquis hominum aliqua exactione absque consensu et consilio ipsius in eos dominium apponat exercere. Si quis autem contra hujusmodi nostre majestatis statuta atque mandata ire temptaverit, banno nostro indubitanter se sciat esse obligatum et a gratia nostra penitus exclusum, et pene XL librarum probatissimi auri subjaceat, quarum librarum XX fisco nostro, altera medietas archiepiscopo et injuriam passis persolvatur. — Testes aderant episcopus Carpentoractensis, episcopus Avenionensis, episcopus Vasionensis, electus Aurasicensis, Petrus Bermundi canonicus, Petrus de Sancto Martino, Petrus Willelmus, Rembaldus Nazarenus, Poncius Willelmus de Roson canonicus Arelatensis, Petrus Villelmus de Caonis, Geraldus de Borriano, Imbertus de Sallon, Petrus de Aurong, Guillelmus de Petragrossa (1).

Datum apud Aurasiam, anno Domini MCLXXVII, II nonas mensis augusti, indictione undecima.

Nos autem fidem puram et devocionem sinceram dicti archiepiscopi attendentes quam ad personam nostram et imperium gessit hactenus et gerere non desistit, supplicationes et preces suas porrectas nobis per venerabilem episcopum et archidiaconum nominatos ad nostram presentiam venientes favorabiliter admisimus et benigne, et nominatum scriptum de verbo ad verbum sicut supra legitur transcribi mandantes, illud eidem venerabili archiepiscopo dilecto principi nostro et successoribus suis et Arelatensi ecclesie sue de solita benignitatis nostre gratia innovamus. Ad hujus autem innovationis nostre memoriam et robur in perpetuum va-

(1) Haec omnia nomina viros Provincia oriundos indicare videntur.

liturum, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Lando venerabilis Reginensis archiepiscopus, ... Pabimbergensis, ... Auracisensis, B. Syracusanus, B. Çapudaquensis venerabiles episcopi, R. dux Spoleti, H. magister beate Marie Teutonicorum in Jerusalem, R. de Principatu marescalcus, T. comes Acerrarum, S. comes Theatinus, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXV, mense martii, XIII° indictionis, imperante domino nostro Frederico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, anno Romani imperii ejus quinto, regni vero Sicilie XXVII°, feliciter. Amen.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Datum in urbe felici Panormi, anno, mense et indictione prescriptis.

Romanorum imperator, renovat archiepiscopo Are- In urbe felici Panormi, martio.
gium anno 1214, 24 novembris, a seipso indultum,
ıat regalia totius dioecesis, ipsam civitatem Arelaten-
iso, plenam jurisdictionem aliaque ibidem expressa.

rch. praefect. Massil., *Livre d'or de l'archev. d'Arles*, origin. n° 75, et
', *ibid.*, fol. 133 recto ad 134 recto. Bulla quae appensa erat periit.
loma transcribatur de verbo ad verbum, nisi quod in vice *tibi Mi-*
tur *tibi Hugo*, duximus illud non hic denuo inserendum, sed saltem
n faciendam, quum a nemine memoretur.)

ı rei testes sunt Lando venerabilis Reginensis, etc., *ut in*

ıini Friderici, etc., *ut in praecedenti.*

c anno dominice incarnationis MCCXXV, etc., *ut in prae-*

be felici Panormi, etc., *ut in praecedenti.*

Panormi, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, concedit ut cuilibet liceat bona dare, donare et in ultima voluntate relinquere archiepiscopo et ecclesiae Arelatensi.

(Inedit. ap. BONNEMANT, *Mémoires Mss. sur l'église d'Arles*, pièces justific. t. II, f. 290, in Bibl. Arelat., cum hac nota Gallice scripta : *Copié* prout jacet *sur l'original d'où le sceau a été arraché : Arch. du chap. d'Arles, chartier des paroisses, partie II, titre* 247.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Presentis scripti serie universis imperii fidelibus presentibus et futuris volumus esse notum quod nos Arelatensem ecclesiam volentes oculo benigno respicere et ejus profectibus providere, ad supplicationes quoque Hugonis venerabilis ejusdem ecclesie archiepiscopi dilecti principis nostri, generaliter indulgemus ut liceat cuilibet de imperio de bonis et possessionibus suis absque prejudicio et gravamine nostro et imperii nostri dare (*a*), donare et in ultima voluntate relinquere dicto venerabili archiepiscopo, successoribus suis et Arelatensi ecclesie, non obstante prohibitione seu statuto alicujus civitatis vel alicujus persone ecclesiastice seu civilis. Ad hujus autem rei evidentiam et perpetuam firmitatem presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Panormi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense martii, tercie decime indictionis.

Panormi, 31 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit Hugoni archiepiscopo Arelatensi, inhibens ne sine licentia sua castrum Salonis quod ab

(*a*) In altero privilegio pro ecclesia Auracisensi *vendere*, quod rectius arbitramur.

imperio tenet alienare, commutare aut alio quoquo modo conferre praesumat.

(Inedit. in arch. praefect. Massil., *Livre d'or de l'arch. d'Arles*, origin. n° 103, unde sigillum periit, et *Livre noir*, ibid., fol. 121 verso. — Transcripsit Bonnemant, *Mémoires Mss. sur l'église d'Arles*, pièces justificat., t. I, f. 33, in Bibl. Arelat.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, dilecto principi suo Hugoni venerabili Arelatensi archiepiscopo gratiam suam et omne bonum. Scire te credimus quod castrum Salonis quod a nobis et imperio tu et ecclesia tua tenes absque mandato et licentia nostra donare, commutare aut alienare non possis; cum et si hoc presumeres attemptare, grave tibi et ecclesie tue posset contingere detrimentum. Quocirca dilectioni tue mandamus firmiter inhibentes quatinus dictum castrum quod, sicut dictum est, tu et ecclesia tua a nobis et imperio immediate tenere dinosceris, a manibus tuis alienare, commutare aut alio quoquo modo conferre sine nostra licentia non presumas; sciturus quod si aliter egeris, tibi et ecclesie tue prejudicium irrogabis, et nos quicquid inde feceris irritum reputabimus et inane.

Datum Panormi, ultimo die martii, XIII° indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Raymundo comiti Tolosano mandat ut quaecumque ex terris ejus feudalibus alienaverit in imperii praejudicium, integre revocare studeat. Panormi, 31 martii.

(Edider. Papon, *Hist. de Provence*, t. II, preuves, p. 49, n° XLII. — Mone, *Anzeiger*, ann. 1835, p. 135.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, R. comiti Tholosano, duci Narbone et marchioni Provincie, fideli suo (*a*), gratiam suam et bonam voluntatem. Intellexit serenitas nostra

(*a*) Apud Papon *fidelibus*, male.

quod tu terras predecessoribus tuis et tibi a nobis et imperio infeudatas alienare, donare et vendere pro velle tuo presumis in imperii nostri prejudicium et gravamen. Cum igitur istud non debeamus equanimiter sustinere, fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus quatenus quecumque e predictis terris tuis feudalibus dudum alienaveris et concesseris, integre ad manus tuas studeas revocare, nec de cetero ex eis aliquid absque consensu nostro et imperii donare seu alienare presumas.

Datum Panormi, ultimo martii, XIII indictione.

[aprili.] Tunc imperator ipse barones omnes et milites infeudatos ad Saracenorum confusionem in Siciliam vocat, et tunc ipse in Apuliam venit. Ricc. de S. Germ. *Chronic.*, *ad ann.*

Foggiae, maio. Fridericus, Romanorum imperator, sub protectione sua speciali recipit monasterium Speciosae Vallis (Schônthal) cum omnibus ejus bonis, et specialiter possessionem de Biringen quam ab Henrico de Langeberg et Conrado de Crautheim idem monasterium emit.

(Inedit. ex Kremer, *Chron. Schœnth.*, MSS. secul. XVII, fol. 186, in Biblioth. Stuttgart. — Et ex copia authentica in arch. Stuttgart. nobis a Kauslero communicata.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos illius intuitu per quem feliciter vivimus et regnamus, monasterium Speciose Vallis, ordinis Cisterciensis, abbatem, conventum et omnia bona ad ipsum monasterium

juste spectantia ac specialiter possessionem de Biringen cum justiciis et rationibus suis, quam emisse dicitur ab Henrico de Langenberc et Cunrado de Crutheim, sicut illam possidet justo titulo emptionis, sub protectione et defensione nostra et imperii recepimus speciali; mandantes et firmiter inhibentes quatenus nullus sit qui contra hanc protectionis et defensionis nostre paginam predictum monasterium, conventum et justa bona ipsius temere molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus autem protectionis et defensionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens scriptum fieri et celsitudinis nostre sigillo precepimus communiri.

Data Fogie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense madii, tercie decime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, abbati et conventui Sanctae Mariae de Pulsano juxta Sipontum omnia privilegia confirmat et possessiones, quae ibidem nominatim recensentur. Foggiae, maio.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. VII, p. 832, ex autographo in archivo S. Mariae de Casanova Pennensis dioecesis asservato.)

Federicus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. In eminenti dignitate imperialis solii constituti, tanto diligentiori cura intendere debemus ad protegendas Dei ecclesias et fovendas et precipue loca religiosa in quibus Dei cultores qui pro nostra omniumque fidelium salute quotidie militant creatori, quanto nos divina clementia pre aliis orbis principibus exaltavit. Inde est quod nos attendentes honestam vitam et laudabilem conversationem venerabilis abbatis [et conventus] monasterii Sancte Marie de Pulsano, fidelium nostrorum, et ingens orationis obsequium quod in ipso monasterio Domino jugiter exhibetur, intuitu Dei et pro salute nostra ac pro remedio animarum divorum au-

gustorum parentum nostrorum, monasterium ipsum, abbatem et conventum predictos et successores eorum cum omnibus obedientiis, oblationibus et oblatis, possessionibus et aliis bonis omnibus que in presenti rationabiliter possident aut in futurum justo titulo poterint adipisci sub protectione nostre celsitudinis recipimus speciali. De abundantiori quoque gratia celsitudinis nostre confirmamus eidem monasterio in perpetuum omnia privilegia et possessiones, concessiones necnon et omnes libertates et tenimenta omnia que ipsum monasterium a temporibus regis Rogerii et Guglielmi I et II, regum Sicilie, [et] a tempore Henrici imperatoris felicis memorie genitoris nostri tenuit et possidet aut possedit, videlicet omnes terras quas dictus quondam felicis memorie Guglielmus rex II in loco sine ulla exactione terratici vel herbatici nostris bajulis aliquando tribuendi ipsi monasterio donavit; ecclesiam Sancti Jacobi apud Fogiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis, monasterium Sancti Nicolai in territorio ejusdem terre cum omnibus juribus et pertinentiis suis, monasterium Sancti Petri de Uccellaria in territorio castri Calvelli cum omnibus ecclesiis, juribus et pertinentiis suis, monasterium Sancti Bartholomei de Carbonaria cum omnibus juribus et pertinentiis suis, monasterium Sancti Christophori quod in Matinata consistit cum omnibus juribus et pertinentiis suis, monasterium Sancti Petri Vallis Bone in territorio Moncipelli cum omnibus ecclesiis, juribus et pertinentiis suis, monasterium Sancti Pauli Civitaten[sis] cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Johannis de Vento in territorio castri Plietri quam quondam Mastolius Troisii Dei et regis gratia dominus castri Plietri eidem monasterio donavit, monasterium Sancte Cecilie monialium extra castrum Fogie cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ecclesiam Sancte Marie Fustiferi cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ecclesiam Sancti Joannis Barani cum omnibus juribus et pertinentiis suis, monasterium Sancti Petri Opinee Nove in Ischitella quod quondam dominus Paulus Dei et regis gratia dominus castri Ischitelle donavit dicto monasterio cum ecclesiis, terris, vineis, sylvis, molendino et omnibus juribus ac pertinentiis suis; terras quas dominus Rao dominus Devie cum flumine Lauti et molendino sito in ipso flumine et flumine Falonie eidem monas-

terio vendidit et omnes domos, vineas, terras et sylvas quas habet in dicto castro Devie et [in] castro beati Nicandri; duas petias terrarum quas quondam Jonathas Dei et regis gratia Civitatis comes in territorio predicte terre Civitatis dicto monasterio donavit, unam videlicet in partibus orientis juxta vallonum quod dicitur Radicosa, alteram in partibus occidentis quod (*sic*) dicitur Isola juxta flumen Fortorium; ecclesiam Sancti Egidii in territorio Juvenacii cum terris, vineis, olivetis, domibus et omnibus juribus et pertinentiis suis; omnes terras ac tenimenta in territorio, Casalenovo et Rineani; terras in territorio Candelarii, quas quondam Leonardus dominus castri Candelarii eidem monasterio vendidit infra fines hujusmodi consistentes : a capite pergit via publica que dicitur via de Canellaro Carromellaro, que etiam venit a bado Ternaricii et pergit Sipontum et finit in via que venit a foresta Riniani et finit in aliam viam que vadit ad puteum de Sala et fluit a flumine Candelarii; alio vero latere est ipsum flumen et ascendit a latere ejusdem fluvii usque ad servitam que est inter eamdem terram Montesacci et revolvit per eamdem servitam et pergit usque ad eamdem viam publicam; omnes terras in loco qui dicitur Turris Silvestri : primus finis est quedam vallis juxta Castellucium et deinde descendit recta linea a flumine Candelarii, secundus finis est istud flumen, tertius finis sic pretendit. . . . . . . per quas itur a Candelario ad Sipontum et ab ipsis viis ascendit ad Cavam Veterem et deinde ad montem Aquilonem : quartus finis est murices sicut aqua pendet ab ipso monte Aquilonis usque ad dictam vallem Castelluccii; omnes terras in Moderano juxta *la via Mezzana*, monte Pertuso et Sancta Restituta, que terre per hos fines esse videntur : primus finis est rivus qui descendit a predicto Moderano usque ad littus maris, secundus finis sunt murices sicut aqua dependet, tertius finis a canalus planca (*sic*) et descendit in via que venit a Sancto Johanne Rotundo et deinde venit et ferit in strada que venit ad Sanctum Portium et venit per istam stradam usque ad mare; omnes predictas terras cum olivis et vineis; in loco Maulis petiam unam terre prope Pantanum Sancti Egidii, que terra hos fines habet : videlicet primus finis est quoddam limes quod est juxta puteum intus ipsas terras et terras Sancti Nicolai

de Pantano, secundus finis est via publica per quam itur a monte ad Sanctum Joannem Rotundum, tertius finis est terra Sancti Johannis in Lamis et via per quam itur a dicto Pantano usque ad Campum latum, quartus finis sunt murices; omnes alias terras circa ipsum Pantanum existentes cum aqua in ipso Pantano. . . . . omnes alias ipsi monasterio; omnes terras que sunt in Campolato predicto monasterio pertinentes usque ad districtum Reguli ab omni parte sicut aqua dependet; omnes domos, vineas et terras in castro Caveravi et castro Caprelis eidem monasterio pertinentes; omnes domos, vineas et terras in civitate Siponti et civitate montis Sancti Angeli dicto monasterio pertinentes, et omnes alias domos et possessiones, loca et tenimenta, vineas, oliveta, sylvas et nemora nec non salinas et piscationes que ubique per regnum nostrum justo titulo dictum monasterium noscitur possidere atque in antea juste (a) per civitates, castra, villas et oppida emptione, oblatione, donatione aut quocumque modo dante Domino poterit adipisci, dicto monasterio confirmamus atque concedimus. Volumus insuper ut per totum dominium nostrum ubi possessiones et tenimenta dictum monasterium habuerit, possit affidare et diffidare, et ubique monachi vel homines prefati monasterii possint libere emere et vendere quecumque voluerint, et nullum jus, actionem seu plateaticum alicui solvere teneantur ac cum omnibus aliis locis et tenimentis dicti monasterii pro suis animalibus defensas facere, et absque licentia abbatis nullus presumat intrare ibidem. Confirmantes atque concedentes dicto monasterio per totam. . . . . non tamen montis Sancti Angeli et Vasti, possit pro animalibus suis sine damno alicujus pascua et aquas recipere; prohibentes iterum in piscationibus quas idem monasterium habet in mare Siponti et Sancti Leonis atque in Pantano Barani nullus absque licentia abbatis Pulsanensis audeat venari vel piscari. Ad extremum namque talem franchitiam et libertatem dicto monasterio Pulsani confirmamus atque concedimus et omnes oblatos qui se et bona sua dicto monasterio dedicaverint ab omni collecta, exactione, servitio seu gravamine liberos esse volumus et absolutos; et si aliquis

(a) In impresso *juxta*, male.

homo aliquid malefactum pertractaverit, quo malefacto monasterio abjudicari debeat, et ipse quomodolibet inde evaserit et ad monasterium ipsum confugium fecerit, nemo eum apprehendat vel in eum manum mittat. Statuentes et imperiali auctorite sancientes quod nullus dux, nullus marchio, nulla denique persona humilis vel alta, secularis seu ecclesiastica, contra predictum monasterium, abbates, fratres et successores eorum in personis ecclesiasticis, hominibus, animalibus seu quibuslibet bonis suis audeat molestare vel indebitis exactionibus aggravare presumat. Quicumque autem contra hanc confirmationis et concessionis paginam ausu temerario ire presumpserit, iram nostre majestatis incurrat et centum librarum auri purissimi pene subjaceat. Ad hujus autem protectionis, confirmationis et concessionis nostre memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum inde fieri et nostre majestatis sigillo jussimus communiri, anno, mense et indictione subscriptis.

Datum Fogie, anno dominice incarnationis MCCXXV, mense maii, XIII indictionis, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, iterum renovat et confirmat Petro episcopo Massiliensi privilegium alteri episcopo nominis ejusdem ab imperatore Friderico primo avo suo indultum. Foggiae, maio.

(Inedit. in arch. praefect. Massiliensis, coll. ex duobus exemplaribus, *Pergam.* n° 29 et *Regest. spec.*, fol. 15 et 16. Quum renovetur de verbo ad verbum privilegium jam supra expressum, p. 249 et seqq., loco, anno, mense et indictione solummodo mutatis, non hoc duximus denuo transcribendum. Cauda autem privilegii et notæ chronologicæ ita sunt:)

Ad hujus autem renovacionis et confirmationis nostre memoriam et robur in perpetuum valiturum presens privilegium conscribi et nostre majestatis jussimus sigillo specialiter communiri (*a*).

(*a*) Locus iste, ut videre est, paululum ab altero privilegio discrepat.

Datum Fogie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense maii, XIII indictionis, imperii domini nostri Frederici Dei gratia Romanorum imperatoris illustrissimi, semper augusti et gloriosissimi regis Sicilie anno quinto, regni vero Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Foggiae, 22 maii.

Fridericus, Romanorum imperator, mandat Raymundo Berengario comiti Provinciae ut cives Massilienses utriusque partis civitatis, episcopalis videlicet et vicecomitalis, quos jam archiepiscopus Arelatensis propter contumacem eorum in episcopum rebellionem bannitos imperii publicavit, ipse mari et terra persequatur et capi faciat.

(Inedit. ex antiquo arch. regal. Aquensi, nunc in praefect. Massil., *tour du trésor, IV[e] carré, 13[e] liasse, lettre D,* originale; transumptum quoque in Inventario anni 1820, ibid., 1[re] *divis.*, fol. 202.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, nobili viro R. Berengario comiti Provincie, fideli suo, gratiam suam et bonam voluntatem. Cum ad fovendas libertates ecclesiarum que sub nostro sunt imperio constitute, tanto vigilantiori cura velimus intendere quanto eas inconcussa desideramus tranquillitate gaudere, nostre non immerito movet auctoritas majestatis ac vigor rationis exposcit ut sicut ad devotionem fidelium nostrorum pacem et veritatem diligentium propensius commendandam gratanti animo excitamur, sic et ad puniendos infidelium excessus qui ecclesias ipsas et venerabilia loca persequi et ancillare nituntur, ex acerbato indignationis spiritu provocemur et contra eos potenti brachio augustalis fortitudinis accingamur, ut illi proinde sincerioris devotionis continuatum incrementum suscipiant et alii a sua nequitia resipiscant. Inde est quod, cum Petrus venerabilis Massiliensis episcopus fidelis noster jam exdiu ad nostram accesserit

majestatem, de universitate civium utriusque partis Massilie qui tam ipsum quam ecclesiam Massilie juridictionibus suis indebite et contra omnem justitiam expoliarunt, contra juramentum et fidelitatem sibi prestitam expresse venire in suam confusionem et ignominiam non verentes, prout in publico instrumento nostro culmini presentato partis civitatis vicecomitalis Massilie bulla plumbea roborato manifeste inspeximus contineri (1), gravem pro se et ecclesia sua querelam in nostra presentia proponendo; nos venerabilibus principibus nostris Hugoni Arelatensi et B. Aquensi archiepiscopis vel eorum alteri per nostras litteras firmiter precipiendo dedimus in mandatis ut universitatem predictam monerent et nostra fulti auctoritate inducerent ad restitutionem sue partis civitatis et etiam ablatorum memoratis episcopo et ecclesie plenarie faciendam. Quod si eos invenirent in sua contumacia persistentes, monitione premissa totam universitatem sepe dictam nostre celsitudinis banno supponerent et bannitos imperii publicarent, cuilibet parti ejusdem civitatis, episcopali videlicet et alii que vicecomitalis publice nuncupatur, que tamen modo prodicionaliter et infideliter sicut accepimus sunt unite, ad ipsorum convincendam malitiam litteras nostre mansuetudinis [et] benigne monitionis nihilominus dirigendo. Cum autem solus archiepiscopus Arelatensis, cum predictus suus in hac parte collega diem clausisset extremum, juxta tenorem imperialis mandati debita diligentia processisset et predictam universitatem in sua nequitia pertinaciter induratam, contumacem et rebellem pariter invenisset, utriusque partis civitatis populum et totam civitatem potestate ab excellentia nostra sibi tradita banno imperiali supposuit et bannitos publice nuntiavit, prout idem archiepiscopus hec omnia per suas litteras nostre celsitudini declaravit, nec non et idem prefati episcopi labor cum relatione veridica multorum edocuit iterato ad nostram usque presentiam veniendo. Nos igitur quod per predictum archiepiscopum actum est in hac parte, nullis litteris prejudicantibus vel obstantibus a nostra curia veritate tacita vel falsitate subgesta aliquatenus impetratis, ratum habentes et ex certa

(1) Alterum verisimiliter exemplar hujus chartae quam supra edidimus, p. 300 et seqq.

scientia confirmantes, eo quod tantam et tam manifestam injuriam ulterius dissimulare salvo honore imperii nec volumus nec valemus, fidelitati tue quanta possumus districtione firmiter precipiendo mandamus quatenus predictos cives Massilie et omnia bona eorum tam in mari quam in terra in personis et rebus sine dilatione qualibet persequendo, ipsos ubicumque poteris capias et capi per tuum districtum et ubi poteris facias, tanquam expositos cuilibet occupanti et Romani imperii hostes factos, vivam guerram pro honore imperii contra eos movendo et moveri etiam faciendo, confederatione forsitan inter te et ipsos juramento firmata vel promissione qualibet non obstante, cum jura et nos cum eis juste testemur quod in omni sacramento excipiatur jussio principalis merito antecellens. Hoc nostrum mandatum tam sollicite quam potenter tanquam fidelis noster exequendo quod et tue fidei puritas jocunda commendatione condigna in hoc specialiter comprobetur, et predicta universitas indignationis nostre gladio ad presens percussa cum ad cor redierit ab errore suo ac rebellione forsitan revocetur, graviora nisi satisfecerint, Altissimi favente gratia, processu temporis spectando. Quid inde feceris aut facere proponas, sicut honorem nostre celsitudinis amplexaris, nobis quam cito poteris rescribere non omittens, firmissime tenens quod in nullo alio ad presens ampliori affectu nobis poteris complacere quam si tue in hoc devotionis effectum ostenderis evidenter.

Datum Fogie, anno incarnationis Domini millesimo ducentesimo XXV°, XXII° madii, indictionis decime tertie.

Foggiae, 22 maii.

Fridericus, Romanorum imperator, potestati et civibus Arelatensibus mandat ut cives Massilienses hostes imperii factos mari et terra persequantur et capi faciant.

(Edit. partim in Saxio, *Pontific. Arelat.* apud Mencken, *Script.*, tom. I, p. 277. Mandatum integrum, testante Aniberto, *Mémoir. sur l'anc. rép. d'Arles*, II, 30, extabat in *Miscellaneis* Joh. Gertoux, MSS. Biblioth. Mejanens. ap. Aquas.)

[Fridericus, etc. . . Potestati et universitati Arelatensium, etc.]. . .

. . . .

Fidelitati vestre quanta possumus districtione firmiter precipiendo mandamus quatenus predictos cives Massilienses et omnia bona eorum tam in mari quam in terra, in personis et rebus sine dilatione qualibet persequentes, ubicumque ipsos poteritis capiatis et capi per vestrum districtum et ubi poteritis faciatis, tanquam expositos cuilibet occupanti et Romani imperii hostes factos; vivam guerram pro honore imperii contra eos moventes et moveri etiam facientes, confederatione forsitan inter vos et ipsos juramento firmata vel promissione qualibet non obstante.

Datum Fogie, anno incarnationis dominice M. CC. XXV, die XXII maii, indictione XIII.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat sententiam a principibus imperii latam contra cives Bisuntinos qui communitates illicitas statuerant, excepta tamen assignatione clavium archiepiscopo; quem quidem articulum usque ad ulteriorem provisionem suspendit. Foggiae, 5 junii.

(Edit. ap. *Dissert. de l'Académ. de Besançon*, ann. 1760-1761. — Ibi vero correctius ex codice dicto *Chart. de Franchecomté*, coll. Droz, in Bibl. reg. Paris., t. III, f. 526 recto-527 verso.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, Henrico Romanorum regi karissimo filio suo gratiam suam et omne bonum. Benigne recepimus filiationis tue litteras quas nostre celsitudini destinasti super processu cause dilecti principis G. (*a*) venerabilis quondam Bisuntini archiepiscopi adversus cives Bisuntii in tua curia ventilate, de communitatibus videlicet, constitutionibus, novitatibus,

(*a*) In codice *V.*, male, quum hic manifesto agatur de archiepiscopo *Girardo*. Cf. *Histor. diplomat. Henrici septimi*, ad ann. 1224, 28 decembris, et infra, p. 492.

conventionibus illicitis intercedente jurisjurandi religione ab eisdem civibus attemptatis, per easdemque litteras nostra serenitas intellexit qualiter per sententiam dilectorum principum nostrorum E. Coloniensis, Th. Treveriensis (a) venerabilium archiepiscoporum, Augustensis, Lausanensis, Basiliensis episcoporum aliorumque magnatum Burgundie predictas communitates, constitutiones, novitates et questiones illicitas revocaveris, dicto quondam archiepiscopo Bisuntino claves portarum et stratam in tua curia sententialiter recuperante. Docuit nos insuper earumdem continentia litterarum quod cum dederis eisdem Bisuntinis civibus in mandatis ut nullas conventiones facerent nec inirent consilium nisi tue curie ac predicti quondam Bisuntini archiepiscopi consilio requisito, dicti cives contra tenorem late sententie in curia tua, in contemptu mandati tui et non absque gravi contumelia imperii quod graviter leditur in hac parte, inire consilia et hujusmodi conventiones illicitas facere non dimittunt, communitatibus et initis novitatibus temere inherentes. Volentes igitur statum ecclesiarum imperii tranquillitate votiva gaudere et inconcussa perfrui libertate, sententiam principum super irritatione communitatum, constitutionum, novitatum et illicitarum conventionum a civibus Bisuntinis commissarum et de strata in tua curia promulgatam duximus approbandam et ipsam de innata gratia confirmamus, dantes eisdem civibus per alias nostras litteras in mandatis ut eidem sententie in predictis articulis confirmate non presumant aliquatenus obviare. Super eo vero quod de assignatione clavium portarum pronuntiatum extitit per principes memoratos, taliter supplicationi tue duximus respondendum ut quia propter hostilitates et odia quibus predicti cives infestari dicuntur, posset de civitate ipsa invasionis alicujus periculum formidari si claves portarum prout dictavit sententia resignarent, ad cautelam eventuum qui timentur, tibi et dilecto principi nostro E. venerabili Coloniensi archiepiscopo committimus providendum, executionem sententie super articulo clavium interim suspendentes donec de indempnitate civitatis ejusdem cum eodem archiepiscopo diligenti

(b) In codice *Terentiensis*, male.

deliberatione provisa, juxta quod ad honorem imperii procedendum fore videritis procedatis. Nos enim eisdem civibus Bisuncii per nostras litteras demandamus ut quicquid de clavibus tu et predictus princeps noster Coloniensis archiepiscopus eis duxeritis injungendum, effectu debeant prosequente complere.

Datum Fogie, V° junii, tercie decime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, confirmat privilegium confirmationis ab Henrico filio suo Romanorum rege Tullensi ecclesiae concessum de confirmatione duorum privilegiorum eidem ecclesiae indultorum : quorum scilicet in primo Arnulphus rex Romanorum, invasoribus ejusdem ecclesiae ad poenitentiam coactis, libertatem a Dagoberto rege Francorum datam de non aedificandis munitionibus infra quatuor leucas ab urbe Tullensi observari praecipit; in secundo autem Henricus primus Romanorum rex villam Gondolphi in ripa Mosellae cum omnibus pertinentiis suis sedi Tullensi concedit. Foggiae, junio.

(Edidit BENOIT, *Hist. ecclés. et politiq. de la ville et du diocèse de Toul*, docum. p. XXXII-XXXIV, ex autographo Tullensi cum bulla aurea, quae filis sericis rubri et albi coloris usque in annum 1707 appendebat. — Coll. cum exemplari authent. in collect. De Camps, vol. 62.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Collatum nobis celitus imperatorie dignitatis officium sollicitudinem nostram admonet et inducit ut venerabilibus locis et personis ecclesiasticis benignitatis nostre favorem liberaliter impendentes contra indebitam adversantium proterviam ipsius defensionis nostre patrocinium apponamus. Ea propter universis imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod propterea venerabiles decanus

totumque capitulum Tullensis ecclesie, fideles nostri, per Rodolphum ejusdem ecclesie archidiaconum, fidelem nostrum, quoddam privilegium Henrici Romanorum regis carissimi filii nostri predicte ecclesie Tullensi concessum, de confirmatione videlicet duorum privilegiorum Arnoldi et Henrici Romanorum regum predecessorum nostrorum memorie recolende prefate Tullensi ecclesie ex antiquo collatorum, nostre celsitudini presentaverunt, humiliter supplicantes ut ipsum privilegium approbare et de nostra sibi et eorum Tullensi ecclesie dignaremur gratia confirmare; cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus septimus divina favente clementia Romanorum rex et semper augustus. Justis petentium desideriis regia majestas prout consuevit prebere [debet] assensum, et maxime in his in quibus vita et libertas ecclesie conservantur. Quapropter universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris duximus innotescendum quod accedentes ad presentiam nostram viri prudentes et honesti Petrus majoris ecclesie Tullensis decanus et Folmarus ejusdem ecclesie archidiaconus exhibuerunt nobis privilegia Arnulphi et Henrici Romanorum regum predicte ecclesie collata super quibusdam libertatibus ac possessionibus dicte ecclesie contraditis, humiliter et devote postulantes ea a nostra munificentia Tullensi ecclesie confirmari; quorum tenor talis est : — Arnolphus divina favente clementia Romanorum rex. Quod sanctarum ecclesiarum defensorem nos constituit Dominus omnipotens, bene constructas regere, desolatas consolari, destructas restituere, si ejus voluntatem in illis disponendis et subveniendis adimpleverimus, perpetuam felicitatem nobis futuram esse non dubitamus. Quapropter notum fieri volumus presentibus et futuris quod in reditu nostro de Longobardia vir venerabilis Arnaldus (*a*), sancte Tullensis ecclesie episcopus, nobis Constantie occurrens lacrimabiliter conquestus est quod comes Stephanus et Gerardus frater suus et Matfridus super possessiones Tullensis ecclesie nimiam malitiam exercuerant et fere totam terram rapinis et incendiis ad exterminium deduxerant, pro mo-

(*a*) Ap. Benoit *Arnulfus*, male.

nasterio Sancti Mauritii et Sancti Apri quod sub nomine advocatie sui juris falso per hereditatem esse asserebant. Preter hec munitiones castelli infra quatuor leucas ab urbe contra statutum a tempore Dagoberti regis edificaverant, per quas ex toto perierat antiqua libertas civitatis, quam cum banno regali ex integro omnes Tullenses episcopos a regno nostro jure perpetuo manifestum est possidere. Unde querimonie prefati episcopi compatientes injuriam suam nobis reputavimus et prefatos malefactores ad presentiam nostram commoveri fecimus; qui venientes juxta Vormatiam (*a*), per milliare unum ab urbe angarias ferentes, veniam postulantes usque ad pedes Arnaldi episcopi Tullensis qui nobiscum aderat ipsas angarias deposuerunt et decem libras argenti pro capitalibus ablatis Arnaldo episcopo restituerunt et libertatem civitatis se servaturos juraverunt, nostre etiam ditioni se et sua tradiderunt. Preterea interventu dilecti filii nostri Zuintiboldi et Vizemundi (*b*) ducis et prefati episcopi, antiquam libertatem a glorioso rege Dagoberto nos corroborando perpetuo observari precipimus, scilicet ut infra quatuor leucas ab urbe Tullensi nulla munitio castellaris edificata maneat, excepta immunitate Liberduni quod proprium tutamen civitatis et locus pacis in quo sanctus Eucharius martyr veneratur et obsessus a Vandalis remansit indestructus, ubi Deus excitando potentiam suam salvos fecit multos et Vandali passi ruinam magnam perierunt propter iniquitates suas (1). Nullus unquam posteritatis nostre nec secularis potentie veniat qui libertatem istam infringere possit, sed hujus precepti auctoritas nullam patiatur detrimoniam (*sic*) et firma stabilisque perseveret illesa. Datum, etc. (*c*). — Henricus divina favente clementia Romanorum rex. Cum regiis constet munificentiis ecclesiarum Dei statum semper extitisse munitum ac moderatum simulque exaltatum fore, nihilominus piorum

(*a*) Ap. Benoit *Varkiariam* (*Wormes*), male. In altera copia ap. De Camps clare legitur *Vormatiam*.

(*b*) Alias autem *Wikemundi* sive *Vilzemundi*.

(*c*) Desunt chronologicae notae neque alibi illas reperire potuimus.

---

(1) Circa ann. 406. Cf. Hieronymum, Salvianum et Gregorium Turonensem.

sequi cupientes regum vestigia, ob Dei amorem suorumque sanctorum, eadem nitimur agere augmentando. Hujus rei gratia adiit nostram serenitatem dilectus consanguineus comes Eberardus [et] expetiit ut Gondolphi villam (1) que est sita super ripam fluminis Moselle in comitatu Tullensi largiri dignaremur ad Dei omnipotentis domum que infra Tullensis civitatis muros in honore Dei, genitricis Marie et Sancti Stephani protomartiris constructa videtur, quod et fecimus. Concedimus itaque prefatam villam Gondolphi, quod cum integritate nunc temporis pertinet ad nos, ad prefatam sedem Tullensem cum mancipiis utriusque sexus, cum telonio, sylvis, piscationibus, aquis aquarumque decursibus, vineis, pratis, terris cultis et incultis, exitibus, regressibus, terminationibus omnibusque rebus, ob amorem vite eterne et ob felicitatem nostri dilecti et venerabilis presulis hujus sedis Gauzelini, ut tam ipse quam sui deinceps successores per hujus precepti auctoritatem supra memoratas res firmiter possideant. Datum, etc. (2). — Predictorum igitur nuntiorum precibus clementer annuentes, privilegia per antefatos reges ecclesie Tullensi concessa et collata approbamus et privilegii munimine perpetuo valitura confirmamus; statuentes et sub interminatione gratie nostre districte precipientes ut nullus unquam hominum ecclesiam Tullensem super justitiis et rationibus seu etiam possessionibus, sicut in iisdem privilegiis continetur, molestare audeat aut gravare. Quod qui fecerit nostram et imperii offensam incurret et in vindictam sui reatus centum libras auri componat, dimidium camere nostre, reliquum injuriam passis. Ad hujus rei perennem memoriam presens scriptum sigilli nostri appensione fecimus communiri. Testes ii sunt Engelbertus Coloniensis archiepiscopus, Theudericus Trevirensis archiepiscopus, Gerardus Bisuntinus [archiepiscopus], Sifridus Augustensis (3), Willelmus Lausa-

---

(1) Hodie *Gondreville sur Moselle.*

(2) In transumpto originali notae chronologicae omissae sunt, quas addimus ex altera copia separatim apud eamdem collectionem inserta; ut sequitur : « Datum Strasburgi, sexto kalen» das januarii, anno DCCCCXXX, anno X regni S. regis.—signum Henrici.—Ego Valchingus » ad vicem Ruotgeri archicanonici recognovi. »

(3) Istum Sifridum ex alio documento ejusdem temporis quod ad suum locum dabimus, inter

nensis, Henricus Basileensis episcopi, Hugo Morbacensis abbas, Willelmus comes Gebennensis, comes Stephanus, Diepoldus marchio de Hohemburg, Gerardus comes de Diek, Everardus (*sic*) pincerna de Schiffa, Everardus dapifer de Valpurg et alii quamplures. Actum anno dominice incarnationis MCCXXIV. Hoc est signum Henrici septimi Romanorum regis invictissimi. (*Monogramma.*) Datum apud Bernum, quinto kalendas januarii, indictione decima tercia.

Nos autem predictorum decani et capituli precibus inclinati, predictum privilegium sicut de verbo ad verbum superius scriptum est benignius approbantes, ipsum privilegium et ea que continentur in eo jamdicte Tullensi ecclesie de liberalitatis nostre gratia confirmamus, statuentes et sub obtentu gratie nostre strictius injungentes ut nulla omnino persona magna vel humilis, ecclesiastica vel secularis, prefatam Tullensem ecclesiam super his omnibus que in dicto privilegio continentur ausu temerario molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram et penam centum librarum [auri] se noverit incursurum, quarum medietas camere nostre, altera passis injuriam persolvatur. Ad hujus autem approbationis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea tipario [nostre majestatis] impressa jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Lando venerabilis Reginensis archiepiscopus,... Bamburgensis episcopus,... Exburgensis (*a*) episcopus, H. magister domus Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem, R. dux Spoleti, comes de Eberstein, comes Acerrarum, Richardus camerarius et alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum [imperatoris], semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

(*a*) Sic in duobus, sed erronee, quum clare legendum sit *Merseburgensis*.

---

episcopos Augustenses Tarentasiensis provinciae (*Aoste*) auctores *Galliae christianae* annumerant, t. XII, p. 843. Quum autem nullum aliud robur suae opinioni adjiciant, istos errasse arbitramur et Sifridum non alium esse nisi episcopum civitatis Augustae apud Bavaros (*Augsburg*).

Acta sunt hec anno (*a*) MCCXXV, mense junii, XIII indictionis, imperante domino nostro Frederico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus quinto, regni vero Sicilie vigesimo septimo, feliciter. Amen.

Datum Fogie, anno, mense, indictione prescriptis.

In civitate Trojae, junio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem archiepiscopi et capituli Tranensis innovat et confirmat privilegium a rege Willielmo secundo quondam indultum Bertrando ejusdem ecclesiae archiepiscopo, quo jura ecclesiae diffinit in judiciis adulteriorum et clericorum causis.

(Edid. Davanzati, *Dissert. sull. second. mogl. di Manfredi*, monum., n° IX, ex origin. in arch. eccles. Tran., fasc. I, n° 4. Sigillum quod appendebat periit, remanentibus filis rubri et flavi coloris.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et rex Sicilie. Per presens scriptum notum fieri volumus universis quod ex parte venerabilis Tranensis archiepiscopi et capituli sui ejusdem Tranensis ecclesie, nostrorum fidelium, quoddam patens scriptum clare memorie regis Wilielmi consobrini nostri fuit nostre curie presentatum, quod quia pro diuturnitate temporis demolientibus tineis erat vetustate consumptum, ab eis extitit curie nostre attentius supplicatum, quatenus idem scriptum eidem Tranensi ecclesie a predicto rege indultum innovare et de nostra confirmare gratia dignaremur; cujus scripti tenor talis est :

Wilielmus Dei gratia rex Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, una cum domina Margarita gloriosissima regina matre sua, comitibus, camerariis, justitiariis, baronibus et universis bajulis qui sunt in parochia et diocesi Tranensis archiepiscopatus, fidelibus suis, salutem et

(*b*) Sic, non expressis verbis *dominice incarnationis*.

dilectionem. Bertrandus venerabilis Tranensis archiepiscopus fidelis noster ostendit majestati nostre dicens quod ecclesia Tranensis privatur a vobis et minuitur a vobis in jure suo, videlicet de adulteriis que non permittitis judicari et corrigi in curia ipsius ecclesie sicut debetur, et de personis clericorum que a vobis et laicis judicantur, capiuntur et incarcerantur. Quod si verum est, admodum nobis displicet et grave ferimus. Non enim decet neque volumus ut ea que ab ecclesia judicari et coerceri debent a vobis judicentur vel puniantur. Quare mandamus universitati vestre et precipimus ut amodo de adulteriis judicandis non vos intromittatis. Sed si quis de parochia vel diocesi predicte Tranensis ecclesie de adulterio accusatur vel in eo deprehensus fuerit, ad judicium curie ipsius ecclesie in quo adulteria ipsa judicari debent consistat et a curia ejusdem ecclesie judicetur et corrigatur, excepto si per insultum et violentiam adulterium committitur. Quod si accidit, judicetur ab ecclesia de ipso adulterio. De hoc quod spectat ad judicium curie nostre, videlicet de insultu et de violentia, judicetur ab ipsa curia nostra. De personis autem clericorum volumus et jubemus ut si aliquis clericus totius parochie vel diocesis predicte Tranensis ecclesie de aliquo forisfacto de quo persona sua judicari vel condemnari debeat appellatus fuisset, non a vobis neque in curia vestra, sed ab ecclesia et in curia ecclesie de hoc quod (*a*) ad personam suam spectet judicetur et corrigatur sicuti convenerit, juxta canones et jus ecclesiasticum; excepto si aliquis clericus fuerit appellatus de proditione vel de alio hujusmodi magno maleficio quod spectet circa majestatem nostram. Quod si accidit, volumus et precipimus ut de hoc quod spectat ad judicium curie nostre judicetur ab ipsa curia nostra. Si vero aliquis clericus de hereditate vel tenimento quod non ab ecclesia, sed a nobis sive aliunde in terris nostris (*b*) teneat appellatus fuerit, volumus ut in curia illius in cujus terra possessiones vel tenimentum habuerit respondeat et quod justum fuerit faciat, non tamen ut persona ejus exinde capiatur et incarceretur. Preterea vobis bajulis precipimus ut ad predicta adulteria coercenda et corrigenda eidem

(*a*) Ap. Davanzati *quidem*, minus recte.

(*b*) Ap. Davanzati *a vobis s. al. in terris vestris*, minus recte.

venerabili archiepiscopo fideli nostro in quibus opus fuerit auxilium tribuatis.

Datum Panormi, XVI die mensis martii, indictionis III.

Nos itaque predictorum venerabilis archiepiscopi et Tranensis capituli supplicationibus favorabiliter inclinati que precipue justitiam continebant, illius intuitu cujus nomine ecclesie sunt dicate, de cujus munere vivimus et regnamus, predictum scriptum predicte Tranensi ecclesie ab eodem rege Wilielmo consobrino nostro indultum de verbo ad verbum transcribi et innovari precipientes, illud de innata gratia duximus confirmandum, salvo mandato et ordinatione nostra. Ad hujus itaque innovationis et confirmationis memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri fecimus et sigillo nostro jussimus communiri, anno, mense, et indictione subscriptis.

Datum in civitate Troie, anno dominice incarnationis MCCXXV, mense junii, XIII indictionis.

Trojae, julio. Henricus de Morra, magnae imperialis curiae magister justitiarius, assidentibus sibi Simone de Tocco, Guisando de Rubo et Henrico de Tocco ejusdem curiae judicibus, sententialiter pronuntiat Oderisium de Corropolo debere abstinere imponendis collectis, adjutoriis aut aliis servitiis hominibus ecclesiae Sanctae Mariae de Mugilano.

(Edid. Palma, *Storia eccles. e civile dell' Apruzzo*, t. IV, p. 257. — Quam sententiam ob singularem ejus formam et nomen Petri de Vinea interclusum hic denuo edimus.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense julii, tertie decime indictionis, imperante domino nostro Fr. Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, imperii

ejus anno quinto, regni vero vicesimo octavo, feliciter. Amen. Dum nos Henricus de Morra magne imperialis curie magister justitiarius olim apud Sulmonam curiam regeremus, assidente tunc nobis magistro Petro de Sancto Germano ejusdem magne curie judice, petiit Geronimus prepositus ecclesie Sancte Marie de Mugilano pro parte ejusdem ecclesie a domino Oderisio de Corropolo quod cum non sit ei jus imponendi collectas, adjutoria aut alia servitia hominibus ipsius ecclesie qui sunt in casali prefate ecclesie quod vocatur Mugilanum, ut prohibeatur ab impositione ipsorum; cum ecclesia fuerit in quasi possessione sacramentorum fidelitatis hominum ipsorum et in quasi possessione jurium predictorum tempore regis Guillelmi, salvo jure addendi et minuendi. Fuerunt autem ex parte ipsius prepositi et ex parte Oderisii supradicti testes producti et etiam publicati : cumque curia post multum temporis spatium processisset Tranum, ibique assiderent nobis Guisandus de Rubo et Petrus de Vinna (1) magne curie judices, habita fuit diligens disputatio super efficacia probatorum. Et cum fere usque ad sententiam esset jam questio ipsa deducta, in actis curie litis contestatio non est inventa; propter quod dicebatur per Guillelmum de Laturri procuratorem dicti domini Oderisii prout constitit, quod testium productio nulla erat et totus processus debebat inutilis reputari. Nos vero de voluntate partium ad memoriam et recordum magistri Petri de Sancto Germano qui in Calabria morabatur duximus recurrendum, scribentes sibi ut nobis de ipsius litis contestatione scriberet veritatem. A quo responsivas literas recepimus in hunc modum :

Domino suo domino Henrico de Morra et cetera, Petrus de Sancto Germano et cetera. Miror quod dubitatis de me procedente ad receptionem testium questionis, licet in scriptis non appareat contestatio litis. Firmiter credo, immo scio quod in processu questionis de qua mihi scribitis contestatio fuit facta; sicut opinor negative fuit aut ita contestatio facta apud Sulmonam vel apud Sanctum Flavianum. Secure igitur

(1) Nil dubitandum quin legendum sit *de Vinea.* Haec est prima mentio hujus celeberrimi viri qui postea tanti momenti personam egit.

potestis procedere ad difinitionem negotii, non obstante vani timoris sollicitudine utrum judicium fuerit contestatum.

Quibus licteris fidem plenariam adhibentes, ut pote de ejus legalitate et discretione est non immerito confidendum, procedendum vidimus ad questionem ipsam finaliter terminandam. Deinde curia procedente Troyam ubi assidebant nobis Simon de Tocco, Guisandus de Rubo et Henricus de Tocco magne curie judices, consideratis et plene discussis probationibus supradictorum prepositi et domini Oderisii qui coram nobis personaliter assistebat, quia de jure prenominati prepositi pro parte ecclesie plene vidimus fore probatum et probationes Oderisii fore inefficaces invenimus, habito diligenti consilio pronuntiavimus supradictum dominum Oderisium debere in perpetuum abstinere ab imponendo collectas, adjutoria aut alia servitia hominibus ecclesie Sancte Marie de Mugilano qui sunt in casali ipsius ecclesie quod vocatur Mugilanum. Ad cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum inde fieri fecimus per manus Guillelmi de Tocco magne imperialis curie [in] justitiariatu notarii, nostra et predictorum judicum subscriptionibus roboratum. Actum Troje, anno, mense et indictione pretitulatis. — Henricus de Morra magne imperialis curie magister et justitiarius. — Ego Simon magne imperialis curie [judex]. — Guisandus de Rubo magne imperialis curie et Barensium judex. — Ego Henricus de Tocco magne imperialis curie judex.

Reate, 18 julii.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribit se ad eum mittere Pelagium Albanensem episcopum et Gualonem Sancti Martini presbyterum cardinalem cum pleno legationis officio, qui mandata sua de expeditione Terrae Sanctae deferant ipsumque ad ea servanda etiam sacramento astringant.

(Edid. partim Raynaldus, *Annal. eccles.*, ad ann. 1225, § II, e Regest. Honor. III, lib. IX, epist. 370.)

Honorius, etc., Frederico illustri, etc. Inter alias, etc. [Exponit omnium suspensam auxilii ab ipso Terrae Sanctae ferendi expectationem, spes delusas quum ad terminum praefixum non transfretaverit, jactatasque in ipsum et in Sedem apostolicam improbas voces ob graviores ejus moras. Tum subjungit :] Ut ea que in rescripto nobis exhibito continentur, efficaciter, si datum fuerit desuper, compleantur, prout ipse voluntarius obtulisti et est a nobis et nostris fratribus acceptatum, ecce venerabilem fratrem P. Albanensem episcopum et dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Martini presbyterum cardinalem, viros utique probate virtutis, conspicue honestatis et eminentis scientie, quos velut columnas erectas in domo Domini et stellas in firmamento Ecclesie relucentes nos et fratres nostri speciali prerogativa dilectionis et gratie amplexamur, commisso eis plene legationis officio providimus ad tuam presentiam destinandos, etc. [Hortatur ut legatos humaniter accipiat, imperia iis commissa capessat, praeteritae negligentiae notam ardenti conficiendae tamdiu expectatae expeditionis studio depellat; tum significat datam cardinalibus provinciam ut ipsum ad ea servanda quae in pontificio diplomate contenta sunt sacramento astringant.]

Datum Reate (1), XV kalendas augusti, anno IX.

Interea imperator omnes regni praelatos ad se in Apuliam vocat et eos quanquam invitos tamdiu secum detinuit, donec per ipsos regem et patriarcham sibi pro certo innotuit quod a papa benignum receperunt responsum super his ad quae fuerant missi. Quibus ad Caesarem redeuntibus, ad Sanctum Germanum cum eis se contulit Apud Sanctum Germanum, 22 julii.

---

(1) « Honorius papa Urbem exiens propter seditiones et bella quae in ea fiunt sub Parentio » senatore, apud Tyburem se contulit. Ad quem pro dilatione passagii obtinenda imperator » mittit regem [Hierosolymitanum] et patriarcham qui tandem apud Reate accepere responsum.» RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.*

imperator XXII julii. Ibique ad eum missi a papa duo veniunt cardinales, Pelagius scilicet Albanensis episcopus ac Gualo tituli Sancti Martini presbyter cardinalis. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Apud Sanctum Germanum, 28 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit Honorio papae se Albanensem episcopum et Sancti Martini cardinalem ad se venientes honorabiliter suscepisse, et super iis quae rex et patriarcha Ierosolymitanus et magister Theutonicorum tractaverunt juxta ipsius beneplacitum processisse.

(Inedit. ex *Libr. cens. Cencii camerar.*, cod. Biblioth. reg. Paris., anc. fonds latin, n° 4188, fol. 161 recto verso.)

Beatissimo patri domino Honorio Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, Fredericus eadem gratia Romanorum imperator et rex Sicilie semper augustus, salutem et reverentiam filialem. Venerabiles fratres vestros dominum Albanensem episcopum et dominum G. tituli Sancti Martini venerabilem presbyterum cardinalem affectione sincera et honore condecenti suscepimus et ipsos ylariter vidimus et audivimus diligenter. Super his autem que [per] illustrem regem et venerabilem patriarcham Jerosolymitanum et magistrum domus Theutonicorum coram paternitate vestra fuere tractata et per vos et venerabiles cardinales consulta deliberatione provisa, juxta beneplacitum processimus, singula executioni mandantes, prout in patentibus litteris bulla aurea insignitis profusius continetur.

Datum apud Sanctum Germanum, XXVIII julii, XIII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, jurat personaliter et in anima sua Raynaldum ducem Spoleti jurare facit se ab instanti augusto praesentis anni ad duos annos in subsidium Terrae Sanctae transiturum, ibidemque per hoc spatium temporis mille militibus provisurum; depositurum insuper in manibus regis et patriarchae Hierusalem et magistri Hospitalis Theutonicorum centum millia unciarum auri, quae sibi post transfretationem reddentur in servitio Dei expendenda, vel ad arbitrium eorumdem, si non transiverit. Apud Sanctum Germanum, julio.

(Edider. LUNIG, *Reichsarchiv*, XIX, 2. — RAYNALD., *Annal. eccles.*, t. I ad ann. 1225, § IV. — WURDTWEIN, *Nov. subsid.*, XI, p. 6, ex Cod. Vatic. 6223. — PERTZ, *Monum. Hist. Germ.*, IV, 255.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum facimus universis quod nos transibimus in subsidium Terre Sancte ab instanti augusto presentis tertie decime indictionis ad duos annos, et per biennium tenebimus ibi mille milites ad numerum, ita quod si aliquis de ipso numero statuto tempore deesse contigerit, in quinquaginta marchis argenti per annum defectum militis redimemus; pecuniam autem de hujusmodi redemptione collectam nos si ibi fuerimus ad testimonium et consilium regis et patriarche Hierosolymitanorum ac magistri domus Theutonicorum et aliorum proborum hominum de terra ibidem ad servitium Jesu Christi expendemus in usus eosdem vel alios, ubi eis magis visum fuerit expedire. Quod si aliquo casu nos acciderit tunc abesse, memorata pecunia in predictorum regis et patriarche ac magistri domus Sancte Marie Theutonicorum manibus deponetur per ipsos in Terre Sancte negotio expendenda. Passagium dabimus si venerint in primo passagio vel in duobus subsequentibus passagiis, duobus millibus militum et familiis eorumdem et pro milite tribus equis; ducemus nobiscum centum calandras et tenebimus quin-

quaginta galeas similiter per totum biennium si necesse fuerit bona fide armatas. Quod si aliquo tempore illius biennii non esset necesse illas teneri vel si forsan non possent inveniri homines necessarii apparatui earumdem, estimabuntur fideliter sumptus illi qui in eis tenendis necessarii haberentur si tenerentur armate eo modo quo debuissent armari, et tantumdem in pecunia numerata persolvemus in ipsius terre negotio expendendam eo modo per omnia quo superius de quinquaginta marchis militum est expressum. Preterea deponemus in manibus predictorum regis et patriarche ac magistri et fratrum domus Theutonicorum centum millia unciarum auri vel equivalentiam in argento iis terminis persolvenda: in instanti passagio augusti hujus tercie decime indictionis viginti millia; [sequenti passagio martii XIV indictionis alia viginti millia (*a*);] sequenti passagio subsequentis augusti ejusdem quartedecime indictionis viginti millia; alia quadraginta millia in duobus subsequentibus passagiis martii et augusti anni secundi, ita quod partes memorate pecunie persolute per terminos antedictos ultra mare in singulis passagiis deportentur. Si vero in aliquo termino plus solverimus quam superius est expressum, tantum minus persolvere tenebimur passagio subsequente. Quando autem nos in fine biennii ad passagium assignatum transfretare continget, reddentur nobis dicta centum millia unciarum ad expendendum in servitio Dei et Terre Sancte; et si nos, quod Deus avertat, in terra illa vel citra ante passagium memoratum obire contigerit vel alias quacumque de causa forsitan non transierimus, rex et patriarcha et magister domus Theutonicorum predicti ad laudem et consilium magistrorum Hospitalis et Templi ac aliorum proborum hominum de terra expendent eamdem pecuniam bona fide, sicut melius viderint expedire utilitati Terre Sancte in servitio Jesu Christi et terre pro salute anime nostre et antecessorum nostrorum. Si vero, quod absit, infra scriptum terminum passagio assignatum quidquam humanitus de nobis acciderit vel si aliquid vel aliqua forte defecerint de iis que superius expressa sunt et promissa, regnum nostrum Sicilie remanebit ad omnia obligatum,

(*a*) Desunt in Regestis paparum et in impressis, sed certe supplenda, ut monet Pertz.

ita quod quicumque illud tenebit ea integre tenebitur adimplere. Nos autem personaliter juravimus quod transibimus ultra mare in subsidium Terre Sancte in passagio suprascripto, et Raynaldum natum quondam ducis Spoleti jurare fecimus in anima nostra nos firmiter et fideliter servaturos reliqua omnia, sicut superius sunt expressa (1); et predicta omnia observabimus bona fide, lata ex nunc excommunicationis sententia in quam incidemus si non transfretaverimus in passagio suprascripto vel non duxerimus vel tenuerimus nobiscum mille milites vel non miserimus prescriptam pecuniam, sicut superius est expressum. Si autem defecerimus in aliquibus vel in aliquo ceterorum, Ecclesia Romana sententiabit in nos et in terram nostram de spontaneo et jam prestito consensu nostro. Quod si in alicujus termini solutione defecerimus, lata sententia teneamur adstricti, ita quod si post terminum elapsum, per testimoniales litteras eorum qui pro rege ac patriarcha et magistro Hospitalis Theutonicorum ad recipiendam statutis terminis ipsam pecuniam statuentur, Ecclesie Romane constiterit nos de hujusmodi satisfecisse defectu, statim super illo articulo absolvemur nec super aliis occasione illius sententie gravabimur ullo modo. Ad hujus autem rei majorem evidentiam presens scriptum fieri fecimus et bulla aurea nostro typario impressa jussimus insigniri.

Datum apud Sanctum Germanum, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense julii, tertiedecime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sancti Salvatoris in monte Amiato privilegium a patre suo Henrico sexto imperatore apud Pisas 20 julii 1194 indultum, renovat et confirmat. Apud Sanctum Germanum, 28 julii.

---

(1) « Et tunc in ipsa ecclesia S. Germani dictus imperator capitula haec servare juravit, etc. » Actum predicto mense julii in festo Sancti Jacobi (25 julii). Et tunc per cardinales ipsos jam» dictus imperator a juramento quod apud Verulas fecerat denuntiatus est absolutus.» RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.* 1225.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 129, n° 555, ex originali in arch. Florentino asservato.)

Testes hujus rei sunt Johannes rex Hierosolymitanus, Ecbertus Bambergensis, Conradus Ratisponensis, Oliverius Paderburnensis (1) et Eckhardus Merseburgensis episcopi, Hermannus magister domus Sancte Marie Theutonicorum, Lupoldus dux Austrie, Bernhardus dux Karinthie, Reinaldus dux Spoleti (2), Henricus marchio de Andechs, Henricus mar-

---

(1) Oliverius iste, primo scholasticus Coloniensis, postea ab Honorio papa Paderburnensis episcopus renuntiatus 7 aprilis 1225, demum cardinalis Sabinae episcopus ab eodem promotus est, litteris datis Reate, V kalendas octobris, anno X (27 sept. 1225); sed circa finem anni 1226 praematura morte occubuit. Vir fidei integrae et conspicui ingenii, crucesignatorum gesta ante Damiatam, cum ipse et testis fuerit et actor, memoriae tradidit. *Historia Terrae Sanctae* quam scripsit, non nisi ex fragmentis apud Bongars, Eccard et Gale editis palam fit, et nostris adhuc temporibus cordatum quemdam editorem requirit. Cf. *Gallia christ.*, II, 689. — Ughelli, *Ital. sacr.*, I, 168. — Boehmer, *Regest. imper.*, p. 129, et *Ibid.*, *Quellenschriftsteller*, LXXII.

(2) Hoc eodem tempore Rainaldum titulo legati imperialis in Tuscia decoratum invenimus in instrumento inedito ap. archivum comm. Senarum, *Caleffo vecchio*, fol. 156 verso; ubi procuratores ejusdem confitentur se a provisoribus communis Senensis recepisse 367 libras senenses pro 70 marcis argenti quae hoc anno imperatori debebantur:

« Anno Domini millesimo CCXXV, indictione XIII, die quarto idus julii. Nos Leonardus de » Saxorosso castellanus Sancti Quirici et Masseus Viviani, marescalcus domini ducis Renaldi de » Spoleto, et Niccola Dominici camerarius dicti ducis pro dicto duce domino Renaldo tunc ejus » (imperii?) nomine in Tuscia legato, confitemur nos recepisse et in veritate recepimus et » habemus a vobis domino Gerardo Rangone potestate Senensi et a Ranerio Rustichini camerario comunis et domino Cristofano et Ranuccio et Gualfredo judice et Arrigo Forteguerre » provisoribus comunis Senensis nomine comunis et pro eodem comuni solventibus, exequentibus tenorem litterarum domini imperatoris vobis missarum quas vobis detulimus et comuni » Senensi de hoc pagamento nobis facendo, CCCLXVII libras [denariorum] Sen. pro LXX marchis argenti que debebantur a comuni dicto imperio et imperatori pro hoc anno in vestra » signoria, et promittimus vobis domino Gerardo potestati Senensi et Ranerio Rustichini camerario recipientibus pro dicto comuni sub pena dupli quod facemus dominum Fredericum » imperatorem et dictum ducem Renaldum stare de hoc pagamento contentos; et si ipsi vel » aliquis ipsorum vel alter pro eis fecerint aut alia persona que jus vel causam ab ipsis haberet, » sub pena dupli dictum comune Senense sine dapno promittimus conservare et pena data » contractum firmum tenere et ita observare, renunciantes exceptioni non solute et recepte » pecunie et omni et cuique juris et legum auxilio. Actum Senis coram Buonaguida Bruni,

chio de Burgau, Hermannus comes de Froburg, Otto comes de Ortenberg, Bernardus de Horstmar [et alii quamplures].

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXV, die XXVIII julii, tertie decime indictionis, etc.

Datum apud Sanctum Germanum, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, Engelberto Coloniensi archiepiscopo et ecclesiae ejus in feudum concedit et donat praedium in Richterich, quod Theodericus de Hemysberch (Heinsberg) ab imperio tenebat et suis manibus resignaverat. Apud Sanctum Germanum, julio.

(Ediderunt Gelen, *De Engelberto*, 113. — *Gallia christiana*, tom. III, p. 138. — Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, p. 66, n° 122.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridricus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Inter actus nostros multiplices quibus nostre dignitatis sublimitas exaltatur, illud nobis est perpetuo gloriosum in terris et procul dubio retributivum in celis quicquid propter Deum conferendo sacrosanctis ecclesiis in aula reponimus sancta ejus. Hac igitur consideratione ducti et attendentes fidem puram et devotionem laudabilem nec non et grata valde et accepta servitia que Engelbertus venerabilis Coloniensis archiepiscopus, dilectus princeps noster, nobis et imperio exhibuit jugiter et exhibet incessanter, ut merita sue probitatis et fidei ecclesia sentiat cui preest, ad petitionem et preces ejus quas favorabiliter admittere volumus et liberaliter exaudire, de liberalitatis nostre gratia qua consuevimus bene meritis respondere, concedimus et donamus in legitimum feudum sancte

---

» Arnolfino Ciabatte et Rustichino Sinibaldi, Simone de Querciagrossa et Jacobo de Spine et » aliis testibus rogatis. — Ego Forensis notarius predictis interfui et ut supra legitur scripsi et » signavi.»

Coloniensi ecclesie, ipsi etiam archiepiscopo et ejus successoribus in perpetuum predium illud quod Theodericus de Hemysberch fidelis noster in Rihterich ab imperio tenuit et voluntate spontanea nostris manibus resignavit. Volentes et auctoritate presentis privilegii firmiter statuentes ut predicta Coloniensis ecclesia jure perpetuo predium ipsum in pace et quiete possideat, nec aliquis sit tam ausus qui ecclesiam ipsam, prefatum archiepiscopum ac successores suos de eodem predio perturbare de cetero seu molestare presumat; quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit graviter incursurum. Ad hujus igitur concessionis et donationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium scribi et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt hii Johannes rex Jerosolimitanorum, Ekbertus Babebergensis, Conradus Ratisponensis, Oliverus Padeburnensis, Eckehardus Mersburgensis episcopi, Hermannus magister Hospitalis Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem, Lupoldus dux Austrie, Bernardus dux Carinthie, Reinaldus [dux] Spoleti, Henricus marchio de Andesse, Henricus marchio de Burgowe, Hermannus comes de Vroburch, Otto comes de Ortenburch, Bernardus de Horstmare, Henricus comes de Eversten, et alii quamplures.

Signum domini Friderici Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris secundi, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense julii, terciedecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus quinto, regni vero Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Sanctum Germanum, anno, mense et indictione predictis.

Apud Sanctum Germanum, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, canonicis majoris ecclesiae Spirensis ecclesiam in Ezzelingen cum omnibus justiciis, proven-

tibus et tenimentis ejus confirmat, quam in deportatione corporis Philippi patrui sui jamdudum eisdem concesserat.

(Ineditum ex *Libr. obligationum eccles. Spirensis*, I, 90, MSS. saecul. XV, et ex cod. min. Spir., fol. 57 B, in arch. Karlsruh.; quos contulimus cum originali nobis liberaliter a D. Kauslero communicato, unde bulla aurea avulsa fuit.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Pre ceteris beneficiis que collata decorant nostre gloriam dignitatis, illustres actus nostros clarior fama felicitat cum ad ecclesias Dei nostra pie refertur intencio et ipsarum commoditatibus providet et augmentis. Hinc est itaque quod [per] presens privilegium notum fieri volumus universis fidelibus imperii tam presentibus quam futuris canonicos majoris Spirensis ecclesie fideles nostros celsitudini nostre attentius supplicasse quatinus ecclesiam in Eczzelingen, dudum predicte majori ecclesie in deportatione corporis regis Philippi patrui nostri a majestate nostra collatam, ei concedere ac perhenniter confirmare de nostra gratia dignaremur, prout ad nostram dignitatem ex jure patronatus noscitur pertinere. Nos igitur attendentes sedula ac devota servitia que in eadem majori Spirensi ecclesia prestantur jugiter ab eisdem canonicis ad continuam laudem Christi, considerantes insuper quod predecessores nostri dive recordationis augusti pro devocione quam ad eamdem ecclesiam habuerunt in ea specialem elegerunt sepulturam, pro remedio animarum eorumdem augustorum ibidem dormiencium et parentum nostrorum salute, pro incolumitate quoque nostra et heredis nostri, supplicationes eorumdem canonicorum majoris Spirensis ecclesie pietati et justicie inherentes clementer admisimus, et predictam ecclesiam in Ezzelingen jamdicte majori Spirensi ecclesie cum omnibus justiciis, proventibus et tenimentis suis ex jure patronatus quod ad nos spectat in ea de innata mansuetudine nostra concedendam duximus et perpetuo confirmandam (1); auctoritate presentis privilegii firmiter inhibentes ut

(1) Huic concessioni alludit Chronic. episcop. Spirens. ap. Wurdtwein, *Nov. subsid*, t. I,

nullus princeps, dux, marchio vel aliqua persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis concessionis et confirmationis nostre divalem paginam venire presumat. Qui presumpserit indignationem nostram et imperii se noverit incursurum. Ad hujus itaque concessionis et confirmacionis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri fecimus et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus insigniri.

Hujus autem rei testes sunt J. illustris rex Jherosolymitanus, Babenbergensis, Ratisponensis et Merseburgensis episcopi, dux Austrie et Styrie, B. dux Carinthie, R. dux Spoleti, frater H. venerabilis magister domus Hospitalis Sancte Marie Theotonicorum, marchio de Andes, marchio de Burgowe, comes H. de Vroburc, comes H. de Eberstein, E. pincerna de Thenne, et alii quamplures.

Signum domini Friderici invictissimi imperatoris Romanorum, semper augusti et regis Sicilie.

Acta sunt [hec] anno dominice incarnationis M° CC° XXV, mense julii, XIII indictione, imperante domino nostro F. Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno imperii ejus V°, regni vero Sicilie XX° V° III, feliciter. Amen.

Datum apud Sanctum Germanum, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Sanctum Germanum, julio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Martini episcopi Aretini, ei et ecclesiae ejus privilegium a patre suo Henrico imperatore anno 1196, 21 octobris indultum inserendo confirmat.

(Edid. Ughelli, *Ital. sacr.*, t. I, p. 420. Nomina testium foede corrupta ex praecedentibus documentis correximus.)

---

p. 146, ubi legitur : « Simile anniversarium in eadem Spirensi ecclesia instituit pro *Ottone* » (leg. *Philippo*) praedecessore suo Fridericus II imp. anno MCCXXV. Quem in finem canonicis jus patronatus in Esslingen una cum eidem annexis proventibus attribuit; factum » ratum habente Conrado (leg. *Henrico*) rege ejus filio, per diploma datum anno MCCXXVII, » die II kalendas aprilis. »

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Federicus secundus divina favente clementia Romanorum imperator et rex Sicilie, semper augustus. Cum divine misericordie cujus magnitudo intellectum excedit humanum incrementa in nobis assidua sentimus, tunc melius et dignius gratiarum et obsequiorum gratias impendimus, si sacrosanctas ecclesias et loca religiosa ubi jugiter ipse laudatur et colitur munificentie nostre beneficiis augemus. Inde est igitur quod Martinus venerabilis Aretinus episcopus, fidelis noster, quoddam privilegium a domino quondam imperatore Henrico divo augusto charissimo patre nostro memorie recolende olim ecclesie Aretine indultum per Benedictum capellanum suum nostro culmini presentavit, supplicans humiliter et devote quatenus privilegium ipsum confirmare de nostra gratia juberemus; cujus privilegii tenor talis est:

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator et rex Sicilie. Equum attendimus et salubre ut ecclesias Dei et ecclesiasticas personas nobis et imperio devotas et fideles in suo jure conservemus atque pacem et quietem tranquillam diligenter provideamus. Qua sane consideratione, ad imitationem antecessorum nostrorum imperatorum sive regum et specialiter Henrici II Romanorum imperatoris, ecclesiam Aretinam et fidelem nostrum Amedeum presentem nunc ejus episcopum omnesque suos successores, universa bona, homines, villas, castella, ecclesias, capellas, possessiones, terras cultas vel incultas et universa alia que nunc juste habet vel in posterum, dante Domino, justo acquisitionis titulo poterit obtinere, in imperialem majestatis nostre protectionem recepimus atque defensionem, imperiali authoritate confirmantes eidem ecclesie Aretine in honorem Beati Donati martyris constitute qui ibidem requiescit omnia que in privilegio Henrici II antecessoris nostri Romanorum imperatoris continentur, excepta curte de castro de Castilione Aretino que ad tuitionem nostram per vicarios et comites nostros specialiter retinetur. Sancimus igitur et precipimus ut in ecclesia Aretina nullus marchio, comes, vicecomes vel quelibet justitiarie potestatis persona tam in plebibus quam in monasteriis Beato Donato pertinentibus super vasallos, commendatos,

servos, aldiones seu residentes ipsius ecclesie placita teneat vel quolibet modo distringere, pignorare, angariare [presumat seu] census aut aliquas redibitiunculas vel aliqua denaria exigat. Insuper omnes districtiones [et] placita Beato Donato ejusdemque vicario Amedeo suisque successoribus ipsis in perpetuum concedimus, et confirmamus castella, possessiones et alia quecumque bona que per authentica imperatorum sive regum Romanorum aliorum privilegia vel scripta ipsi ecclesie sunt concessa. Preterea de plena benignitatis nostre gratia predicto episcopo, ecclesie Aretine suisque successoribus concedimus et indulgemus authoritatem cudendi et habendi monetam in loco sui episcopatus, servata omni legalitate in materia et valore, secundum quod ex concessione antecessorum nostrorum noscitur habuisse. Insuper eidem ecclesie [et] episcopo in suo jure providere volentes, concedimus quatenus in possessionibus aut rebus ecclesie molestatis aut injuste a quacumque persona detentis quas repertas et juste recuperare voluerit, nulla prescriptio nisi LX annorum tam in presens quam in futurum ipsi opponatur. Decrevimus itaque et firmiter jubemus ut hec majestatis nostre concessio in perpetuum rata observetur, nullaque omnino persona parva vel magna eam infringere presumat vel perturbare. Quod si quis attentaverit, C libras auri pro pena componat, dimidium camere nostre et reliquum passis injuriam. Ad cujus rei notitiam presentem paginam inde scribi jussimus et majestatis nostre sigillo communiri. — Hujus rei sunt testes Angelus Tarentinus archiepiscopus, Walterius Trojanus episcopus, Albertus protonotarius imperialis aule, Wernerius prepositus Sancti Joannis in Wicemburg (*a*), Curradus dux Spoleti, Thebaldus prefectus, Henricus pincerna et alii quamplures. — Signum domini Henrici sexti Romanorum imperatoris invictissimi et regis Sicilie. (*Monogramma.*) — Ego Curradus Ildesemensis electus, imperialis aule cancellarius, vice Adulphi Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii, recognovi. — Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCXCVI, indictione XIV, anno regni ejus XXVII, imperii vero et regni Sicilie II. — Datum apud Montem Flasconem, XII kalendas novembris.

(*a*) In impresso *vicem Bure*, male.

Nos autem predicti episcopi fidelis nostri benignius supplicationibus inclinati, considerantes quantam fidem puram ac devotionem sinceram quam ad nostram semper habuisse dignoscitur majestatem, necnon grata servitia que nobis et imperio semper exhibuit et que in antea poterit exhibere inducunt nos quod privilegium superius scriptum jussimus innovari, ipsum ea continuatione et eo supradicto episcopo et ecclesie Aretine de nostra gratia confirmantes; sed quod id valeat atque patris nostri conservationis memoriam et perpetuam firmitatem habeat (*a*), presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei sunt testes Babembergensis, Merseburgensis et Ratisponensis episcopi, frater H. magister domus Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem, L. dux Austrie et Styrie, Rainaldus dux Spoleti, comes H. de Froburc, comes H. de Eberstein, Rolandus comes Tuscie palatinus et alii quamplurimi.

Signum domini Federici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti et regis Sicilie. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXV, mense julii, XIII indictione, imperante domino nostro Federico II Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, anno Romani imperii ejus V, regni vero Sicilie XXVIII, feliciter. Amen.

Datum apud Sanctum Germanum, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis servitiis burgensium de Rheinfelden eis confirmat omnes bonos usus et approbatas consuetudines, libertates et jura quae hactenus habuisse noscuntur, statuitque ne ullo unquam tempore ipsi et haeredes eorum a demanio suo et Henrici Romanorum regis filii sui ac imperii distrahi

Apud Sanctum Germanum (Julio).

(*a*) Totum hunc locum a verbo *inducunt* corruptum esse quisquis facile animadverterit.

seu alienari debeant, sub poena centum librarum auri contravenientibus imposita.

(Memorat. et extract. ap. Kopp, *Geschichte der Eidgenoss. Bünde*, t. I, Beilag., p. 886, ex archiv. civit. Rheinfelden; qui inclusum dicit in confirmatione regis Adolphi, data Basileae, 3 non. januar., indict. VI, ann. Dom. 1293.)

Testes hujus rei sunt . . . Babembergensis, . . . Regenspurgensis, et . . . de Merseburch episcopi; H. magister domus Sancte Marie Theutonicorum in Jerusalem; L. dux Austrie et Styrie, . . . dux Karinthie, R. dux Spoleti; H. comes de Vroburch, H. comes de Burgouwe, H. comes de Eberstein, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXV (1), imperii V, Sicilie XXVIII.

Datum apud Sanctum Germanum, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Alifiam, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, ab Ekkeberto episcopo Bambergensi feudum ecclesiae ejusdem in Mortenowe, quod olim dux de Zeringen ab illa tenuit, sibi et filio suo Heinrico regi et haeredibus suis recipit; pro qua receptione quatuor millia marcarum argenti partim solvit, partim infra tempus praefixum se soluturum fore promittit.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 132–134, num. DCLXXII, ex originali, unde sigillum in ora nonnihil laesum appendet ex filis sericis flavi et rubri coloris.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fi-

---

(1) Licet mensis et indictionis notae in transumpto desiderentur, non dubitandum est ex ordine itineris et nominibus testium quin ad mensem julium nos referre debeamus.

delibus, tam presentibus quam futuris quod cum dilectus princeps noster Ekkebertus venerabilis Babenbergensis episcopus feodum ecclesie sue in Mortenowe, quod olim tenuit ab eadem ecclesia dux de Zeringen, nobis et dilecto filio nostro Heinrico Romanorum regi et heredibus nostris in perpetuum concesserit et donaverit in rectum et legitimum feodum, in presentia illustris Jerosolimitani regis, dilectorum principum nostrorum Austrie et Carinthie ducum, fratris Hermanni magistri domus Sancte Marie Teotonicorum in Jerusalem, et quampluriom imperii nobilium apud Sanctum Germanum, tunc temporis, in curia nostra presentium, nos pro ipsius feodi susceptione et recognitione, convenimus quatuor milia marcarum argenti ei et ecclesie sue in subscriptum modum et tenorem sine contradictione solvenda; de quibus apud Sanctum Germanum exolvi fecimus ei pre manibus, ad opus et utilitatem ecclesie sue, mille marcas argenti. In festo vero Pentecostes primo venturo, anni videlicet quarte decime indictionis, tenemur exolvere sibi vel nuntio suo per manus predicti magistri et fratrum domus Teutonicorum mille marcas argenti. Quas si eodem termino non persolverimus, mille marce prius solute erunt ejusdem episcopi, concessione ac donatione predicta minime valituris. Reliqua vero duo milia marcarum argenti convenimus vel sibi vel nuntio suo ad opus ecclesie sue, in alio videlicet futuro festo Pentecostes anni sequentis quintedecime indictionis apud Nurinberc, per manus magistri et fratrum ejusdem domus Teotonicorum solvenda. Que si non fuerint eodem prefixo termino persoluta, duo milia marcarum, que jam soluta erunt, sint ex toto Babenbergensis episcopi, et predicta concessio et donatio nulle erunt. Si vero infra tempus solutionis predicte, vel prius quam integre sit facta solutio, aliquid nobis humanitus, quod Deus avertat, contingeret, Henricus rex Romanorum filius noster usque per totum unum annum completum, ultra terminum nobis prestitum, habebit indutias conventam pecuniam persolvendi, juxta quod in litteris ejusdem Babenbergensis episcopi inde scriptis plenius continetur. Ad hujus itaque conventionis et solutionis memoriam presens scriptum ad cautelam dicti episcopi et ecclesie sue fieri fecimus, et sigillo nostro jussimus communiri.

Data apud Alifiam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense augusti, tertiedecime indictionis.

Apud Alifiam, augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, Ekkeberto Bambergensi episcopo ejusque successoribus concedit ac confirmat nundinas in villa Frankenmarkt et apud Villacum, statutis anni temporibus, habendas.

(Edit. in *Monum. Boic.*, tom. XXXI, pars 1ª, p. 523, e codice copiali sec. XIII.— Memoratum ab Hofmann ap. Ludewig, in *Script. rer. Bamb.*, p. 151.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Per presens scriptum notum fieri volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod ad supplicationem Ekkeberti venerabilis Babenbergensis episcopi dilecti principis nostri concessimus ei et ejus successoribus in perpetuum facere fieri nundinas in villa sua Frankenmarket et apud Villacum, videlicet ut nundine que apud Frankenmark de concessione nostra statute sunt, fiant singulis annis mense septembri in festo beati Mychaelis quatuordecim diebus ante et diebus totidem post festum ejusdem; nundine vero statute apud Villacum fiant annuatim mense junii, festo scilicet beati Jacobi, quatuordecim diebus ante et post festum ejusdem diebus totidem conservande. Quare universitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatenus nullus princeps, dux, marchio, comes, scultetus, vel ministerialis, alta humilisve persona, ecclesiastica vel mundana, contra presentis concessionis nostre paginam temere venire presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus itaque concessionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri jussimus sigillo majestatis nostre munitum.

Datum apud Alifiam, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense augusti, tertiedecime indictionis, impe-

rante domino nostro Friderico Dei gratia illustrissimo Romanorum imperatore, semper augusto et rege Sicilie, imperii ejus anno V°, regni vero Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, Ludovicum regem Francorum rogat ut cives Cameracenses propter delictum perpetratum in episcopum Cameracensem, principem imperii, tanquam bannitos evitet et faciat evitari. Trojae, 4 augusti.

(Inedit. ap. *Archives nationales, Trésor des Chartes*, J 610, n° 3, ex originali unde pendet sigillum cereum.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, karissimo, sicut fratri et amico suo, Ludovico illustri regi Francorum salutem et intime dilectionis affectum. Qualiter propter excessuum suorum multitudinem, quos, tam nostra quam divina reverentia vilipensa, Cameracenses cives in dilectum principem nostrum eorum episcopum hactenus commiserunt enormiter et committunt, in nostrum et imperii bannum inciderint et contumaciter diu manserint in eodem, dilectioni vestre non expedit per singula declarare; cum et id noticiam vestram non lateat et per karissimi filii nostri Romanorum regis litteras vobis sit, ut credimus, intimatum. In qua usque adeo nequitia perstiterunt quod excommunicationis sententiam incurrentes temporali et spirituali gladio sunt perculsi et utramque sententiam ut maledictionis aquam bibentes, de correptione non cogitant, set in sua malicia obstinati accumulare priora prioribus non verentur; jurisdictionem prefati episcopi principis nostri quam a nobis et imperio in eadem civitate habere dignoscitur, temere usurpantes, ejus bona et justicias invadentes, in clericis et personis ecclesiasticis manus violentas injiciendo ac plurima alia commictendo que Deo sunt et hominibus tediosa. Et quia eorum contumaciam et enormem superbiam in nostrum et imperii dispendium et gravamen de cetero non possumus substinere, cum ipsorum insolentiam

sic disposuerimus edomare quod eorum pena sit aliis ad exemplum, sinceritatem vestram, sub ea qua tenemur ad invicem confederatione, affectuose rogamus quatinus prefatis civibus terre vestre et baronum vestrorum aditum precludentes, nullas ibidem ipsis permictatis commoditates habere; conductum etiam et ducatum per terras vestras subtrahatis eisdem, nec donec digne satisfecerint de commissis, subsidium vestrum senciant aut favorem, set sicut de rebellibus et bannitis vestris facere nos velletis, sic eos pro bannitis nostris et imperii teneri faciatis in omnibus et haberi.

Datum Troie, IIII augusti, XIII indictione.

. . . . augusto.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Berardi archiepiscopi Panormitani bona Lucae thesaurarii ejusdem ecclesiae qui non scripto testamento obierat, ad ipsam Panormitanam ecclesiam pertinere statuit.

(Memorat. ap. R. Pirro, *Sicil. sacra*, t. I, p. 144. Quum autem de hoc diplomate seu diplomatibus nulla apud Mongitore mentio sit, de notis chronologicis nihil certum accepimus.)

Datum. . . . . . ., anno dominice incarnationis MCCXXV, mense augusto.

[Augusto circiter.]

Tunc imperator ipse principibus Alemanniae, ducibus, comitibus et potestatibus Lombardiae per suas mandat litteras ut in futuro Pascha Resurrectionis Domini apud Cremonam ad eum convenire deberent. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Jacobus Francisius, justitiarius imperialis, recepto mandato imperiali cujus tenor inseritur, de inquisitione facienda super molendino ab ecclesia Sanctae Mariae de Nuceria repetito, sententiam in favorem archipresbiteri ejusdem ecclesiae pronunciat in curia et scribit stratigoto sive bajulo Nuceriae ut possessionem molendini eidem archipresbitero assignet. Neocastri, 10 septembris.

(Inedit. ap. arch. archiepiscop. Salernit., ex originali pergam., arca II, n° 156.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jhesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo vicesimo quinto, et quinto anno imperii domini nostri Friderici invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, et vicesimo octavo anno ejusdem regni Sicilie et Italie gloriosissimi regis, mense octubris, quartedecime indictionis. Cum nos Guilielmus, Riccardus, Johannes et Johannes (*sic*) judices in presentia domini Guilelmi de Lepore stratigoti Nucerie ante fores ecclesie Sancte Marie Majoris plebis Nucerie adessemus, presentibus ibidem dompno Trugisio ejusdem ecclesie primicerio, dompno Guilielmo de Jordano, abbate Guilielmo Ungaro, abbate Guilielmo de Ferrando, Malgerio clerico, abbate Unfrido Ungaro, Nicolao Gala, magistro Destaiute (?) Minutore, magistro Martino de Sario et Nicolao de Dominico, dompnus Martinus reverendus archipresbiter Nucerie pro parte jamdicte ecclesie Sancte Marię Majoris detulit eidem stratigoto licteras sigillo cereo insignitas nobilis viri domini Jacobi Francisii imperialis justiciarii, in hunc modum :

Jacobus Francisius imperialis justiciarius, viro nobili domino Guilelmo de Lepore bajulo Nucerie, amico suo, salutem et dilectionem sinceram. Cum quamdam sententiam imperialis curia protulisset super molendinum

quod fundatum est in terra Sancte Marie Majoris de Nuceria pro archipresbitero ecclesie nominate, vestre dilectioni mandamus ex parte imperialis auctoritatis qua fungimur injungentes quatinus possessionem molendini ipsius ecclesie archipresbitero pro parte dicte ecclesie assignetis, sicut in scripto ipsius sententie videbitis contineri. Datum Sarni, octavo octubris, quartedecime indictionis.

Quibus litteris summa cum devocione receptis, auditis et plenius intellectis, predictus stratigotus dixit jam dictum instrumentum sentencie velle videre. Idcirco jam dictus archipresbiter eidem stratigoto ipsum instrumentum sentencie assignavit; cujus continentia talis erat :

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jhesu Christi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, regnante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto et gloriosissimo rege Sicilie, imperii ejus anno quinto, regni vero ejus vicesimo septimo, mense octubris, quartedecime indictionis. Dum nos Jacobus Francisius imperialis justiciarius apud Sarnum curiam regeremus, habentes nobiscum Petrum de Benevento ipsius curie judicem, astantibus etiam ibi quamplurimis viris probis, Martinus archipresbiter Sancte Marie Majoris de Nuceria nobis presentavit imperiales litteras per omnia taliter continentes : — Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie, Jacobo Francisio justiciario et fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Martinus archipresbiter Sancte Marie Majoris de Nuceria fidelis noster significavit nostre celsitudini conquerendo quod cum molendinum quoddam fundatum in tenimento ejusdem ecclesie sine jure alterius pacifice possideret, judex Marinus qui dicitur de Rocca dictam ecclesiam destituit minus juste molendino prefato, in hoc potius sue voluntatis arbitrium quam rigorem justicie immutando. Volentes igitur ut ecclesiarum jura illibata serventur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatinus inquisita de premissis diligentius veritate, si rem inveneris ita esse sicut superius continetur, predictum judicem ad restituendum molendinum ipsum ecclesie memorate justicia mediante compellas, ut iterato pro defectu justicie dictus archipresbiter non cogatur veniendo ad curiam laborare. Datum Neo-

castri, decimo septembris, quartedecime indictionis (1). — Nos igitur volentes imperiale mandatum executioni mandare, predicto judici Marino per nostras litteras misimus ut coram nobis se in imperiali curia presentaret, pro contendendo super ipso molendino pro parte domini nostri serenissimi Cesaris cum archipresbitero memorato. Qui judex infirmitate detentus quia coram nobis non potuit comparere, super facto ipsius molendini suis litteris nos instruxit; et sic constituto procuratore pro parte imperialis curie magistro Guilielmo Francisio super facto ipso, Martinus archipresbiter supradictus proposuit contra predictum procuratorem, etc. [Sequuntur expositio facti ab eodem archipresbitero et depositiones testium qui confitentur jus ecclesiae Nucerinae super molendino prefato, cujus restitutionem justiciarius jubet fieri; et ad executionem sententiae curiae imperialis stratigotus Nuceriae archipresbiterum praedictum saisit et investit.].

Alexander de Policastro, imperialis Calabriae et terrae Jordanae justitiarius, vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur super querela abbatis et conventus Sancti Stephani de Bosco contra Riccardum de Altavilla et alios, terras et molendinum quae fuerunt quondam Costae Ploymi eidem conventui sub redditu unius regalis adjudicat. Neocastri, 15 septembris.

(Edidit CAPIALBI, *Memor. della chiesa Miletese*, append. n° XXI, ex originali in domestica Bibliotheca sua.)

In nomine Domini, anno ejusdem incarnationis MCCXXV, mense januarii, XIIII indictionis, imperante domino nostro Friderico Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, fe-

(1) Notandus dies mensis, quo probatur indictionem cesaream a Friderico usitatam initium cepisse ante duodecimum diem mensis septembris et etiam in primo die hujus mensis, sicut ex aliis documentis liquide patebit.

liciter. Amen. Presenti scripto pateat universis quod dum nos Alexander de Policastro, imperialis Calabrie et terre Jordane justitiarius, apud Miletum curiam regeremus, assidentibus nobis domino Benedicto Cusentie et Calabrie judice aliisque prudentibus subnotatis, fratres Sancti Stephani de Nemore, frater Petrus scilicet de Cusentia, frater Stephanus et frater Florius nobis imperiales litteras presentarunt, quarum tenor talis est :

Fridericus et cetera, justitiario Calabrie et cetera. Venerabilis abbas et conventus Sancti Stephani de Bosco fideles nostri celsitudini nostre graviter sunt conquesti quod cum juste teneant et possideant quamdam culturam que fuit quondam Coste Ployme (1) in territorio Mileti et curie omni anno debitum et consuetum censum exolvant, videlicet regalem unum (2), secundum quod in ipsorum rationibus continetur, nunc Riccardus de Altavilla vi et auctoritate propria tres regales extorquere queritur (*sic*) ab eis, Dominum et cultum justitie pre oculis non habendo, et dum regales eosdem ipsi Riccardo solvere recusarent, bovem unum eis abstulit violenter. Adjecerunt etiam graviter conquerendo quod Constantinus Barda et Grisilius de Mileto duos boves contra justitiam abstulerunt eisdem et eos in eorum damnum et prejudicium detinentes reddere contradicunt. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus partibus convocatis audias causam, et si tibi constiterit de premissis, taliter prefatos Riccardum, Constantinum et Grisilium a dicti abbatis et conventus molestiis compescas, ad restituendos eis boves predictos molestatores ipsos mediante justitia compellendo, quod ad audientiam nostram justa proinde querimonia non recurrat. Datum Neocastri, XV septembris, XIIII indictione.

---

(1) Verisimiliter iste Costa Ployma idem est qui Costa *Peloga*, stratigotus Scylli, memoratus ap. Malaterram, lib. II, cap. 44.

(2) In instrumentis annor. 1152, 1165, 1175, quorum mentionem facit Chiarito, *Commento sulla costit. di Feder. II*, pars II, cap. 2, § XI, legitur : « Regalis de regia moneta — aurei solidi regales, » nova moneta a Normannis usitata ut distingueretur a caeteris monetis aureis Graecorum sive Lombardorum. Eodem valore fuisse videtur quo mox augustalis et post augustalem regalis a Carolo primo anno 1267 cusus.

Nos autem vigore imperialium litterarum dictum Riccardum, Constantinum et Grisilium coram nobis fecimus accersiri, et tam ab ipsis quam ab aliis quondam bajulis Mileti diligenter inquisivimus de premissis, qui contendebant eumdem Costam Ploymum reddidisse semper bajulationi Mileti de terris et molendino que monasterium Sancti Stephani detinet a Johanne filio supradicti Coste Ployme emptione et oblatione regales tres; predicti autem fratres ad defensionem monasterii memorati ostenderunt nobis incontinenter quoddam privilegium grecum indultum ipsi Coste Ployme a comite Rogerio felicis memorie, in quo continebatur ipsas terras et molendinum concessisse supradicto Coste Ployme et heredibus suis in perpetuum pro redditu regalem unum (*sic*); que terre erant in tenimento Franchice et concludebantur his finibus et divisis : ab oriente erat terra Marri, ab occidente terra Isimbardi, a septentrione via casalis Pungadi, a meridie erat via publica. Alia vero cultura erat prope Lachisanum, que similiter dividebatur ita : ab oriente erat via magna que veniebat a Franchica et ibat ad casale Condroselli et alibi; ab occidente via Lachisani; a septentrione via publica que veniebat a Mileto, a meridie erat Lachisanus. Molendinum autem erat in casali Mutari in tenimento Cajezzani. Ostenderunt etiam nobis aliud privilegium grecum confectum a domino rege Rogerio filio supradicti comitis Rogerii, per quod confitebatur eidem Coste Ployme concessionem et donationem ipsarum terrarum et molendini quam dictus comes Rogerius sibi fecerat. Ostenderunt etiam alia duo instrumenta similiter greca que continebant medietatem ipsarum terrarum emisse a Johanne filio predicti Coste et Euphraxia matre sua pro tarenis sexcentis decem et octo. Ostenderunt insuper testamentum supradicti Johannis filii Coste Ployme per quod confitebatur vendidisse una cum matre sua prenominata medietatem ipsarum terrarum, et aliam medietatem residuam cum molendino et quadam terra sua de Mutaro adjudicaverat pro remedio anime sue et parentum suorum eidem monasterio Sancti Stephani de Nemore, quas tenuerat et possiderat per annos fere nonaginta. Quibus omnibus diligenter inspectis et intellectis, diximus ipsis bajulis si vellent e contra proponere; qui allegando dixerunt quod tempore retroacto ha-

bebant pro parte monasterii supradicti a priore et fratribus commorantibus apud Mutarum regales tres pro jamdictis possessionibus. Fratres autem allegabant e contra dicentes quod si quid dederint tempore retroacto plus quam regalem unum quod juste dare consueverant pro jamdictis possessionibus, non prejudicabat eis quia inviti et non voluntarii faciebant; malitia enim temporis cogebat eos, et aliter facere non poterant. Auditis itaque hinc inde propositis, habitoque consilio diligenti ipsum monasterium ab impetitione ipsorum bajulorum de ipsis terris et molendino sententialiter duximus absolvendum, ubi maxime probari non potuit quod tempore felicium regum dictum monasterium plus quam regalem unum solvisset; salvo per omnia reddito unius regalis quod curie imperiali tenetur solvere, sicut dictum est, pro agnitione predictarum possessionum. Ad hujus autem rei geste notitiam et perpetuam firmitatem presens scriptum eidem monasterio fieri fecimus, denotatum per manus Nichifori in officio justitiariatus nostri assumpti notarii, anno, mense et indictione pretitulatis.— Ego Alexander de Policastro Calabrie et terre Jordani justitiarius supradicta confirmo. — Ego Benedictus Cusentie et Calabrie judex, visis autenticis et intellectis et inspecto tenore mandati domini imperatoris, huic scripto subscripsi. — Ego Alexander Tisenus judex Mileti testis sum. — Ego Johannes Pilosus judex Mileti testis sum. — Ἰωάννης διάκονος παρὸν γράφον μάρτυρ ὑπεγραφα. — Ego Leo Fazarus testis sum. — Ego notarius Nichiforus supradicta scripsi et testis sum.

Reate, 26 septembris.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat se ecclesiis Capuanae, Salernitanae, Brundusinae, Consanae et Aversanae diu vacantibus tandem providisse, personas idoneas ordinando de regno oriundas et fideles, ipsumque hortatur ut novos praelatos accipiat et honoret, juraque eis conservet integra.

(Edid. partim Raynald., *Annal. eccles.*, tom. I, ad ann. 1225, § XLV, e regest. Honor., lib. X, epist. 55.)

Honorius, etc. Friderico, etc. Certam nobis, etc. Videntes quod diutina Capuane, Salernitane, Brundusine, Consane ac Aversane ecclesiarum vacatio in grave non solum rerum, sed etiam animarum periculum redundabat, et attendentes quod id nobis et tibi imputabatur publice ab hominibus ac ne imputaretur a Deo anxie metuentes, ipsis ecclesiis et fame ac saluti nostre tueque simul curavimus providere, ipsas ecclesias respectu ad solum Deum habito de personis tibi merito acceptandis, ut pote scientia, vita et fama conspicuis, oriundis de regno et tue sublimitati devotis ac fidelibus, ordinando, [Capuanum] venerabilem fratrem nostrum J. Pactensem et Salernitanum venerabilem fratrem nostrum C. Famagustanum episcopos, Brundusinum vero dilectum filium abbatem Sancti Vincentii de Vulturno, Consanum venerabilem fratrem nostrum quondam priorem Sancte Marie nove de Urbe, ac Aversanum venerabilem fratrem nostrum quondam Amalphitanum archidiaconum sine tuo prejudicio providentes de fratrum nostrorum consilio in pastores (1). Rogamus igitur serenitatem tuam attentius et hortamur quatenus ecclesias ipsas, sicut imperialem clementiam decet, habens pro reverentia Dei et anime tue salute propensius commendatas, eis honores suos ac jura integra conservando, prenominatos earumdem pastores favore imperialis gratie prosequaris, etc.

Datum Reate, VII kalendas octobris, pontificatus nostri anno X.

---

(1) Jam anno praecedente circa mensem junium Friderico scripserat Honorius ut R. quem Pulsanensem abbatem constituerat recommendatum haberet. *Ind. epist. Honor.*, ann. VIII. Quod si forte imperatori displicuerit, multo gravius episcopatuum provisiones ad dissidium mox exortum valuerunt. Imperator enim praelatos, excepto Capuano, admittere recusavit, ut monet Riccardus de S. Germano qui haec addit : « Euntem etiam in Siciliam tunc ad eum cum » litteris apostolicis quemdam Casinensem monachum Nicolaum de Collepetri in abbatem » S. Laurentii de Aversa promotum non admisit. » Res autem in suspenso haesit, donec anno sequenti post suum infelicem in Lombardiam processum, imperator summo pontifici in hoc satisfacere curaverit : « Tunc praelati omnes quos papa creaverat, scilicet Brundusinus, Consanus, Salernitanus archiepiscopi, Aversanus episcopus et abbas S. Laurentii de Aversa in » suis ecclesiis recipiuntur. » RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.* 1226.

[Apud Tarentum, octobri circiter.] Fridericus, Romanorum imperator, abbatem et conventum de domo Petri (Petershausen) juxta Constantiam cum possessionibus eorum et bonis sub sua speciali protectione suscipit.

(Edid. Lunig, *Teutsch. Reichsarchiv, spicileg. eccles.*, pars III, p. 412.)

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus et rex Sicilie. Si imperantis gloriam dona clarificent que largitur, ea sunt que temporis perpetuitate clarior fama concelebrat, que sacrosanctis conferuntur ecclesiis, quia sicut per ea dilatatur hereditas illius cujus terra et plenitudo ejus, salutis conquiritur meritum cum pro terrenis celestia conquiruntur. Ea propter notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes religiosam vitam et laudabilem conversationem venerabilis abbatis et conventus monasterii de domo Petri, fidelium nostrorum, considerantes ingens divinorum obsequium quod in ipso monasterio quotidie celebratur, monasterium ipsum, abbatem et conventum ejusdem cum omnibus ecclesiis, obedientiis, terris, possessionibus ac bonis omnibus stabilibus et mobilibus monasterio predicto spectantibus, que nunc juste et rationabiliter possident et in antea justis modis, opitulante Domino, poterunt adipisci, pro remedio anime nostre et progenitorum nostrorum divorum augustorum clare memorie, sub nostra speciali protectione et imperiali defensione suscipimus, et imperiali authoritate prefato monasterio predicta omnia de certa scientia perpetuo confirmamus; statuentes et imperiali edicto firmiter inhibentes ut de cetero nulla unquam persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, prefatum monasterium, abbatem et conventum ipsius contra hujus nostre protectionis et confirmationis paginam inquietare, molestare vel modo aliquo perturbare audeat vel presumat. Quicumque autem hoc attemptare presumpserit, indignationem nostram se noverit graviter incursurum et pro pena sue

presumptionis centum libras auri compositurum, medietatem quidem fisco nostro et medietatem monasterio memorato. Ad cujus rei memoriam et inviolabile firmamentum presentem paginam inde fieri et sigillo nostre celsitudinis jussimus inferius roborari.

Datum apud Terentenum (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo quinto. . . . .

Mense novembri imperator ipse apud Brundusium Isabellam filiam regis Hierosolymitani magnificè desponsavit. . . . . Eo tempore Joannes dictus rex Hierosolymitanus discors ab imperatore discedit. RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.* 1225 et 1226. —Desponsata puella, imperator patrem requisivit ut regna et regalia jura resignet. Stupefactus ille obedit (2). *Jordani Chronic. MSS.*, ap. RAYNALD., *Annal. eccles. ad ann.* 1226, § 11. Apud Brundusium, novembri.

---

(1) Quum imperator titulum regni Hierosolymitani nondum sibi adscribat, privilegium ante mensem novembrem indultum fuit. Nomen autem loci manifeste corruptum legendum putamus *Tarentum* potius quam *Ferentinum*, dum Fridericus apud Tarentum et Horiam suam futuram consortem expectando circa mensem octobrem moratus fuerit.

(2) « Interea filia Johannis regis Jerosolymitani apud Tyrum ad regnum Jerosolymitanum » de mandato patris noviter coronata Apuliam applicat ubi Fridericus imperator in Nativitate » Domini, eam apud Barletam recepit in uxorem. Sed non multo post idem imperator in quodam » oppido eam incarcerat et consobrinam ejus filiam Galteri comitis de Brenna vi captam » detinet et deflorat, a Johanne rege Jerusalem patre uxoris suæ quinquaginta millia marcarum » argenti repetens, quas Philippus quondam rex Franciae reliquerat in subsidium Terrae » Sanctae. Quas idem rex eidem imperatori reddere non volebat, quousque ad partes tenderet » transmarinas et regnum et regni regimen recepisset. Et ob hoc predictus rex a Barleta ubi » diu fuerat discedere non audebat. » *Chronic. Turon.*, apud BOUQUET, *Script.*, XVIII, 311. Perperam tamen ibi notantur dies et locus contracti matrimonii, cui errori superaddendum tunc Gualterium de Brenna non ita ætate fuisse provectum quod filiam viro aptam habere potuerit. Cf. *Contin. Guill. Tyrens.* ap. GUIZOT, XIX, 408, et *Riccard. Malesp.*, ap. MURATORI, *Script.*, VIII, 958. Rem autem multo fusius et correctius ex fragmento inedito gallice scripto in *Additamentis* exponemus.

In castro Neritoni, 2 decembris.

Fridericus, Romanorum imperator, Paulo abbati Sanctae Mariae de Nerito varias concessiones impertitur, illum inter capellanos suos adscribit, omnesque donationes antea ecclesiae Neritoni factas confirmat.

(Memorat. ap. MURATORI, *Script.*, t. XXIV, p. 895, ex nota 22 Tafurii.)

Datum in castro Neritoni (1), IV nonas decembris, anno incarnationis dominice millesimo biscentesimo (*sic*) vigesimo quinto.

Foggiae, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, donationem testatur quam Liutolfus de Sunniswald Hospitali Sanctae Mariae Theutonicorum fecit, de parrochiali ecclesia in Sunniswald et Asoldesbach cum jure patronatus et advocatia necnon et de omni praedio ejus infra terminos dictae parrochiae sito.

(Editum in *Solothurnische Wochenblatt*, ann. 1828, p. 137. — Coll. cum libro copiar. recent. ad histor. ordin. Theuton. in Helvetia spectante, fol. 50, in archivo Stuttgart.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem (2) et Sicilie rex, universis de imperio presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Universitati vestre insinuatione presentium volumus esse notum quod veniens ad presen-

(1) « 1225. Venne a Nerito lo imperatori Federico, et foe receputo sotto pallio d'oro cum » grande alegrezza et feste da li baroni et da omne uno; et lo abbati andao cum so monaci. » *Chronic. Neritin.*, ibid. p. 895.

(2) In hoc documento prima vice Fridericus titulum regni Jerusalem prae se fert.

tiam nostram Liutolfus de Sumoldeswaldt (*a*) fidelis noster celsitudini nostre humiliter supplicavit ut quia provida circumspectione venerabili hospitali Sancte Marie Theutonicorum Jherosolymitano parrochialem contulerit in Sumoldeswaldt et Asoldespach ecclesiam cum jure patronatus et advocatia et toto jure ad ipsum spectante et omne predium suum situm infra terminos parrochie supradicte cum omnibus pertinentiis suis, agris, pratis, nemoribus, pascuis, aquis, piscationibus, monte qui dicitur Nidun et monte qui dicitur Arne, proprietatem etiam feudorum que vasalli sui in ea ab eodem habebant cum quibusdam certis pactis et conventionibus, sicut in litteris C. Portuensis et Sancte Rufine venerabilis episcopi apostolice Sedis legati, coram quo ipsa predictarum rerum collatio solempniter facta fuit, manifeste dinoscitur contineri, testimoniales inde nostre celsitudinis litteras fieri mandaremus. Nos igitur, quia diligimus prefatum hospitale quod quondam progenitorum nostrorum recordationis inclite felicium augustorum plantatio novella existens nostra censetur camera specialis, presens inde memoriale scriptum fieri jussimus sigilli nostri munimine roboratum (1).

Datum Fogie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense decembris, decima quarta indictione.

(a) Rectius vero legendum *Sunildenwaldt*, seu *Sunninwald*.

---

(1) Hanc collationem jam confirmaverat Henricus rex Romanorum apud Ulmam, 20 januarii 1225. Vide infra *Historiam diplomaticam* ad ann.

ANNO 1226. — INDICTIONE 14.

Apud Sanctum Quiricum, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Gratiadei episcopi Pistoriensis inserit et inserendo confirmat privilegium ab Henrico VI imperatore patre suo eidem ecclesiae indultum, variasque concessiones ipse superaddit.

(Edider. Fioravanti, *Memor. di Pistoia*, p. 39. — Zacharia, *Anecdot. med. aevi*, pars III, n° XXVI, p. 246, ex archivo episcop. Pistor.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus II divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Si merita respicimus personarum et loca Deo dicata quibus presunt, nostrorum predecessorum vestigiis inherentes qui statum eorumdem locorum venerabilium promoverunt, celsitudinis imperialis decoramus titulos et inde premia eterne retributionis acquirimus, unde ad divini cultus servitii et ad ecclesiarum Dei auxilium pie provisionis solatia ministramus. Universis igitur imperii fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod Gratiadei venerabilis episcopus Pistoriensis, dilectus fidelis noster, quoddam privilegium quod inclyte recordationis dominus quondam imperator Henricus pater noster ecclesie Pistoriensi pie concessit, nostre celsitudini presentavit, supplicans humiliter et devote ut privilegium ipsum de verbo ad verbum transcribi et ea que continentur in eo sibi et ecclesie Pistoriensi confirmare de gratia dignaremur; cujus privilegii continentia talis erat :

Henricus VI divina favente clementia imperator, semper augustus et rex Sicilie. Apud creatorem omnium tum ad presentis vite decursum prosperiorem, tum ad eterne salutis augmentum nobis certissime profuturum non ambigimus, si ecclesiis Dei in suis necessitatibus piam auxilii

opem impendimus ipsasque in suo jure et honore studemus conservare. Quapropter notum facimus universis imperii nostri fidelibus presentibus et futuris quod nos fidelem nostrum Bonum Pistoriensem episcopum ejusque successores et ecclesiam Pistoriensem cum Montemagno et ejus curte et villa de Burciano, castro Lamporeclo, villa de Urbiniano et ejus curte, castro de Celle cum valle de Celle et ejus curte, sicut serenissimus pater noster Fridericus Romanorum imperator augustus per privilegium suum antecessori suo Pistoriensi episcopo confirmavit, et universis aliis rebus et possessionibus que vel de nostra concessione vel per se vel per alios in presentiarum juste habet vel in posterum, dante Domino, poterit obtinere, in specialem majestatis nostre protectionem recepimus, predicto episcopo suisque successoribus plenum jus dantes et potestatem ut terras et homines ecclesie sue de predictis locis vel possessionibus distringat, datas ab eis accipiat et plenam inter eos de causis suis faciat justitiam, salva in omnibus imperiali dignitate et justitia. Statuimus igitur et presentibus consulibus et eis qui pro tempore fuerint in civitate Pistorii et generaliter universis nuntiis nostris et potestati Pistoriensi qui fuerint et consiliariis et toti populo sub debito fidelitatis districte precipimus quatenus huic nostro precepto se nullatenus opponant et predictum episcopum vel suos successores contra predicta aliquatenus presumant molestare; quod si quis attentaverit, sexaginta libras auri pro pena componat, dimidium camere nostre et reliquum passis injuriam. Ad cujus rei certam in perpetuum evidentiam presentem chartam inde conscribi jussimus et majestatis nostre sigillo communiri. — Datum apud Montem Flasconis, anno Domini millesimo centesimo nonagesimo sexto, indictione quintadecima, V kalendas novembris.

Nos igitur attendentes quod dictus Gratiadei venerabilis episcopus nobis et imperio semper devotus extitit et fidelis, attendentes etiam quod ex collatis ab imperiali munificentia beneficiis tam idem episcopus quam et successores ejus per obsequiorum gratitudinem nobis et imperio de bono in melius poterunt complacere, privilegium ipsum et omnia suprascripta que in ipso vidimus contineri sibi, successoribus suis et Pistoriensi ecclesie in perpetuum confirmamus; confirmantes nihilo-

minus eidem Pistoriensi episcopo, successoribus suis et Pistoriensi ecclesie omnia que temporibus predecessorum nostrorum dominorum augustorum et maxime imperatorum Friderici et Henrici avi et patris nostri memorie recolende juste tenuit et possedit et nunc etiam rationabiliter dignoscitur possidere, salva in omnibus imperiali justitia. De abundantiori ergo munificentie nostre gratia qua consuevimus Dei ecclesias pie provisionis solatiis refovere, dicto Pistoriensi episcopo, successoribus ejus necnon ecclesie Pistoriensi adjiciendo concedimus ob devotionem ipsius Gratiadei Pistoriensis episcopi de mera liberalitate et ex certa scientia ut nulla prescriptio nisi centum annorum eis possit opponi, non obstante lege nova que prescriptione quadragenaria excludit ecclesiam et jus alienum absorbet; quod obtinere volumus tam in inchoandis prescriptionibus contra ipsam ecclesiam quam etiam in inchoatis vel que jam etiam sunt prescripte, nisi justus titulus appareret super juribus, actionibus et rebus ejusdem ecclesie jam prescriptis; statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, jamdictum episcopum et successores suos necnon ecclesiam antedictam super predictis omnibus temere impedire seu molestare presumat vel eis ausu temerario contraire. Quod qui presumpserit indignationem nostram et penam centum librarum auri se noverit incursurum, medietatem camere nostre, reliquam medietatem passis injuriam persolvendam. Ut autem hec nostra concessio et confirmatio rata semper et inconcussa permaneat, presens privilegium inde fieri et sigillo celsitudinis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Lando venerabilis Reginensis archiepiscopus, Julianus Mazarensis (*a*) et Johannes Bojanensis episcopi, frater Hermannus venerabilis magister domus hospitalis Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem, Rainaldus dux Spoleti et Brittoldus frater ejus, Sifridus comes de Vienna, Simon comes Theatinus, Albertus comes de Stafel (*b*) et alii quamplures.

(*a*) In impresso *Majanensis*, male.
(*b*) Sic : verisimiliter autem *de Stoufe*.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis.

Acta fuerunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, mense januario, quartadecima indictione, imperante domino nostro Friderico II Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni Hierusalem primo et regni Sicilie vigesimo nono (*sic*), feliciter. Amen.

Datum apud Sanctum Quiricum (1), anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno magistro domus Sanctae Mariae Theutonicorum et fratribus ejus confirmat omnia bona quae in regno Hierosolymitano a praedecessoribus Isabellae conjugis suae habent et habituri sunt, quorum nomina et fines seriatim exprimuntur, necnon barbacanam, turres, muros, et fossatum ab Henrico Trecensi comite concessa, cum parte acquisitionis super Sarracenos et libertate omnimoda tam in mari quam in terra. .. januario.

(Inedit. in archivo Berolinensi, e Regest. copiali ordin. Theutonicorum, sec. XIII et XV.)

Fredericus secundus divina favente clementia imperator, semper augustus, Jerosolime et Sicilie rex. Si religiosa loca [in] quibus milites Christi degentes in eis gloriosa ineunt adversus hostes crucis indefessa certamina et divini cultus obsequia jugi et laudabili devocione parantur, pia

---

(1) Quum imperator apud Trojam Natale Domini celebraverit, ut monet Ricc. de Sancto Germano, non dubitandum quin hic agatur de Sancto Quirico in Capitanata, loco duabus leucis Foggia versus aquilonem distante.

provisione respicimus et collata sibi beneficia conservantes, munifica liberalitatis nostre largitione prosequimur ac nostrorum adjectione munerum liberaliter ampliamus; ei libamen gratuite devotionis offerimus, de cujus indulgentia cognoscimus non ingrati quod vivimus et ab exhuberanti sue dispensationis optinuimus gratia quod regnamus. Hinc est igitur quod presentis scripti serie notum fieri volumus universis quod pia consideratione pensantes qualiter sacra domus Sancte Marie Theotonicorum in Ierosolima a Romanis principibus progenitoribus nostris recordationis inclite faustis fuerit incohata principiis et immensis beneficiis ampliata, qualiter etiam in Ierosolimitanis partibus postquam cepit dignis ibidem conatibus Domino militare, adversus hostiles Sarracenorum incursus se totam cum suis exposuerit incrementis, predecessoribus dilecte consortis nostre ISABELLE Romanorum imperatricis, semper auguste, Ierosolime et Sicilie regine, devota fuerit, et circa eorum regimen benivolis obsequiis non ingrata; revolventes insuper animo devotionem precipuam fratris Hermanni magistri domus ejusdem aliorumque fratrum dedicatorum in ea, quorum ministerio Deo et hominibus grato fungitur aula nostra, divine retributionis intuitu ac pro remedio animarum progenitorum nostrorum, et pro comuni salute ac glorie incremento, eandem sacram domum et quaslibet derivatas ab ea, fratres et confratres ipsarum, cum omnibus bonis, stabilibus et mobilibus, que per totum nostrum dotale Ierosolimitanum regnum juste possident in presenti et que in antea justo titulo poterunt adipisci, nec non subditos earum legationem suam atque negotia exercentes, sub speciali protectione ac defensione nostra recepimus; una cum assensu nostre predicte consortis gratuito concedimus et perpetuo confirmamus eidem sacre domui omnia privilegia et scripta quelibet que tam a predecessoribus quam a parentis (*sic*) predicte consortis nostre dicte domui pia fuerint liberalitate concessa, nec non insuper castra, casalia, homines et possessiones que donatione regum, concessione principum et oblatione fidelium sive quolibet alio justo titulo est adepta, vel in futurum poterit adipisci; quorum quedam propriis duximus inferius exprimenda : in primis Castellum regis cum omnibus pertinentiis suis, excepto casali quod vocatur Tharon;

quod Castellum regis olim comes Otto [de] Eimenberch et Beatrix uxor sua filia quondam comitis Jozcelini et Otto eorum filius predicto magistro et fratribus vendiderunt, et quicquid habebant et habere debebant in eodem Castello regis tenendum et possidendum, sicut idem comes Otto, uxor, filius et predecessores eorum tenuerunt et possederunt libere et quiete. Cujus Castelli regis pertinencie et casalia secundum tenorem scripti illustris regis Johannis super hoc eidem domui indulti, inferius continetur (*sic*): videlicet Tersiha, Carphasome, Samohete, Geelim, Zoenite, Beletini, Tarphile, Rasapde, Supheye, Caphara, Nejecchie, Danephile, Labeyene, Jubie, Bechera, Abelie, Avica, Geze, Clil, et medietas Noje. Similiter sunt de pertinenciis predictis : Phasoce, Achara, Tayreterne, Tayrebica, Prehennes, Carsylie, Serohu, Gabatie, Orpheis, Roois, Campsera, Capsie, Deleha, Derlusta, Rapho, Rabeh, Ezefer, Bercey. Similiter et tercium feodi de Sancto Georgio, cujus pertinencie et casalia sunt Archet, Yanot, Cabra, Meblie, Saphet, Lemezera, Kemelie, et tercium casalis de Boukel cum pertinentiis ejusdem, et tercium de assisia que est de hoc eodem feodo, scilicet tercium octingentorum bisantiorum assignatorum ad cathenam Accon, cujus tercii summa est ducenti sexaginta septem bisancii minus tercia, quos prefati magistri et fratres predicto illustri regi Johanni et suis successoribus in perpetuum quittaverunt et remiserunt una cum assisia duorum milium bisanciorum ad cathenam Accon similiter assignatorum, quam assisiam nominati comes, uxor et filius vendiderunt eisdem. Item concedimus et confirmamus eidem domui Sancte Marie quandam domum in Acchon que fuit comitis Jozcelini, sicut in autentico scripto venditionis predictorum comitis Ottonis, uxoris et filii nec non in privilegio memorati regis eidem domui indultis de domo ipsa manifestius continetur. Cujus domus situs talis est : ab oriente habet quandam ruellam; ab occidente quandam clausuram domorum que sunt abbatis montis Tabor; a meridie est via publica; a septentrione coheret domui Rohardi domini Cayphas, prout in ejusdem venditionis scripto et privilegio ipsius regis designatur expresse. Et quum remiserunt idem magister et fratres et quittaverunt dicto regi ejusque successoribus quicquid est ad presens in manibus Sarracenorum de

predicta venditione cum fuerit a fidelibus acquisitum, nos una cum predicta consorte nostra, pro remedio animarum predecessorum nostrorum nec non pro salute et incolumitate nostra, hanc specialiter remissionem et quietationem a jam dictis magistro et fratribus factam, super eo videlicet toto quodcumque a Sarracenis detinetur ad presens de rebus sibi venditis a predictis comite, uxore et filio, tam in castris quam in casalibus et tenimentis aliis nec non hominibus, prefate sacre domui liberaliter relaxamus. Concedentes et donantes eidem libere omnia bona predicta feudi tocius in eo statu et integritate in quibus predictus comes Jozcelinus pater ejusdem comitisse Beatricis ante amissionem terre sacre dinoscitur possedisse ac juste possidere debebat, et ad eandem comitissam Beatricem paterno et materno jure ratione successionis spectabant, ac eadem comitissa Beatrix una cum viro et filio vendidit predicto magistro et fratribus, tam ea que in manibus suis erant quam jus eorum que fuerant occupata, exceptis assisiis bisanciorum ad cathenam Accon, quas magister et fratres ejusdem domus predicto regi et suis successoribus dimiserunt et perpetuo quietaverunt, sicut superius est expressum. Ex affluentioris quoque gratie ubertate adjiciendo concedimus presenti sancientes edicto ut quam cito bona illa predicti feodi que violencia Sarracenorum occupavit recuperata fuerint divina misericordia favente, ad eandem sacram domum venditionis ipsius titulo et indulte sibi presentis concessionis nostre munimine devolvantur, et liceat magistro et fratribus domus ipsius possessionem eorundem bonorum auctoritate nostra resumere et habere. Concedimus insuper ut omnia predicta bona ipsius feudi tam habita quam habenda eadem sacra domus perhenniter possideat, et quiete ab omni servicio libera et exempta. Preterea concedimus et confirmamus eidem sacre domui totam barbacanam, turres quoque, muros, fossatum a meta porprisie quam Henricus Trecensis comes palatinus, assensu quondam et voluntate domine Ysabelle uxoris sue illustris regis Almerici filie, ipsi domui in perpetuam helemosinam concessit usque ad portam Sancti Nicholai, ea tamen conditione ut ea reparent et meliorent, prout munitioni civitatis necesse fuerit, sicut in privilegio ejusdem comitis predicte sacre domui indulto

plenius continetur. Insuper concedimus et confirmamus eidem domui partem quam illustris rex Johannes sibi concessit cum lucro quod faciunt fratres domus ejusdem in armis, existentibus hominibus regis cum eis absente rege, reservata sibi et suis successoribus portione quam habet in lucro quod eo presente faciunt idem fratres in armis in regno Ierosolimitano, videlicet medietate totius lucri sive in villis sive in castris, sive in expeditionibus sive in quibuscumque aliis locis, sicut per privilegium ejusdem regis optinet ipsa domus. Concedentes eidem sacre domui de beneficentia liberali libertatem aquarum, herbarum et lignorum, ubique per dominii nostri terras ad sui et suarum domorum usum, et ut de ipsis per totum Ierosolimitanum regnum nostrum nichil pro plateatico vel consuetudinibus aliquibus vel statutis in terra vel in mari solvere teneantur, sed aliis libertatibus et immunitatibus perfruantur, quas a predecessoribus nostris progenitoribus ejusdem consortis nostre obtinuisse noscuntur. Firmiter statuentes ne quis domum eandem et fratres predictos de tenementis et possessionibus ipsius domus sine judicio et justicia presumat aliquatenus dissasire. De habundantiori quoque gratia nostra eidem domui et fratribus suis concedimus et perpetuo confirmamus ut de proventibus et bonis suis que ad partes dirigunt cismarinas pro domus utilitatibus et ipsorum, nichil ab ipsis pro rebus domus propriis ratione portatici, falangatici, ripatici, tolonei vel alicujus alterius exactionis et juris doanarum vel portuum in introitu vel exitu exigatur. Eximimus insuper domum ipsam et domos derivatas ab ea ab omni data, collecta seu exactione, ab omni angaria et ab omni honere cujuslibet servitutis. Statuentes et auctoritate presentis privilegii universis firmiter injungentes ne aliquis sepedictam domum et fratres ipsius super predictis omnibus molestare presumat. Quod qui presumpserit, centum libras auri puri componat, medietatem camere nostre et aliam medietatem passis injuriam persolvendam. Ut autem hec protectio, concessio et confirmatio nostra inconcusse permaneant et perpetuam semper optineant firmitatem, presens privilegium fieri fecimus, et bulla aurea typario nostra (*sic*) impressa et subscriptis testibus jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt : De imperio, Rainaldus dux Spoleti,

Brutoldus frater ejus, Gottifridus de Hunloch, Albertus et Conradus de Stouphe, et Gavianus de Cipro. De regno vero Jerosolimitano, Jacobus venerabilis Acconis episcopus, Balianus dominus Sydonis, Daniel de Terramunde, Nicolaus Antelmi, Guido de Infante, Guido de Roniau, Rao cognatus patriarche, Gervasius de Malgastel, Philippus Cynardi, Joannes Pisan, Raimundus Grimaldus, Gofridus de Villiers, Guido de Nubie. De regno autem Sicilie, Landus venerabilis Reginus archiepiscopus familiaris noster, Bartolomeus venerabilis Syracusanus episcopus, Thomasius comes Acerrarum, Symon comes Teatinus, comes Raynaldus de Lavareta, Henricus de Morra magister justiciarius, et Ricardus camerarius.

Actum est hoc anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo quinto, mense januarii, decime quarte indictionis.

Datum per manus Symonis venerabilis Tyrensis archiepiscopi et regni Ierosolimitani cancellarii, imperante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Ierosolime et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni Ierosolimitani primo et regni Sicilie anno vicesimo octavo, feliciter. Amen.

.. januario. Isabella Romanorum imperatrix, uxor Frederici secundi, notas facit universis concessiones et confirmationes a viro suo factas domui hospitalis Sanctae Mariae Theutonicorum de omnibus privilegiis a praedecessoribus et parentibus suis eidem domui indultis.

(Inedit. in archivo Berolinensi e Regesto copiali ordin. Theutonic., ubi inseritur in privilegio regis Conradi ejusdem Isabellae filio, anno 1243.)

Ysabella Dei gratia Romanorum imperatrix, semper augusta, Jherosolime et Sicilie regina. Per presens scriptum notum facimus omnibus hominibus tam presentibus quam futuris quod dominus vir noster Fridericus Dei gratia excellentissimus Romanorum imperator, semper augustus, Jherosolime et Sicilie rex, una cum assensu et gratuita voluntate nostra

concessit et confirmavit sacre domui Sancte Marie Theotonicorum in Jherosolima omnia privilegia et scripta quelibet que a predecessoribus et parentibus nostris clare memorie fuerunt eidem domui pia liberalitate concessa, nec non insuper castra, casalia, homines et possessiones que donatione regum, concessione principum et oblatione fidelium sive quolibet alio justo titulo est adepta vel in futurum poterit adipisci, specialiter autem Castellum regis cum omnibus pertinentiis suis, excepto casali Iareth (*a*), quod dictum Castellum regis olim comes Otto de Hennenberc (*b*) et Beatrix uxor sua filia quondam pie memorie comitis Jozcelini et Otto eorum filius eidem domui vendiderunt, et quicquid habebant et habere debebant in eodem Castello regis tenendum et possidendum, sicut idem comes et uxor sua et antecessores eorum tenuerunt et possederunt libere et quiete, exceptis assisiis bisanciorum ad cathenam Acchon assignatorum, quas assisias dictus comes et uxor vendiderunt magistro et fratribus domus ejusdem et magister et fratres remiserunt illustri regi patri nostro et successoribus suis. Preterea predictus dominus et vir noster de assensu et voluntate nostra remisit et relaxavit eidem domui illam videlicet remissionem et quitationem quam magister et fratres domus ejusdem fecerunt eidem regi patri nostro et successoribus suis super eo toto, scilicet quod est ad presens in manibus Sarracenorum, tam in castris quam in casalibus, hominibus et aliis tenimentis, cum fuerit a fidelibus acquisitum, quod idem magister et fratres ipsius domus emerant a predictis comite et uxore. Item dominus et vir noster concessit et confirmavit eis domum quamdam apud Acchon que fuerat comitis Jozcelini. Item concessit et confirmavit eidem domui totam barbacanam, turres quoque et muros et fossatum a meta porprisie, quam Henricus Trecensis comes palatinus una cum assensu domine Ysabelle uxoris sue illustris quondam regis Almerici filie in perpetuam elemosinam eidem domui concessit usque ad portam Beati Nycolai, ea tamen conditione que in ejusdem concessionis privilegio continetur. Item de concessione predicti domini viri nostri indulte sunt ipsi domui quedam immunitates que

(*a*) In praecedenti autem *Tharon*.

(*b*) In praecedenti quoque *de Eimenberch*, sed minus recte.

in imperiali privilegio cum predictis omnibus plenius continentur. Ut autem hujus concessionis et confirmationis ..... perpetuo maneat inconcusso robore firmitatis, presens scriptum fieri fecimus et tam subscriptis testibus quam bulla cerea typario nostre serenitatis impressa jussimus communiri.

Testes autem sunt Symon venerabilis Tyrensis archiepiscopus regni Jherosolimitani cancellarius, Balianus dominus Sydonis, Daniel de Terramunde, Nicolaus, Gainanus de Cipro, Guido Infans, Guido de Roman, Raio patriarcha, Gervasius de Emau castello, Johannes Pisanus, Raimont Grimaut, Goffridus de Villers, Guido de Nubie (*a*) et magister Petrus medicus noster, fideles nostri regni Jherosolimitani.

Actum est hoc anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense januarii, quarte decime indictionis.

Datum per manus Symonis Tyrensis archiepiscopi regni Jherosolimitani cancellarii, regnante domina nostra Ysabella Dei gratia Romanorum imperatrice, semper augusta, Jerosolime et Sicilie regina, imperii ejus et utriusque regni Jherosolimitani et Sicilie anno primo, feliciter. Amen.

Reate, 24 januarii.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori nuntiat quomodo preces ejus super absolutione comitis Tripolitani admittere non potuit, cum nuntii ejusdem comitis conditiones a cardinalibus oblatas recipere noluerint.

(Edit. ap. Raynald., *Annal. eccles.*, tom. I ad ann. 1226, § LVI, e Regist. lib. 10, n° 168.)

Honorius, etc., Frederico, etc. ....
.... Super absolutione vero Tripolitani co-

(*a*) In præcedenti autem : Nicolaus *Antelmi*, *Gavianus* de Cipro, Guido *de Infante*, Guido de *Roniau*, Rao *cognatus patriarche*, Gervasius de *Malgastel*, Johannes *Pisan*, *Raimundus Grimaldus*, Gofridus de *Villiers*, Guido de Nubie. *Vid.* p. 536.

mitis tua noverit celsitudo quod ipsius comitis nuntii petierunt quedam juri et Ecclesie Romane consuetudini contraria manifeste. Unde licet preces tuas velimus semper in quibus secundum Deum possumus, exaudire, nequivimus tamen ipsorum petitionem admittere nuntiorum; idque circumspectio tua egre ferre non debet, cum non velis, ut credimus, quod juris scripti et approbate consuetudinis ordinem confundamus. Licet autem idem comes etiam ipsa exhibitione justitie propter multa que nunc narrare non expedit reddiderit se indignum, tuarum tamen precum intuitu voluimus totum ipsum negotium bonis viris committere sub hac forma, ut videlicet idem comes prestaret in eorum manibus juramentum de stando mandatis Ecclesie super iis pro quibus in eum sententia excommunicationis lata fuit ac deinde prestaret de manifestis emendam ac de parendo juri super dubiis exhiberet idoneam cautionem; quo facto absolutionis beneficium impenderetur eidem et consequenter de dubiis cognitio haberetur et statueretur quod posceret ordo juris. Et hec omnia dictis nuntiis benigne obtulimus per venerabilem fratrem nostrum H. episcopum Ostiensem ac dilectum filium nostrum G. tituli Sancti Martini presbyterum et Gregorium Sancti Theodori diaconum cardinales, a quibus eosdem nuntios audiri fecimus diligenter, cum non sit consuetudinis quod Romanus pontifex nisi per interpositam personam ad colloquium excommunicatos admittat; ipsi autem nuntii predicta recipere renuerunt, asserentes se ad hoc non habere mandatum, nec nos, ut prediximus, potuimus facere quod petebant, cum ubi agitur de justitia, gratie in alterius injuriam non sit locus, etc. (1). . . . .

Datum Reate, IX kalendas februarii, anno X.

Imperator ipse baronibus et militibus infeudatis caeterisque mandat ut omnes se praeparent ad eundum secum in Lombardiam [Januario, exeunte.]

---

(1) Unde eumdem comitem pontifex anathematis sententia iterum perculit ejusque terras interdicto subjecit, litteris paulo post datis, scilicet 3 kal. februarii ejusdem anni. *Regest.*, ibid., n° 169.

et ut omnes apud Piscaram, ubi sexto intrante martii esse imperator ipse disponit, debeant convenire. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Salerni, 1° februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, universis per Frisiam constitutis scribit ut in comitatu suo, dum ad liberationem Terrae Sanctae transfretare disponat, denuo laborem crucis subeant et navalem exercitum praeparent, cum jam eorum fortitudinem et prudentiam praesertim in expeditione Damiatae exterae nationes expertae fuerint.

(Edit. ap. Mieris, *Charterboek der graven van Holland*, tom. I, p. 198, ex Schotan., *Hist. van Vriesl. in d'archive*, p. 12 et 13.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, universis per Frisiam constitutis quibus presentes littere ostendentur, fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Celebris fama vos docuit et assertio publica instruxit quatenus a preterito mense augusto XIII^a^ indictione usque ad duos annos completos, autore Domino, disposuimus in manu potenti et brachio extento transfretare ad subsidium et liberationem Terre Sancte debitam, quam Redemptor humani generis sua dignatus est presentia consecrare, in qua mirabiliter operatus est nostre salutis ac fidei sacramenta; cum sit ignominiosum principibus universis et regibus terre ceterisque qui nomine christiano censentur ut tamdiu, non absque christianitatis injuria, templum Domini et sanctam civitatem prophanet impius et ancille filius dominam gentium libertatisque patronam, proh dolor! sub hostili tyrannide detineat captivam. Sane quia zelus Domini nos pungit, qui de plenitudine divitiarum suarum majorem pro partibus nostris accepimus portionem, pro omnibus que retribuit nobis ipse, licet digna futura retributio non sit ad futurum, onus illius terre humeris nostris assumpsimus, nos ipsos in obsequium

crucis obtulimus, imperium et regna que nobis contulit et commisit suis obsequiis deputantes. Verum quia in tam felici passagio et victorioso exercitu Jesu Christi (domino exercituum cooperante) major quam unquam fuit speratur utilitas proventura, expertam itaque dudum in obsequio crucis gentis vestre prudentiam nolumus preterire, quin universos et singulos vestrum precibus et monitis excitemus, monentes universitatem vestram et exhortando mandantes quatenus in comitatu nostro tam pium tamque honestum liberationis Terre Sancte denuo laborem subeatis. Vestram enim timent et experte sunt prudentiam extere nationes ad quarum excidium exercuistis olim laudabiliter vires vestras, ubi sanguis vestrorum martyrum in servitium crucis effusus rutilat et super obsidione et captione Damiate clara illorum corpora memorantur. Exurgat igitur virtus vestra et ad ulciscendum sanguinem fratrum vestrorum quem ob honorem crucis fuderunt, navalem exercitum preparetis unanimiter et potenter, ut ad liberandam Terram Sanctam statuto tempore simul procedamus. Nos autem benevolos ac favorabiles ad vestrum invenietis solatium et juvamen, ac cunctis oportunitatibus vestris ac profectibus liberaliter assistemus.

Datum Salerni (1), primo februarii, XIIII^{a} indictione.

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribit ut regem Cypri Henricum aetate minorem recommendatum habeat.

Laterani, 17 februarii.

---

(1) « Imperator de Apulia venit in terram Laboris et relicta apud Salernum in castello Terracinae imperatrice consorte sua, ipse in Apuliam redit celer, ubi Henricum de Morra magistrum justiciarium capitaneum statuit regni sui, et ipse Piscaram se contulit. » RICC. DE S. GERM., *Chronic. ad ann.* Adest autem instrumentum ineditum in arch. montis Cassini (origin. pergam. capsa CXVII, fasc. I, n° 6) quo idem Henricus de Morra, assidentibus sibi Simone de Tocco et Guisando de Rubo, imperialis curiae judicibus, apud Capuam, maio 1226, post inquisitionem a justiciariis terrae Laboris factam, sententialiter pronuntiat conventum monasterii Cassinensis piscatorem specialem debere habere in quarta parte piscariae Fundi.

(Memorat. in *indice Regest. Honorii*, collect. Laporte Dutheil in Biblioth. Paris. — Cf. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann., § LVIII.)

Datum Laterani, XIII kalendas martii, anno X.

In aede S. Zenonis ad Mosium, 2 martii.

Legati ac procuratores singularum civitatum [Lombardiae] quae foedus instaurare cupiebant, VI nonas martii (1) in aede Sancti Zenonis ad Mosium Mantuani agri oppidum ex composito convenere ac tabulas foederis in haec verba scripsere : « Cum Fridericus imperator augustus Lombardis, Marchianis, Romaniolis et eorum amicis potestatem olim concesserit foederis inter se feriendi et quoties vellent renovandi pro libertatis suae defensione, prout in tabulis scriptis Constantiae continetur, atque eamdem postea Henricus ejus filius et Otho imperatores confirmaverint, ob eam rem legati ac procuratores Mediolani, Bononiae, Placentiae, Veronae, Brixiae, Mantuae, Vercellarum, Laudis, Bergomi, Taurini, Alexandriae, Vicentiae, Patavii et Tarvisii inter se foedus fecerunt, idque ad annos XXV observaturos nomine suarum civitatum jurarunt (2). » Sigonius, *De regno Italiae*, lib. XVII, p. 33.

---

(1) Corius autem qui seriem actorum ex authenticis in historia sua Mediolanensi annotavit, diem Veneris sextum martii huic societatis Lombardae renovationi assignat. Cf. in *Additamentis* ad calcem secundae partis hujus voluminis.

(2) Eidem etiam foederi adhaeserunt comes Gottifredus de Blandrato et Bonifacius marchio Montisferrati. Civitas quoque Faventia juramenta societatis renovavit ineunte aprili, dum imperator Ravennae moraretur, ut monet Tolosanus ap. Mittarelli, *Access. Hist. Favent.*, p. 169.

Fridericus, Romanorum imperator, petente Friderico abbate Rotensi, privilegium illi monasterio per fundatorem ejus ab Heinrico IV imperatore anno 1073, 5 septemb. (*rectius* 1086, circa mensem aprilem), obtentum, inserit et confirmat, praeter clausulam ubi erat rasura. Apud Piscariam, martio.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. I, p. 372 et 352 et ap. Hund, *Metropol.*, t. III, p. 270; Meichelbeck, *Hist. Frising.*, t. I, p. 264; Nagel, *Notit. orig. dom. Boic.*, p. 286, cum notis et acri censura. Cf. animadversiones in *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 135 et t. XXXI, p. 365 et seqq.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Inter actus nostros multiplices quibus noster dignitatis titulus exaltatur, illud nobis est perpetuo gloriosum in terris et perpetuo retributorium in celis quod ad utilitatem sanctarum ecclesiarum Dei nostris felicibus temporibus operamur. Hinc est igitur quod notum esse volumus universis fidelibus nostris per imperium constitutis tam presentibus quam futuris quod Fridericus venerabilis abbas Rotensis monasterii, fidelis noster, ad presentiam nostram accedens, ostendit nobis quoddam privilegium, majestati nostre supplicans humiliter et devote ut privilegium ipsum eidem monasterio suo confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia quartus, Romanorum imperator augustus. Regalis dignitas et imperialis majestas ad hoc divinitus ordinata est ut superborum temeritatem comprimat, fidelium vero devotionem maximeque Deo famulantium humilitatem pia devotione muniat, roboret atque confirmet. Ideo fidelis nostri Cononis palatini memoriam posteris scripto transmittimus (1), quia

---

(1) Unde patet Cononem palatinum jam vita functum, cujus mors anno 1086, 27 martii accidit. Vid. *Monum. Boic.*, t. XXXI, p. 367. Anachronismos in notis chronologicis insertos fusius ad calcem documenti describemus.

Deum et sanctum Petrum omnium rerum suarum heredem reliquit. Habuit enim duos liberos quibus substantiam suam divisit, Cononem scilicet et Ermingardam, que cum marito traderetur portionem sibi debitam accepit et de parte reliqua omnem calumpniam legitime refutavit. Deinde filius quoque duxit uxorem, celebratisque nuptiis cum multi convenissent, inierunt parentes cum filio et nuru sua ne in die bonorum immemores essent malorum et ut illi qui omnia dedit aliqua tribuerent. Convenerunt ergo in hoc ut in loco et fundo qui dicitur Rota quem preterfluit Enus fluvius, qui est in comitatu Arnolfi comitis (1), monasterium construerent ibique monachos Deo famulantes congregarent. Placuit hoc filio, placuit nurui, simulque cum parentibus ad altare sanctorum Marini et Aniani procedentes tradiderunt Deo et sanctis ejus quidquid in regno nostro possiderunt, si absque liberis obirent. Nurus quoque dotem quam ex marito acceperat, monasterio in legitimam possessionem tradidit cum omni patrimonio quod in Lotharingia possederat, si ex eodem marito Conone liberos non generaret. Evolutis autem aliquot diebus, filius ad servitium nostrum vocatus in bello cecidit, et sic omnis hereditas ad monasterii jus cui traditum fuerat rediit. Orbatus vero pater tota mente ad Deum convertitur, sublatoque corpore filii sui et assumpta nuru que sine prole remanserat, ad monasterium properat, exequias celebrat celebratisque exequiis traditionem renovat. Dat socer hereditatem, nurus dotem, non conditionate ut prius, sed perfecte Deo et sanctis ejus in perpetuum; offeruntur viri militares qui dicuntur ministeriales cum prediis et possessionibus suis quos domi forisque custodes lateris habebat, quibus etiam jura statuit ut monasterii gloriam teneant et abbatibus libere ac regulariter substituendis honesto loco, gradu et ordine deserviant. Traduntur familie diversi sexus et etatis, quibus etiam tertiam partem servitii sui relaxavit, hisque dispositis conditionem consummat et predia notata inferius Deo et fratribus regulariter viventibus confert: Rota in quo est monasterium cum ecclesiis, decimis, terminis et appen-

(1) Scilicet *Andecensis* et, nisi omnia nos fallunt, fundatoris Atilensis. (*Monum. Boic. nota.*)

diciis suis, Buostetten, Oettingen, Ask, Neufarn cum ecclesia, decimis et appendiciis suis, Volkmarstorf cum vineis et agris vinitorum, Herigoltshusen cum ecclesia, decimis, terminis et appendiciis suis, Rota quod adjacet Glone flumini cum ecclesia, decimis, terminis et appenditiis suis, Harde, Bruntal, Helphendorf, Tocinhusen, Warte, Veristetten, Wachreine, Ourholz, Walchese, Choletal, Billerse per totum cum ecclesia, decimis, terminis, et appendiciis suis in Luichental, Stegen, Wisinschwank, Criescenowe, Grantowe, Barne et quidquid a Sorichen usque ad lochberg habuerat, preter unam mansionem apud Wisinschwank quam filie ad pernoctandum tradiderat cum de loco ad locum transiret; apud Halle patellam salis et locum patelle, in Soubeca duos mansus, in Wibetal stabularem curiam, ad Flones duos mansus, ad valles in monte qui dicitur Bitimo quinque mansus, ad Sufan in Poszen curiam et vineas, ad Poblice et in ipsa villa curiam et vineas; in Carinthia castrum quod dicitur Ursen et circa castrum sexaginta mansus, juxta Moram fluvium Flachsaha, juxta Liesniche Meizzenstein; in marchia juxta Rabam fluvium Chuniberge cum terminis et appendiciis suis; in oriente Breittenowe, Suarzaha, Luiprandestorf, Snozindorf, Hederischerwerde; juxta Danubium versus Hungariam Viskahegemunde, Chrunbiunuz, Bwanc cum terminis et appendiciis suis, in Trungowe curiam, ad Gruninbach sex vineas, ad Hurperih cum vineis agros vinitorum, ultra Chambe Chostingen et Reswetingen cum ecclesia, decimatione, theloneo, terminis et appenditiis suis; juxta flumen quod dicitur Raba Urndrechstorf; curiam suam Ratisbone juxta Sanctum Cassianum cum atrio per circuitum et edificiis; in Suevia villam que dicitur Eslingen. Hec omnia cum omni jure tradidit cum areis et edificiis, agris, campis, pratis, molendinis, aquis aquarumve decursibus, silvis, venationibus, sectione, saginatione et que habentur vel haberi possunt in legitimam possessionem Rotensis monasterii, de quibus etiam nurus sua Elisabeth statim monasterium investivit et postea in beneficium accepit. His ergo prediis atque reditibus vir fidelis Rotense monasterium fundavit ac fundatum beato Petro et Romane Ecclesie tradidit per manum Eberhardi de Razenhoven, qui et primus bisantium annuatim persolvendum Lateranensi palatio persolvit

ac sic loco atque familie tutelam apostolice defensionis obtinuit. Obtinuit quoque monasterio liberam abbatis electionem, baptismum, sepulturam, et ut advocatum non habeant nisi quem velint, quia jam legitima successio advocatorum cessaverat, mortuo sine liberis filio, et ad filios filie jus illud non pertinebat. His ita peractis nostram presentiam adiit nostraque imperiali auctoritate hec omnia roborari expetiit. Nos vero devotione tanti principis exhilarati ac petitione ejus inducti, pontificalem auctoritatem nostra auctoritate munivimus et quidquid concessit concessimus; statuentes ut nulla ecclesiastica secularisve persona audeat prefati monasterii jura infringere, personas turbare, possessiones invadere, minuere, aufferre vel ablata retinere, terminos cohibere vel transgredi nec ullam possessis vel in futurum possidendis violentiam inferre. Si quis contra hanc nostre constitutionis paginam sciens Rotense monasterium infestare presumpserit, veniat super illum apostolica maledictio nostrique violati edicti dura compositio, noveritque se mulctatum centum libris auri, cujus medietas nostre camere, alterum vero medium fratrum usibus persolvetur. Hoc ergo ut firmiter teneatur locique libertas, pax et securitas (a) omni evo stabilis et inconvulsa permaneat, hanc presentem constitutionis paginam inde conscribi fecimus nostrique sigilli impressione muniri. — Signum domini Henrici regis invictissimi. — Egilbertus cancellarius vice Willigisi archicapellani recognovit. — Datum nonis septembris, anno dominice incarnationis MLXXIII, indictione XI, anno autem regni Henrici XX. — Actum Ratisbone, feliciter. Amen. — Presidente Rome apostolicam Sedem Gregorio VII, qui et Hiltprandus (1).

(a) In Monum. Boic. *secularitas*, male.

---

(1) Manifestissimus ille est anachronismus quo Henrico IV affinguntur monogramma, cancellarius et archicapellanus Henrici II adhuc regis, nimirum inter 1002, 6 junii, usque 1004. Alius latet in notis chronologicis annorum Christi et regni, in indictione et in memoria Gregorii VII, quae stare in notatis anno et die cum titulo imperiali per totum diplomatis contextum usurpato minime conveniunt. Nec enim ante suam consecrationem anno 1074, 2 februarii, Gregorius VII se gessit pontificem, nec Henricus IV ante suam inunctionem imperialem 1084, 31 martii, unquam vocatur imperator. Quum insuper notum sit tempus quo fundator Rotensis vita functus est, nil obstat quin tempus dati privilegii ad aliquos dies post ejus obitum diffe-

Unde nos supplicationes devotas prefati abbatis Friderici misericorditer admittentes, pro conservatione salutis nostre et pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum recolende memorie, predictum privilegium, preter clausulam ubi erat rasura (1), de nostra gratia confirmantes sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense martii, quartedecime indictionis, regnante domino nostro Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno sexto, regni Jerusalem primo, regni vero Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Hujus autem rei testes sunt R. (a) Curensis episcopus et venerabilis abbas Sancti Galli dilectus princeps noster, Renaldus dux Spoleti et frater

(a) Scilicet *Rudolphus*. In autographo adest tantummodo initialis littera.

---

ramus, dum certissime Henricus IV Ratisbonae 3 et 9 aprilis 1086 substiterit. (Cf. SCHEID, *Orig. Guelf.*, IV, 419. — *Monum. Boic.*, XII, 96.) Juvat ergo, ut ipsi monent monumentorum Boicorum editores, t. XXXI, p. 366, 368, habita veri temporis ratione ex utroque diplomate supra memorato, locum erasum tali fere modo suae integritati restituere : « Signum » domni Henrici tertii Romanorum imperatoris augusti (*monogramma* cum signo speciali). — » Hermannus cancellarius vice Wecelonis archicancellarii recognovi.— Data [III] nonas aprilis, » anno dominice incarnationis MLXXXVI, indictione IX, anno autem domni Henrici regni » quidem XXXII, imperii vero III. — Actum Ratisbone, presidente Rome apostolicam Sedem » Clemente III, qui et Vicpertus. »

(1) Cum palatinus Cono fundationis suae confirmationem ab antipapa Clemente III obtinuisset, cujus mentionem imperator praeter morem suae propriae confirmationi addiderat, res ista non parum Rotensi monasterio obstaculo fuit, contranitentibus fundationi ac libertati monasterii ejusdem filiis Irmingardis comitissae. Unde dolentes Rotenses privilegium istud nulli sibi unquam usui propterea futurum esse, invidiosam sibi clausulam facta rasura expunxerunt, aliasque notas chronologicas ut in diplomate Friderici legimus subrogaverunt, ineptas quidem et veritati contrarias, suis autem juribus defendendis opportunas. Quam fraudem in instrumento sibi oblato detectam emendandam non duxit Fridericus, lineis ubi erat rasura tantummodo a confirmatione sua exceptis, quum de caetero tenor privilegii authentici intactus remansisset.

Hermannus venerabilis magister Sancte Marie domus Theutonicorum in Jerusalem.

Datum apud Piscariam, anno, mense et indictione predictis.

[Martio circiter.]

Encyclica Friderici Romanorum imperatoris qua communitatibus mandat ut praeparent milites ad suam praesentiam transmittendos, quum intendat apud Cremonam solennem curiam celebrare.

(Edit. in Petri de Vin., *Epist.*, lib. III, cap. LXXVI; coll. cum cod. Paris. *Notre-Dame*, 202, et *Anc. fonds latin*, 2954. Memorat quoque et partim exhibet Sigonius, *De regn. Ital.*, XVII, 50. De tempore autem, cf. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex, potestati Viterbiensi, consilio et toti populo, suis fidelibus, gratiam suam et bonam voluntatem (*a*). Qualiter jura imperii pro varietate temporis precedentis conculcata jaceant et depressa, et qualiter ejus tranquillitas fuerit olim et sit usque ad hec felicia nostra tempora (quod anxie dicimus) perturbata, universi de imperio cujuscunque officii vel conditionis in oppressionibus propriis personarum et rerum dispendiis jam senserunt, et sentiunt incessanter. Nec immerito membra in capite patiuntur, sine cujus integritate, sicut ab experto cognoscitis, nequit membrorum compago illesa servari, et vix sperant reformationem admittere sui status; nisi redintegratio preparetur capiti, a quo subsistentia virium recipiunt firmitatem. Sic enim est hactenus per fas et nefas deductum imperium, sic est nequiter deducta conditio subditorum, ut expediret penitus illicitos excessus, aliquando nobis videntibus perpetratos, conniventibus oculis pertransire; et, quod omnino est gravius, ab imminentis ruine periculo nonnunquam abstinere licitum (*b*),

(*a*) Haec supplentur ex cod. Parisiensi 2954.

(*b*) Sic in impresso; sed locus corruptus videtur. Verisimiliter *cum nunquam abstinere sit licitum*.

velle quod nolumus et nolle quod volumus (a) cogeremur. Volentes igitur jura imperii in statum optimum reformare, subditorumque oppressionibus condolentes, apud Cremonam, proximo die festivitatis Resurrectionis dominicoe nunc instantis (b), de consilio principum palatinorum solennem indiximus curiam celebrandam. Quapropter vobis sub debito fidelitatis, quo nobis astricti tenemini, firmiter et districte precipiendo mandamus quatenus vestros milites (c) armis et equis, qua convenit diligentia, preparetis, ut quum ad finitimas partes imperii noveritis nos feliciter dirigere iter nostrum, eosdem ante nostram presentiam transmittatis; de condigna retributione securi, qua vobis et vestris benemeritis Deo dante curabimus respondere (1).

Fridericus, Romanorum imperator, Hermanno magistro domus Sanctae Mariae Theutonicorum et fratribus ejus concedit auctoritatem accipiendi terram Culm et totam terram quam eidem domui Conradus dux Masoviae et Cujaviae promisit et obtulit, nec non partes Prussiae invadendi et ibidem exercendi debita imperii jura sine ullo servitio vel exactione. Arimlnae, martio.

(Ediderunt LUNIG, *Reichsarchiv*, tom. XVI, p. 15. — SCHURZFLEISCH, *Hist. Ensif.*, p. 27. — DREGER, *Cod. Pomer.*, t. I, p. 117. — DOGIEL, *Cod. Polon.*, t. IV, p. 3. — HENNES, *Cod. ordin. Theuton.*, p. 75, n° 70.)

(a) *Et nolle quod volumus* supplentur ex cod. 2954.
(b) *Nunc instantis* in cod. 2954 desunt.
(c) In eodem codice *nuncios*.

---

(1) Cui sit tempori haec adscribenda epistola, discimus ex isto Riccardi de S. Germano loco, ut sequitur : « Imperator Piscaram se contulit ac exinde in ducatum Spoleti perveniens, » hominibus ducatus ipsius per suas praecipit litteras ut secum in Lombardiam debeant profi- » cisci : quod cum facere ipsi renuerent, praeter papae mandatum cui tenebantur, imperator « ad eos litteras iterat graviores quas illi de ducatu ad papam remittunt. » *Chronic. ad ann.* 1226. Secundas autem Friderici litteras nusquam reperire potuimus.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Amen. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex. Ad hoc Deus imperium nostrum pre regibus orbis terre sublime constituit et per diversa mundi climata ditionis nostre terminos ampliavit, ut ad magnificandum in seculis nomen ejus et fidem in gentibus propagandam, prout ad predicationem Evangelii sacrum Romanum imperium preparavit, sollicitudinis nostre cura versetur; ut non minus ad depressionem quam ad conversionem gentium intendamus, illius provisionis gratiam indulgentes per quam viri catholici pro subjugandis barbaris nationibus et divino cultui reformandis instantiam diuturni laboris assumant et tam res quam personas indeficienter exponant. Hinc est quod presentis scripti serie notum fieri volumus modernis imperii et posteris universis qualiter frater Hermannus venerabilis magister sacre domus hospitalis Sancte Marie Theutonice in Jerusalem, fidelis noster, devotam sui animi voluntatem reserando proposuerit coram nobis quod devotus noster Conradus dux Masovie et Cuyavie promisit et obtulit providere sibi et fratribus de terra que vocatur Colmen et in alia terra, inter marchiam suam videlicet et confinia Prutenorum; ita quidem ut laborem assumerent et insisterent oportune ad ingrediendam et obtinendam terram Prussie ad honorem et gloriam veri Dei; quam provisionem recepisse distulerat et celsitudinem nostram suppliciter implorabat. Quod si dignaremur annuere votis suis ut auctoritate nostra fretus inciperet aggredi et prosequi tantum opus et ut nostra sibi et domui sue concederet et confirmaret serenitas tam terram quam predictus dux donare debeat quam totam terram que in partibus Prussie per eorum instantiam fuerit acquisita, et insuper domum suam immunitatibus, libertatibus et aliis concessionibus quas de dono terre ducis prefati et de Prussie conquisitione petebat, nostre munificentie privilegio muniremus, ipse oblatum donum reciperet dicti ducis et ad ingressum et conquisitionem terre continuis et indefessis laboribus bona domus exponeret et personas. Nos igitur attendentes promptam et expositam devotionem ejusdem magistri qua pro terra ipsa sue domui acquirenda ferventer in Domino estuabat, et quod terra ipsa sub monarchia imperii est contenta,

confidentes quoque de prudentia magistri ejusdem quod homo sit potens opere et sermone ac per suam et fratrum suorum instantiam potenter incipiet et conquisitionem terre viriliter prosequetur nec desistet inutiliter ab inceptis, quemadmodum plures multis laboribus in eodem negotio frustra temptatis cum viderentur proficere defecerunt, auctoritatem eidem magistro concessimus terram Prussie cum viribus domus et totis conatibus invadendi; concedentes et confirmantes eidem magistro, successoribus suis et domui sue in perpetuum tam predictam terram quam a prescripto duce recipiet ut promisit et quamcumque aliam dabit, nec non terram quam in partibus Prussie Deo faciente conquiret, velut vetus et debitum jus imperii in montibus, planitie, fluminibus, nemoribus et in mari, ut eam liberam sine omni servitio et exactione teneant et immunem et nulli respondere proinde teneantur. Liceat insuper eis per totam terram conquisitionis eorum, sicut acquisita per eos et acquirenda fuerit, ad commodum domus passagia et theolonia ordinare, nundinas et fora statuere, monetam cudere, talliam et alia jura taxare, directuros per terram in fluminibus et in mari sicut utile viderint stabilire, fodinas et meieras auri, argenti, ferri et aliorum metallorum ac salis que fuerint vel invenientur in terris ipsis possidere perhenniter et habere. Concedimus insuper eis judices et rectores creare qui subjectum sibi populum, tam eos videlicet qui conversi sunt quam alios omnes in sua superstitione degentes, juste regant et dirigant, excessus malefactorum animadvertant et puniant secundum quod ordo exegerit rationis, preterea civiles et criminales causas audiant et dirimant secundum calculum rationis. Adjicimus insuper ex gratia nostra quod idem magister et successores sui jurisdictionem et potestatem illam habeant et exerceant in terris suis quam aliquis princeps imperii melius habere dinoscitur in terra quam habet: ut bonos usus et consuetudines ponant, assisias faciant et statuta quibus et fides credentium roboretur et omnino eorum subditi pace tranquilla gaudeant et utantur. Ceterum auctoritate presentis privilegii prohibemus ut nullus princeps, dux, marchio, comes, ministerialis, scultetus, advocatus, nullave persona sublimis vel humilis, ecclesiastica vel mundana, contra presentis concessionis et confirmationis nostre paginam au-

deat aliquid attemptare. Quod qui presumpserit penam mille librarum auri noverit se incursurum, quarum medietas camere nostre, reliqua passis injuriam persolvetur. Ad hujus itaque concessionis et confirmationis nostre memoriam et stabilem firmitatem, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa fecimus communiri.

Hujus rei testes sunt Magdeburgensis, Ravennensis, Tyrensis, Panormitanus et Reginus archiepiscopi, Bononiensis, Mantuanus, Taurinensis, Ariminensis et Cesenas episcopi, Saxonie et Spoleti duces, Henricus de Schwartzburg, Guntherus de Kevernberg, Wernherus de Kyburg, Albertus de Habechspurc, Ludovicus et Hermannus de Froburch, et Thomas de Acerris comites, Richardus marschalcus et Richardus camerarius imperialis aule, Albertus de Arnstein, Gotfridus de Hoenloch et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jherusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense martii, quartedecime indictionis, imperante domino Frederico Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jherusalem et Sicilie rege, Romani imperii anno ejus sexto, regni Jherusalem primo, regni Sicilie vicesimo sexto (*sic*), feliciter. Amen.

Datum Arimine, anno, mense et indictione prescriptis.

[Aprili circiter.] Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribit increpando super eo quod non contentus finibus quibus contenti fuerant ii qui ipsum in imperio antecesserunt, patrimonium beati Petri invadere presumpsit; quare monet eum sub poena excommunicationis quatenus apostolicae Sedis jura de caetero per se vel per alium nullomodo inquietet.

(Edid. Fred. Hahn, *Collect. monum. vet. et recent.*, t. I, bull. pontif., n° XXV, p. 149-152.)

Honorius (*a*) episcopus, servus servorum Dei, Friderico Dei gratia Romanorum imperatori, semper augusto, salutem et apostolicam benedictionem. Quamvis ad regimen Apostolice Sedis que Domino disponente mater omnium dinoscitur et magistra, nos insufficientes meritis et sapientia reputemus, altissimi tamen patris misericordia suffragante, ab illis optamus pro viribus abstinere per que contra nos indignationem Domini provocemus, et sollicite omnibus intendere nunc et semper quorum interventu officium administrationis exhibite laudabiliter exequi comprobemur. Ne igitur de illorum esse numero videamur qui humanam amittere gratiam formidantes loqui libere pertimescunt, murum pro domo Israel ponere nos oportet et libera voce illorum incursibus contraire qui temporali confisi potentia nobis presumunt in spiritualibus adversari. Si ergo aspere scribimus imperatorie majestati, ex aliquo supercilio aut elacionis specie non procedit, sed quia scriptum est: « Clama cum necesse est, quasi tuba exalta vocem tuam, argue, obsecra, increpa, insta oportune ac etiam importune, » tum quia turbamur non modicum et dolemus te subito conversum in arcum perversum, quem fore Sedis Apostolice filium protectorem firmissime dicebamus. Jam quantum desideraverimus personam tuam ad imperiale fastigium sublimari et qualiter nos ac etiam venerabiles fratres nostri operam dederimus efficacem ut coronam imperii [pre] ceteris circumscriptis (?) principibus obtineres, presenti pagina non duximus inserendum, quia te latere non debet cum per cunctas orbis partes fuerit divulgatum. Attende igitur apicem dignitatis, qui per Sedem Apostolicam sublimatus merito debes Romanam Ecclesiam matrem tuam et dominam revereri et ipsam multipliciter honorare, et recognoscere Deum celi qui deponit potentem de sede et sublimat pauperem et egenum. Sed quod Dei timorem pre oculis non habeas, ut decet imperatoriam majestatem, ex fructibus tuis colligitur evidenter, quia opera que facis perhibent testimonium veritati. Non enim videntur sufficere tibi fines quibus fuerunt contenti qui te in imperio precesserunt, immo patrimonium beati Petri jam invadere presumpsisti et ipsum undique niteris usurpare, non attendens qualiter dis-

(*a*) Licet in impresso legatur *Innocentius*, non dubium est quin hoc nomen in codice perperam pro *Honorius* irrepserit.

pliceat Deo patri et cunctis debeat mortalibus displicere, cum per te non debeat minui, sed augeri. Nam inter claras magnitudinis tue laudes tanquam solis radius pre ceteris radiares, si debitam Romane Sedi reverentiam exhiberes ejusque augmento studiose intenderes et honori, quia nihil est quod magis imperiale decus roboret vel exornet quam ecclesias, personas ac res ecclesiasticas venerari et in festinatione pravorum impetum refrenare; cum autem illorum impetum non refrenas, immo quod gravius est, per te ipsum inquietare Sedem Apostolicam incepisti, qualiter vinculo fidelitatis es nobis nostrisque successoribus obligatus scire debes. Ergo fortitudinem tuam accinge ne illud propheticum ascribatur, in quo dicitur : « Homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis. » Memorare itaque novissima et antiqua tua juxta sententiam sapientis, ut facilius te possis ab illicitis abstinere. Considera quod dies Domini, sicut fur de nocte, venit cui potentia terrena resistere nunquam valet. Animadverte quod omnes stabimus ante tribunal Christi, rationem de omnibus que gessimus reddituri. Attende preterea diligenter quod quanto gradus altior, tanto casus gravior comprobatur. Numquid in illo tempore audivisti quod Nabugadonosor confisus in potentia temporali propterea quod in robore sue fortitudinis et glorie incepit se nimium exaltare, subito regnum amisit et in bovem fuit ex homine commutatus, fenum tanquam brutum animal comedit et cum feris per VII annorum spacium in solitudine habitavit. Pharaonem autem te habere volumus in exemplum; quia cor ejus semper extitit induratum, divino percussus judicio periit in eternum, cujus acta exitus approbavit, quem referre vel audire propter diversarum penarum genera non modicum aborremus. Habeas pre oculis que modernis temporibus facta sunt in antecessore tuo videlicet Frederico, qui fidelitatem nolens ut tenebatur Sedi Apostolice observare, combussit prima facie porticum Sancti Petri et alia preter modum gravamina intulit Ecclesie sacrosancte, pro quorum meritis in ipso corpore tulit penam et ipsam in filios derivavit, quia scriptum est : « Ego sum Deus celi qui vindico peccata patrum in filios usque in quartam et terciam generationem. » Nam Fredericus ipse volens sepulcrum Domini personaliter visitare, Israelitis

non immerito potuit comparari, qui propter peccata sua repromissionis terram nequaquam ingredi meruerunt; qui antequam Jerusalem intraret, morte fuit repentina in quodam flumine suffocatus, cujus animam optamus ad celestis Jerusalem consorcium pervenisse. Postea sicut totus orbis manifeste novit, divina ultio filios ejus, Henricum videlicet et Philippum, tetigit et punivit. Quid ergo in malitia gloriaris? Quid in iniquitate desideras esse potens? Quid invadere niteris aliena, cum latissime sufficiant tibi tua et cum ipsa non sis longo tempore possessurus? Nescis quod mens potentie avida non novit gaudere concessis, nec a vetitis abstinere conaris? Ignoras quod per injusticiam plus petendi, summa totius debiti vacuatur? Dubitas quin amittere privilegium mereatur qui permissa sibi abutitur potestate? Hoc si quidem non propterea scribimus ut imperiali corone injuriam irrogare velimus, sed ut possimus te a pravis actibus revocare et ad viam reducere veritatis. Quia quanto personam tuam inter ceteros principes christianos sinceriori diligimus caritate, tanto molestius et gravius reputamus quod ea facere non vereris que in nostra redundare gravissima gravamina dinoscuntur, nec intueris corporis opprobrium nec anime detrimentum. Cum igitur gladio spirituali bona ecclesiastica defendere teneamur et de quolibet peccato mortali corripere quemlibet christianum ac etiam si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam coercere, te monemus, inducimus et hortamur atque sub pena excommunicationis tibi damus firmiter in mandatis quatenus Apostolice Sedis jura de cetero per te vel per alium nullatenus inquietes, et que nobis jurasti servare studeas sine fraude, in nulla magnitudine vel potentia confidendo, quia non est apud Deum acceptio personarum. Scriptum est enim ita : « Judicabo magnum ut parvum, » et alibi : « Constitui te super gentes et regna ut evellas et destruas, dissipes, edifices atque plantes. » Plantavimus enim pro vinea ecclesiastica vitem que versa est nobis in amaritudinem labrustarum. Caveas ne propterea Deus destruat te in finem et radicem tuam de terra viventium evellat, dissipet atque dispergat. Nos autem non poterimus evitare, si diu in tua duraveris pravitate, quin te sententia anathematis feriamus (1).

(1) Cf. supra p. 549, not. (1), de litteris Friderici ad homines ducatus Spoleti directis et ad

---

Apud Ravennam, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterium Sanctorum Petri et Pauli in Wilzeburg cum omnibus possessionibus ejus sub sua protectione recipit.

(Edit. in Jungs, *Antiquit. monast. in Wilzburg*, p. 5. — Schutz, *Corp. histor. Brandenb.*, sylloge pars II, p. 66, num. 29, similiter ex insertione, p. 173, num. 141, ac p. 260, num. 224. — Falkenstein, *Antiquit. Nordgav.*, sive *Cod. ad antiq. Nordg.* tom. IV, p. 48, n° 31. — *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 136-137, num. DCLXXV, ex originali, unde sigilli fragmentum appendet ex filis sericis rubri coloris.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Impensis a Domino beneficiis respondemus et ei gratiarum offerimus holocaustum, cum sacrosanctas ecclesias et monasteria Deo dicata favore nostre gratie intuentes, eorum paci et quieti misericorditer providemus, et que tam a principibus quam a quibuslibet aliis ipsis sunt pie collata, imperialis nostra serenitas ratihabitione confirmat. Inde est quod nos attendentes piam erga Deum fidei ac devotionis intentionem Peregrini venerabilis abbatis et conventus monasterii Sanctorum Petri et Pauli in Wilzeburc, fidelium nostrorum, considerantes nichilominus ipsius loci Deo gratam et honestam religionem, quam cotidie de bono in melius crescere et in Christo proficere bene redolens attestatur opinio pluri-

---

papam remissis. « Quas ipse papa moleste ferens, quod homines Ecclesiae sub certa poena vo- » cabat Cesar ad expeditionem, suas ad eum *litteras* dirigit, quas ipse imperator graves » reputans *rescribit ei quasi de pari;* et quia in rescripto ipso suam voluntatem satis imperator » voluit declarare, duxit ipse papa sibi *asperius rescribendum*. Propter quod imperator, ut » ipsius placaret animum, rescribit humiliter in omni subjectione. » Ricc. de S. Germ., *Chron. ad ann.* Secundam quoque Papae epistolam notissimam, sed magni momenti, suum ad locum denuo exhibebimus. Nil vero certi super imperialibus litteris usque nunc habemus. Cf. infra, exeunte maio, et in *Additamentis* ad calcem hujus voluminis.

morum, cum ab eo qui largitor est omnium rex statutus vite beneficium, imperii sceptrum et collata nobis etiam cetera cognoscamus, de innate nobis benignitatis gratia et obtentu retributionis eterne, sed et pro remedio animarum felicium augustorum quondam progenitorum nostrorum dive recordationis, ad nostre quoque salutis et exaltationis augmentum, monasterium ipsum, abbatem et conventum predictos cum omnibus bonis suis que in presenti juste tenet et possidet, et que in antea justo titulo poterit adipisci, clementer sub nostre majestatis protectione recipimus per potentie nostre brachium benigno semper patrocinio confovendum. De habundantiori quoque gratia celsitudinis nostre qua loca religiosa benigne semper consuevimus intueri, omnia bona, possessiones et tenimenta que largitione predecessorum nostrorum felicium augustorum Romanorum imperatorum seu regum vel aliorum quorumcumque oblatione fidelium eidem monasterio a fundationis sue primordio sunt collata, prout ea omnia idem monasterium ex tunc usque ad hec nostra felicia tempora juste dignoscitur possidere, ipsi monasterio concedimus et perpetuo confirmamus. Statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona parva vel humilis, ecclesiastica vel secularis, jam dictum monasterium de predictis omnibus contra hujus protectionis, concessionis et confirmationis nostre tenorem, impedire seu molestare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam indignationem nostram et penam quinquaginta librarum auri se noverit incursurum, medietatem camere nostre et alteram medietatem passis injuriam persolvendam. Ut autem hec omnia rata semper et inconvulsa permaneant, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus,... episcopus Curensis et abbas Sancti Galli, A. dux Saxonie, R. dux Spoleti, comes C. de Wasselburc, comes G. de Queureberc, comes S. de Vienna et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vi-

cesimo sexto, mense aprilis, quartedecime indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni Jerusalem primo et regni Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum aput Ravennam (1), anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Ravennam, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, monasterio Sancti Pauli de Lavant in Carinthia privilegium ab avo suo Friderico primo imperatore concessum confirmat.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 131, n° 571, ex copia a Pertz communicata.)

Datum apud Ravennam, anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense aprilis, quartadecima indictione.

Apud Ravennam, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, Gualderadam abbatissam monasterii Sancti Andreae in Ravenna et sorores ejus in protectione sua recipit speciali, eisque omnes possessiones et bona perpetuo confirmat.

(Edidit Fantuzzi, *Monum. Ravennat.*, tom. I, n° CLXII, p. 351.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et

---

(1) « Tunc imperator mittit a Ravenna, ubi Pascha Domini celebrat (19 april.), Henrico » Alemanniae regi filio suo ut sibi in Lombardiam occurrat. » Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Sicilie rex. Licet imperialis et regie dignitatis immensitas decoretur cum ad utilitatem omnium subjectorum suorum manum liberalitatis extendit, debet tamen voluntas recte regnantium illas specialiter pie compassionis oculis intueri, que angelice puritatis similitudinem inter humane fragilitatis periculosa naufragia felici continentia representant et, relictis humanis illecebris, devote . . . . famulantur Altissimo, et ad gaudia perpetuo duratura votis continue caritatis perpetuo aspirant. Universis igitur imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futüris volumus esse notum quod accedens ad presentiam nostram Gualderada venerabilis abbatissa monasterii Sancti Andree de Ravenna, fidelis nostra, celsitudini nostre devote satis et humiliter supplicavit ut personam ejus et sororum suarum in eodem monasterio simul cum ea Domino famulantium nec non et monasterium ipsum sub speciali protectione et defensione nostra et imperii recipientes, omnes possessiones et bona alia que largitione imperatorum felicium predecessorum nostrorum, donatione principum vel oblatione quorumcumque aliorum Christi fidelium, monasterium ipsum juste possidet et quiete, confirmare sibi de nostra gratia dignaremur. Nos autem considerantes quod propter fragilitatem sexus abbatissa predicta et sorores ejus defensione nostra indigent speciali, volentes etiam ut per observantiam tranquillitatis et pacis quam specialiter monasticus ordo requirit, in eodem monasterio cotidie crescat et floreat cultus Dei, supplicationes ipsius clementer admisimus, et personam ejus et sorores suas et omnes que ipsis successerint in futurum sub speciali protectione et defensione nostra et imperii recipientes, omnes possessiones et bona alia que largitione imperatorum felicium predecessorum nostrorum, donatione principum vel oblatione quorumcumque aliorum Christi fidelium, juste tenet et possidet, ipsi monasterio perpetuo confirmamus; statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona parva vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictam abbatissam et sorores suas ac successores earum necnon et monasterium supradictum in personis et bonis aliis supradictis inquietare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam quinquaginta libras auri puri componet, medietatem camere nostre, reliquam

passis injuriam persolvendam. Ut autem hec nostra protectio et confirmatio rata semper et inconvulsa permaneat, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt Albertus Magdeburgensis et Lando Reginus archiepiscopi, . . . Curensis episcopus et abbas Sancti Galli, . . . Cicensis, Jacobus Taurinensis, Maynardinus Ymolensis episcopi, dux Saxonie, Raynaldus dux Spoleti, A. marchio Estensis, comes Gunterus de Quenrebert (*a*), comes R. de Ravensburc, comes S. de Vienna et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma*).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense aprilis, quartedecime indictionis, [imperante Friderico], Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, [regni] Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Ravennam, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Ravennam, aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, Herluino Musteriensi (Tarentasiensi) archiepiscopo privilegium Henrici imperatoris patris sui eidem ecclesiae indultum renovat et confirmat, statuitque ut bona decedentium archiepiscoporum integre successoribus eorum reserventur.

(Edit. in *Gallia christiana*, t. XII, p. 391. Quae in privilegio Henrici sexti deerant supplevimus ex privilegio Friderici primi, ibid., p. 387.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et

(*a*) Sic pro *Quevreberc* ut in altero, scilicet *Kevernberg*.

Sicilie rex. Cum imperatoriam deceat majestatem merita suorum fidelium diligenter attendere et subjectorum supplicationibus justis adesse, tanto potius ad sacrosanctas ecclesias oculos tenetur reducere pietatis, quanto regis regum . . . . Inde est igitur quod Herluinus venerabilis Musteriensis (1) archiepiscopus, fidelis noster, per Johannem canonicum ejusdem ecclesie, fidelem nostrum, quoddam privilegium divi augusti quondam patris nostri domini imperatoris Henrici recordationis inclyte jamdudum eidem ecclesie sue ab ipso patre nostro concessum nostre celsitudini presentavit, humiliter supplicans et devote quatenus privilegium ipsum de verbo ad verbum transcribi et que in ipso continentur eidem ecclesie confirmare in perpetuum de nostra gratia dignaremur; cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, rex Sicilie. Ad superni regis gloriam et imperialis corone ab eo nobis credite temporalem excellentiam animeque remedium [potissimum nobis prodesse speramus, si ecclesias Dei et ecclesiasticas personas] non solum in jure et honore suo conservamus, verum etiam [in suo] robore protectionis nostre munimine dilatamus, quatenus Martha [in suo exteriori ministerio necessitati temporalium] sufficienti officio, Maria interiori divinorum contemplatione per orationes securius intente, sinum perennis misericordie speciali religionis sue suffragio valeant animabus nostris et filiorum predecessorumque nostrorum aperire. Ea propter tam presens etas fidelium imperii quam successiva posteritas cognoscat quod nos attendentes honestatem dilecti et fidelis nostri Aymonis venerabilis Musteriensis archiepiscopi, religiosam quoque conversationem congregationis ecclesie de Musterio, ipsum archiepiscopum et ecclesiam ejus quam serenissimus pater noster Fridericus Romanorum imperator divus augustus de regalibus Tarentasiensis archiepiscopatus per sceptrum imperiale solemniter investivit et personas inibi divinis mancipatas et mancipandas obsequiis, cum omnibus rebus atque possessionibus suis quas nunc habent vel in posterum, prestante

(1) Scilicet de *Mustier* seu *Moustier;* vulgo *Tarentaise.*

Domino, poterunt obtinere, foris videlicet, agris, vineis, pratis, pascuis, silvis, planis, montanis, aquis aquarumque decursibus, aliisque prediorum et possessionum bonis que propriis nominibus subter exprimenda decernimus : videlicet civitatem de Musterio cum omnibus appendiciis suis, castrum Sancti Jacobi, castrum de Briançone et partem quam habet in castro de Conflens, Villetam, vallem de Bosellis, vallem de Allodiis, vallem Sancti Johannis, villam de Flacheria, villam de Comba, vallem Sancti Desiderii, vallem de Lucia cum omnibus earum attinentiis, sub protectione defensionis nostre suscepimus, et hec omnia eidem archiepiscopo et pretaxate ecclesie successoribusque suis cum omnibus feudis et casamentis que in presentiarum possident vel alii nomine suo tenent imperiali auctoritate confirmamus. Ex abundanti quoque imperialis gratie magnificentia concedimus sepedictis archiepiscopo et ecclesie ut ad tuitionem atque juvamen suum eis libere liceat in locis idoneis castra construere, destructa reedificare, bona quoque tam rerum quam possessionum suarum sive per violentiam aliquorum eis ablata sive per dispendium retroacti temporis omissione involuta, nullius impediente contradictionis obstaculo, in primam libere facultatis tutelam recuperare. Quo circa sub obtentu nostre gratie districtis inhibendum mandatis duximus ne aliqui eorum qui feuda Musteriensis ecclesie nomine ipsorum tenent, bonos usus feudorum ab eis subtrahere nec aliquatenus minuere, imo nec ipsa feuda et bonos usus eorum dissimulare vel damnoso silentio supprimere presumant, nec aliquo prorsus ingenio sive facto tentent alienare a libera possessione et dominio sepius dictorum archiepiscopi et ecclesie. Ut igitur hec nostre protectionis et confirmationis pagina omni evo rata et inconvulsa permaneat, presens inde privilegium conscribi jussimus et nostre majestatis sigillo aureo communiri; statuentes et auctoritate imperiali sancientes ut nullus dux neque marchio neque comes aut vicecomes, nulla potestas aut civitas, nullus consulatus, nulla denique persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, ei presumat obviare vel aliquibus calumniarum injuriis seu damnis eam ullomodo vitiare attemptet. Quod qui fecerit in ultionem temeritatis sue componat centum libras auri puri, medietatem imperiali fisco et reliquum injuriam passis. — Hujus rei testes

sunt Angelus Tarentinus archiepiscopus, Petrus tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis, Otho Novariensis episcopus, Guido Yporegiensis episcopus, Bonifacius marchio, Bernardus senescallus, Henricus marscallus, Henricus de Lutra (a), Thomas de Nona et alii quamplures. — Signum domini Henrici Romanorum imperatoris invictissimi, regis Sicilie. — Ego Conradus Ildesemensis electus, imperialis aule cancellarius, vice Radulphi Coloniensis archiepiscopi et totius Italie archicancellarii recognovi. — Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCXCVI, indictione decima tertia, regnante domino Henrico sexto imperatore gloriosissimo et rege Sicilie potentissimo, anno regni ejus vigesimo septimo, imperii vero sexto et regni Sicilie secundo. — Datum apud Taurinum, per manus Alberti imperialis aule protonotarii, quinto kalendas augusti.

Nos igitur supplicationes predicti archiepiscopi fidelis nostri benignius admittentes, considerantes quidem ipsius devotionem et fidem quam ad nostram habere dignoscitur majestatem, pro reverentia quoque Dei et nostre conservatione salutis ac pro remedio animarum dicti quondam patris et matris nostre ac aliorum predecessorum nostrorum augustorum memorie recolende, predictum privilegium de verbo ad verbum sicut superius continetur transcribi jussimus, et ipsum et que continentur in ipso jamdicto archiepiscopo et suis successoribus ac memorate Musteriensi ecclesie perpetuo confirmamus. De abundantiori quoque gratia celsitudinis nostre qua Dei ecclesias benigne semper consuevimus intueri, precipimus firmiter statuentes ut omnia bona tam mobilia quam immobilia decedentium archiepiscoporum per manus officialium suorum fideliter et integre suis successoribus reserventur, ita quod nec comes nec alius occasione regalium nostra vel alicujus alterius auctoritate ea presumat invadere que ipsis archiepiscopis in perpetuam elemosynam concedimus et donamus. Statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona parva vel humilis, ecclesiastica vel secularis, prefatum archiepiscopum et successores suos ac ecclesiam supradictam de supradictis omnibus ausu temerario impedire seu perturbare presumat;

(a) Sic correximus *Henricus Marcellus, Henricus de Lucia.*

quod qui presumpserit in sue temeritatis vindictam preter prescriptam penam quinquaginta librarum auri puri componat, medietatem camere nostre et alteram medietatem passis injuriam. Ut autem hec nostra confirmatio, concessio et donatio rata semper et illibata permaneat, presens privilegium fieri et bulla aurea tipario (*a*) nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis et Lando Reginus archiepiscopi, . . . Curensis (*b*) [et] abbas Sancti Galli, . . . Cicensis, Jacobus Taurinensis, M..Imolensis episcopi, . . . dux Saxonie, Raynaldus dux Spoleti, A. marchio Estensis, comes Gonterius [de Kevernberg], comes R. de Ausburg (*c*), comes S. de Vienna et alii quamplures.

Signum domini Frederici II Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXVI, die . . . . mensis aprilis, indictione decima quarta, imperante domino Frederico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno romani imperii sexto, regni vero Sicilie vigesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Ravennam, anno, mense et indictione prescriptis.

Apud Ravennam, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, Camaldulensi eremo et Guidoni ejus priori omnia ea confirmat, quae antea a Friderico primo avo suo anno 1154, 3 decembris, et ab Henrico patre suo anno 1186, 6 octobris, eidem eremo concessa fuerunt.

(Edider. Mittarelli et Costadoni, *Annal. Camaldul.*, t. IV, append. p. 450, ex cod. membran. Sancti Michaelis Pisarum. Cum tamen privilegium Fride-

(*a*) In impresso *tessera,* male.
(*b*) Litteram initialem *C.* ita complemus.
(*c*) Forsitan *de Habsburg,* nisi legendum sit *Ravensburg,* ut in praecedenti.

rici I (t. III, *Append.*, p. 473), et alterum Henrici VI omnino consimile (t. IV, *Append.*, p. 153) jam ediderint, ex isto tantummodo exhibent quae circa finem diplomatis adduntur.)

. . . . . Confirmamus insuper eidem heremo monasterium Sancti Michaelis de Lemo quod ei contulit Wolfcherus quondam Aquilegiensis patriarcha et princeps imperii, secundum quod in scripto continetur ipsius; confirmantes nihilominus sibi ecclesiam sancti Michaelis positam in palude juxta canalem de Muriano, sicut eam cum pertinentiis suis temporalibus et spiritualibus Marcus Castellanus episcopus eremo predicto concessit (1). Ad hec autem nuntiis nostris per Italiam constitutis, etc. Statuentes ut presentis privilegii, etc. Ut autem hec nostra concessio, etc.

Hujus vero rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Lando Reginus archiepiscopus, ... Curensis et abbas sancti Galli, ... Cicensis, Jacobus Taurinensis, M. Imolensis episcopi, ... dux Saxonie, ... lantgravius Thuringie, Rainaldus dux Spoleti, comes R. (G.) de Queurenberc, comes Syfridus de Vienna et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense madii, quartadecima indictione, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus VI, regni Jerusalem primo, regni Sicilie XXVIII, feliciter. Amen.

Datum apud Ravennam, anno, mense et indictione prescriptis.

Imperator a Ravenna discedens, extra Faventiam quae sibi adversa erat iter habens (2), apud castrum Sancti Johannis in terri- Apud castrum S. Johannis, Imolam et Parmam, maio.

(1) Cf. *ibid.*, p. 225, et in Append. docum., p. 312, n[is] 190, 191, 192.

(2) Fridericus apud Ravennam per quinque stetit hebdomades, nobilesque et legatos ur-

torio Bononiensi posuit castra sua, ipsum parte sui exercitus per civitatem Bononiae praeeunte. Exinde vero se Imolam contulit ubi tamdiu moram fecit donec, sicut prius fuerat, eam fecit aggeribus communiri. Et procedens inde versus Parmam dirigit iter suum. Ricc. de S. Germ., *Chronic. ad ann.*

Apud Imolam, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, renovat et confirmat privilegium Henrici quinti imperatoris monasterio Sancti Vitalis Ravennati (circa annum 1115) concessum, et alias immunitates adjicit.

(Edit. apud Margarini, *Bull. Cassin.*, t. II, p. 257, 258, 259, ex arch. monast. Sancti Vitalis Ravenn.; sed parum recte parumque integre.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex. Inter cetera pietatis opera quibus liberalitas nostra gratius obsequitur regi regum, illud est precipuum et divino gratissimum conspectui presentatur per quod ecclesias et loca religiosa suo nomini dedicata respicimus, quorum utilitatibus providentes auctorem cui serviunt in sanctis suis devotius honoramus, nostris accumulantes provectibus quicquid in aula sancta ejus a nostra munificentia piis affectibus erogatur. Hinc est igitur quod nobis feliciter transeuntibus per Ravennam, Hugo venerabilis abbas et conventus monasterii Sancti Vitalis de Ravenna, fideles nostri, per Landum venerabilem Reginum archiepiscopum dilectum familiarem et fidelem nostrum celsitudini nostre humiliter presentaverunt quoddam privilegium quod monasterio ipsorum olim Henricus quartus

---

bium Romaniolae sibi fidelium ibi recepit, qui apud Cesnam ejus praecepto fixere tentoria. Dum tamen ipse a parte superiori per Tiliaveriam caperet iter et fautores ejus improvidi per Faventiam transirent, subito concitato tumultu, Faventini in istos irruerunt et rebus omnibus spoliatos ad fugam coegerunt. Cf. Tolosan. ap. Mittarelli, *Access. Hist. Favent.*, p. 171.

Romanorum imperator recordationis inclite, predecessor noster, pie indulxerat, attentius supplicantes ut pro eo quod tam in pagina quam in bulla cerea qua munitum extiterat nimia jam fuerat vetustate consumptum, mandaremus de verbo ad verbum transcribi et confirmare sibi de nostra gratia dignaremur; cujus continentia talis erat :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia quartus, Romanorum imperator augustus. Si circa sanctorum loca beneficia condigna impendimus, hanc nostram imperialem majestatem concedere credimus et insuper eterna premia nos inde adipisci confidimus. Qua propter omnium Christi nostrorumque fidelium universitatem scire volumus qualiter nos ob amorem Christi et ejus genitricis et Sancti Vitalis, ac per interventum nostre contectalis Mactildis et aliorum principum nostrorum, scilicet Arpo episcopus Feltrensis, Arnulphus cappellanus, Anselmus de Busco marchio, Guido Strata, Malusperone, Conradus mariscalcus, Malustalliatus, nec non Maleguarnitus, nec non Anselmus, ceterorumque fidelium nostrorum, abbatiam Sancti Vitalis Ravenne ab antecessore nostro Ottone imperatore a Joanne Ravennatis ecclesie archiepiscopo ordinato monasterio (*sic*) ac postea ab Henrico nostro antecessore corroboratam cum omnibus suis pertinentiis, quicquid videlicet predicta abbatia per aliquod munimen cartularum vel traditionum detinet vel eidem pertinet ab ecclesia Romana et Ravennate aut aliqua alia, seu etiam quicquid jure proprietatis detinet aut acquirere in futuro poterit, id est quicquid infra muros civitatis vel in suburbio habet vel possessura est, et insuper curtem Sancti Laurentii in Scornio cum omnibus pertinentiis suis infra toto comitatu Ferrarie et in toto saltu cum piscariis in Pado vel ubique positis, cum paludibus, venationibus, aucupationibus circum Ravennam similiter positis; curtem etiam Sancti Theodori cum omnibus pertinentiis suis, cum paludibus, piscariis, venationibus, aucupationibus, silvis, spinetis, salinis, cotomis vel quicquid habet vel acquirere debet in toto comitatu Ficoclensi vel Cesene, verum etiam curtem Sancte Marie in Gauriolo cum omnibus sibi pertinentibus, curtem Sancti Joannis in Mariniano cum omnibus sibi vel subjacentibus vel ubique positis infra toto comitatu Arimini, verum etiam quicquid habet in toto comitatu Fa-

nensi vel in toto comitatu Senogallie; curtem etiam Sancti Petri in Ponticello cum omnibus pertinentiis suis in planis vel in montaneis vel ubique positis, et insuper ecclesiam Sancti Petri in Casaliclo cum omnibus suis pertinentiis circumquaque positis et quicquid infra civitatem Faventie vel extra ubique positis, quicquid in his duobus comitatibus Faventie scilicet et Imole vel ubique positis; hec omnia cum areis, edificiis, castris, cappellis, silvis, pratis, pascuis, salectis, olivetis, vinetis, montibus, vallibus, planiciebus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, venationibus, salinis et cum omni utilitate que vel nominari vel scribi potest, verum etiam curtem Sancti Laurentii in Ariclania cum omnibus suis pertinentiis; terram etiam Alberti judicis quoquomodo data vel a monasterio alienata sit illi restituo, sicut tribunal investivit precepto nostri antecessoris, scilicet Ronchum et totam etiam Sanctam Mariam in Tribbo et ambo molendina; et insuper concedo nondum concessum ut ubicumque est sui juris inter Ravennam et Faventiam supra flumen Fantinum edificandi molendinum sine alicujus calumnia, hec omnia ab omni subjectione archiepiscopatus et ullis dominantium personis subjecta (*sic*) sintque monachi ejus ab omnis secularis servitii infestatione securi, nulli persone parve vel magne nisi nostre de placito respondentes et ab omni angaria sive fodro tam nostra quamque missorum nostrorum seu omnium secularium potestatum cum suis omnibus remoti. Qui etiam de suis abbatem eligant qualem voluerint absque omni calumnia. Si quis autem hoc preceptum imperiale nostrum infringere presumpserit, componat ducentas libras auri cocti, medietatem camere nostre et medietatem prelibate abbatie. Quod ut verius credatur, hanc paginam imperialem manu propria roboratam sigillari jussimus. — Signum domini Henrici quarti Romanorum imperatoris invictissimi. — Burcardus cancellarius recognovi.

Nos igitur attendentes pias supplicationes predictorum abbatis et conventus monasterii memorati per jamdictum venerabilem Reginum archiepiscopum, dilectum familiarem nostrum, coram celsitudine nostra porrectas, favore dignas et justitie inherentes, divine retributionis obtentu nec non ob salutem animarum divorum augustorum parentum nostrorum memorie recolende, pro salute quoque et incolumitate nostra, intuitu etiam

dicti archiepiscopi tam honestis precibus insistentis cum eo gratiam facientes, favorabilem petitionem ipsius pro eodem monasterio propositam clementer admisimus et indemnitati ejusdem monasterii providentes privilegium ipsum de verbo ad verbum transcribi precepimus et illud ac omnia que continentur in eo duximus de innata clementia confirmanda; concedentes insuper eidem abbati et conventui monasterii supradicti de nostre gratie ubertate ut liceat eis amodo extrahere ac deferre victualia ceterosque fructus perceptos de campis et possessionibus eorum, ligna et carnes salitas et recentes quocunque voluerint ad sustentationem eorum et pro suis utilitatibus et monasterii faciendis, non obstante statuto aliquo a communibus civitatum de non extrahendis ab eis et districtibus earum predictis rebus et aliis deferendis aliquo tempore promulgato. Preterea de affluentiori gratia et favore adjiciendo concedimus ut liceat eidem abbati et conventui suo quotiens expedierit pro negotiis ejusdem monasterii et hominum suorum commissorias litteras Romanorum pontificum seu etiam legatorum suorum contra cives Ferrarienses vel de districtu eorum ad delegatos judices impetrare, statuto illo quod a Ferrariensibus emanavit, videlicet quod non licet alicui vel aliquibus habentibus possessiones ibidem aliquem suorum civium vel de districtu suo sub pretextu commissionis vel delegationis alicujus extra Ferrariam vel districtum suum ad causam trahere, contra idem monasterium nullatenus validuro. Et quoniam monasterium sepe dictum a violentis occupatoribus in suis possessionibus multipliciter dicitur esse lesum, de gratia nostra concedimus ut ipsi monasterio in recuperandis possessionibus suis a personis laicis detentis centenaria prescriptio non obsistat. Ad hujus itaque confirmationis et concessionis nostre memoriam et robur perpetuo validurum presens privilegium fieri et sigilli nostri robore jussimus communiri.

Hujus autem rei testes sunt dilecti principes nostri venerabiles Madeburgensis, Mediolanensis et Reginus archiepiscopi, Curiensis et Cicensis episcopi, langravius Turingie, Rainaldus dux Spoleti, marchio de Baden, Guido comes palatinus, frater Hermannus venerabilis magister sacre domus Theutonicorum, Ricardus camerarius noster, et quam plures alii.

Signum predicti domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Ierusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, mense madii, quartadecima indictione, imperante domino nostro Friderico Dei gratia gloriosissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Ierusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus sexto, regni Ierosolimitani primo et regni Sicilie anno vigesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Ymolam (1), anno, mense et indictione prescriptis.

Parmae, 20 maii.

Fridericus, Romanorum imperator, Bertoldum fratrem Raynaldi ducis Spoleti et Tusciae legati vice ipsius in Tusciam mittit ut rationes imperii recipiat et procuret.

(Inedit. in arch. comm. Senensi, *Caleffo vecchio*, fol. 195 verso, ex transumpto authentico anni 1229, 15 decembris.)

Frederichus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis prelatis Ecclesie, marchionibus, comitibus, baronibus, potestatibus, rectoribus, consiliis et communibus civitatum, villarum, castrorum per Tusciam constitutis, quibuscumque presentes littere ostense fuerint, fidelibus suis, gratiam suam et bonam

---

(1) « Postea imperator ivit Imolam, postea ivit Medicinam, postea transivit juxta Sanctum » Johannem in Persiceto et hospitatus fuit extra castrum Sancti Johannis. Deinde ivit in » Lombardiam, et per Dei gratiam nihil potuit facere de eo quod habebat in corde. » Matth. de Griff. ap. Muratori, *Script.*, XVIII, 110. Quum Fridericus de Bononiensibus diffideret, ab eorum civitate divertit. Sed pluvia maxima ingruente et fluviis praecipue Reno tumescentibus, non sine summa difficultate cum lantgravio Thuringiae ultra transire potuit. Caeteri inter quos Magdeburgensis archiepiscopus, comes Conradus de Schwartzburg, comes Meinhardus de Molberg et multi nobiles Theutoniae apud Bononiam hospitari coacti sunt; quos postero die Bononienses insecuti, tardantes male tractaverunt, donec citato cursu Mutinensium terras attigissent. Cf. *Chronic. Schwartzburg.*, ap. Schottgen et Kreysig, *Diplomat.*, I, 159.

voluntatem. Ecce quod nos mittimus in Tusciam fidelem nostrum Bertuldum fratrem Rinaldi ducis Spoleti et Tuscie legati (1), ut rationes omnes imperii loco ejusdem legati diligenter inquirens recipiat fideliter et procuret. Quare universitati vestre firmiter et districte sub optentu gracie nostre precipiendo mandamus quatenus predicto Bertuldo, tanquam vicario predicti legati fratris sui a nostra majestate transmisso de omnibus rationibus imperii ad honorem et fidelitatem nostram parere et intendere studeatis, adversus contradictores si qui fuerint auxilium et consilium efficaciter impensuri, ubi expedierit et ab universis vestrum et singulis duxerit requirenda; mandatum nostrum taliter impleturi ut universitatem vestram possimus merito commendare. Nos enim Bertuldo dedimus in mandatis ut auctoritate nostra et vice legati, si opus fuerit, banna et penas imponat pro rationibus nostri imperii optinendis : que banna et penas sicut imposuerit rata et firma penitus haberi volumus et teneri.

Datum Parme, XX° mensis madii, XIIII^a indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, ad preces Conradi episcopi Hildeshemensis, notum facit quod ex instrumento sibi ostenso lis inter eumdem episcopum et Maguntinum archiepiscopum exorta super dioecesana jurisdictione in ecclesias Goslariae, per abbates et Apud Parmam, maio.

---

(1) Paulo ante quemdam alium imperatoris vicarium in Tuscia reperimus, ex documento sequenti : « Abbatia Sancti Petri in Campo se dat in protectionem civitatis Senensis, anno Do» mini 1226, indictione XIV, 6 maii. Actum in castro Sancti Quirici in Osenna, coram supra» dictis testibus, etc. Ad quorum vero preces dominus Rodulphus de Sancto Miniate, vicarius » in Thuscia pro domino Frederico secundo invictissimo Romanorum imperatore augusto, motus » et inclinatus, presens existens ibidem, hec omnia supradicta vice et nomine dicti domini » F. imperatoris ratificavit et confirmavit et suam auctoritatem atque decretum interposuit omni » jure quo potuit meliori. » MITTARELLI, *Annal. Camald.*, t. IV, append. p. 447, ex autogr. in arch. archinosocomii Senens., sacc. tab. n. XVII, n. 780.

praepositos hic nominatos legitime ad favorem praedicti episcopi decisa fuit et a Conrado Portuensi episcopo Sedis Apostolicae legato fuit ista decisio confirmata.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 132, n° 580, ex originali apud Hannoveriam asservato et a Bethmanno communicato.)

Datum apud Parmam, anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense maio, indictione XIV.

Apud Parmam, 26 maii.

Fridericus, Romanorum imperator, praeposito, decano et capitulo Sancti Mathiae apud Goslariam scribit, eos monens ut episcopo Hildeshemensi debitam obedientiam ostendant, cum jurisdictio super ipsos et caeteras Goslariae ecclesias eidem episcopo per sententiam restituta et a legato Sedis Apostolicae confirmata fuerit.

(Memorat. ap. Boehmer, *ibidem*, n° 583, ex eodem fonte.)

Datum apud Parmam, XXVI maii, indictione XIV.

Apud Parmam, 26 maii.

Fridericus, Romanorum imperator, dilectissimo principi suo Conrado Hildeshemensi episcopo ob grata ejus et accepta servitia hanc peculiarem gratiam concedit, quod ei necnon et ecclesiae ejus liceat advocatiam ad proprios usus emere de bonis eisdem collatis.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 132, n° 584, ex originali apud Hannoveriam a Bethmanno communicato. Adsunt ibidem alia duo exemplaria

ejusdem documenti, quorum unum datum apud Parmam junio, alterum autem notis chronologicis destitutum.)

Datum apud Parmam, XXVI maii, XIIII indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, emptionem officii dapiferatus quod Conradus episcopus Hildeshemensis ab Ernesto ministeriali suo ad usus ecclesiae suae pro quadam pecuniae summa comparavit, ratam habet et inviolabiliter observari praecipit. Parmae, 26 maii.

(Edit. ap. (SCHEID), *Cod. diplomat. zu Mosers Braunschweig-Lüneburgische Staats-Recht*, p. 573.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jherusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris quod Conradus venerabilis Hildensemensis episcopus, dilectus princeps noster, juxta interpretationem episcopalis nominis ecclesie sue prodesse cupiens cui preest, ad utilitatem ecclesie sue ac successorum suorum officium dapiferatus quod Ernestus ministerialis ejus in feudum tenebat ab ipso, pro centum quinquaginta marcis argenti et duobus libris Hildensemensis monete in certis redditibus ab eodem Ernesto suisque heredibus comparavit, officium dapiferatus predicti ad specialem proprietatem ecclesie sue perpetuo revocando. Verum quia nos pro meritis ejusdem episcopi que magna et clara sunt in conspectu nostro, profectibus ecclesie sue tenemur intendere, emptionem predictam ratam habentes, ad usus ejusdem ecclesie eam perpetuo precipimus inviolabiliter observari; auctoritate presentis scripti firmiter inhibentes ne idem episcopus vel aliquis successorum suorum de officio dapiferatus predicti aliquem unquam infeudare vel ipsum modo aliquo alienare presumat, sed idem episcopus et successores sui ad honorem et commodum ecclesie sue et ad usum specialiter suum

in manibus suis illud perpetuo debeant retinere. Decernentes si quid in contrarium factum fuerit, ipso jure penitus non tenere.

Datum Parme, XXVI maii, XIIII indictione.

Parmae, [maio vel junio.]

Fridericus, Romanorum imperator, Henrico Saxoniae duci mandat ut Conradum Hildensemensem episcopum tueatur et molestatores ejus proscribat.

(Edider. Schannat, *Vindem. Litter.*, tom. I, p. 197. — Scheid, *origin. Guelf.*, tom. III, p. 688.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator H. illustri duci Saxonie, dilecto principi suo. Cum venerabilis Hildesemensis episcopus, dilectus princeps noster, evangelisando verbum crucis Deo totique christianitati obsequium gratiosum impendat, merito Deum et homines graviter videretur offendere quicumque eumdem episcopum, et maxime quamdiu in servitio Terre Sancte laborat, molestaret hactenus vel de cetero presumpserit molestare. Propter quod discretioni tue mandamus, monemus atque rogamus quod molestatores hujusmodi, nisi dicto episcopo satisfaciant de illatis et de hujusmodi vexationibus omnino destiterint, eos auctoritate nostra proscribas, quoties fueris requisitus ab ipso.

Datum Parme.

In civitate Parmae, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Friderici abbatis Rotensis, post mortem Conradi Ratisponensis episcopi quidquid de advocatia hujus monasterii vacante factum fuerit irritat, eamdemque Conrado comiti de Wasserburg committit.

(Edit. ap. HUND, *Metropol.*, t. III, p. 187, et in *Monum. Boic.*, t. I, p. 373 et t. XXX, p. 138, ex autographo quod comiti de Wasserburg datum fuit. Sigillum non nihil laesum appendet ex filis sericis subrubri et subflavi coloris.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum noverit universorum nostrorum fidelium presens etas et successiva posteritas quod dilectus fidelis noster Fridericus, venerabilis abbas Rotensis ecclesie, ad presentiam nostram accedens proposuit coram nobis qualiter quondam quidam palatinus Cono nomine, filio ejus Conone in bello et servitio imperii decedente, Rotensem ecclesiam pia provisione fundaverit et in decessu suo cum heredem aliquem non haberet, eamdem ecclesiam sub tuitione imperii duxerit conferendam: eo videlicet tenore ut quemcumque ad ejusdem loci defensionem abbas qui constitutus esset ibi pro tempore peteret advocatum, ab imperio reciperet et haberet; super quo predecessor noster Henricus IV Romanorum imperator dive recordationis augustus, pro eo quod Cono filius predicti palatini Cononis in servitio suo ceciderat, suum clementer assensum prestitit et munimen, prout in privilegio suo eidem ecclesie indulto plenius continetur; cujus privilegii confirmationem idem abbas a liberalitate nostra pro predicta ecclesia sua exstitit assecutus. Preterea memoratus abbas coram nobis proposuit conquerendo quod dilecto principe nostri imperii C. quondam venerabili Ratisponensi episcopo (1), qui predicti loci advocatiam ab imperio sibi collatam rexerat, rebus humanis exempto, quidam ministerialium ducis Bavarie, Ulricus nomine, institit apud regem filium nostrum qui sine requisitione predicti abbatis investivit eum, cum salvo tamen mandato et voluntate nostra. Quidam etiam alius ministerialis ejusdem ducis, Alhardus nomine, predictam advocatiam detinere contendit, pretendens concessum comitis de Tirol predicto Ratisponensi episcopo superstite sibi factum. Cumque dictus abbas privilegia sua curie nostre ostenderet, quibus eadem ecclesia precipue in

---

(1) Conradus IV, ultimus comes de Frantenhausen, hocce anno 9 aprilis obierat.

facto advocatie extitit premunita, celsitudini nostre attentius supplicavit quatenus super indempnitate ipsius monasterii dignaremur misericorditer providere. Nos itaque privilegiis ejus inspectis et cognitis rationibus quas super ejusdem loci advocatia evidenter ostendit, suis justis supplicationibus annuentes, et investituram regis filii nostri quam salvo mandato et voluntate nostra fecerat et quicquid inde per comitem de Tirol in prejudicium ipsius ecclesie attemptatum fuerat vel ab eodem comite sine postulatione abbàtis contra tenorem privilegiorum ejusdem ecclesie illicite impetratum, de consilio principum tunc temporis in curia nostra presentium, in irritum revocantes, pronuntiavimus ut predictus abbas Rotensis ecclesie quem vellet ad ejusdem ecclesie defensionem postularet juxta consuetudinem advocatum. Verum quia dictus abbas ad ipsius advocatie regimen imperium postulavit et nos eamdem ecclesiam sub tuitione nostra recepimus et favore, ne pro absentia nostra gravamen et jacturam aliquam sustineret, ad postulationem dicti abbatis eamdem advocatiam in Rote dilecto fideli nostro comiti Cononi de Wasserburch contulimus et tuendam commisimus loco nostri : tali videlicet modo ut ea que in imperium de ipsa advocatia spectant quamdiu idem comes vixerit cedant sibi, nec liceat ei aliud quam nostro imperio pertinet occasione ipsius advocatie ab eadem Rotensi ecclesia indebite extorquere vel eam indebitis exactionibus aggravare. Qui si contra presentis commissionis nostre paginam attemptaret, abbas predicti loci potestatem habeat a nobis et ab imperio petendi alium advocatum, ubi de manifesto gravamine et indebitis exactionibus ejusdem comitis nobis et imperio constiterit manifeste. Prohibemus insuper ut abbas et conventus ipsius ecclesie contra eumdem comitem vel malevolentia vel instinctu aliquo non procedat. Statuimus etiam et presentis scripti auctoritate sancimus ut si predictus comes Conradus heredes post se dimiserit qui ad ipsius Rotensis ecclesie tuitionem sufficientes et idonei habeantur, ad postulationem dicti abbatis in advocatia ipsa pro parte imperii dicto patri suo succedant, eadem statuta nostra que indicta sunt patri et sub conditione simili servaturi. Ad hujus itaque collationis et commissionis nostre memoriam et stabilem firmitatem, duo consimilia scripta fieri fecimus et sigilli nostri robore jussimus communiri, quorum

alterum predicto abbati et ecclesie sue, reliquum dicto comiti ad communem eorum cautelam indulsimus conservanda.

Testes autem sunt A. venerabilis Magdeburgensis archiepiscopus, A. Warmaciensis (*a*) et R. Curensis episcopi, L. landgravius Thuringie, A. dux Saxonie, R. dux Spoleti et Bertoldus frater ejus, Hermanus marchio de Baden, S. comes de Wien et frater ejus comes Henricus, comes R. de Hauchesperg et filius ejus, comes Mainardus de Gorze, comes C. de Wallerburg (*b*) et quamplures alii qui interfuerunt.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense maii, quarta decima indictione, imperante domino Friderico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno ejus in imperio sexto, in Jerusalem primo, in regno vero Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Data in civitate Parme, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, burgensibus de Lubeck fidelibus suis renovat et inserendo confirmat privilegium Friderici imperatoris avi sui eisdem anno 1188 indultum, quo possessiones, libertates et jura eorum recensentur. Apud Parmam, maio.

(Edit. ap. WESTPHALEN, *Monum. ined.*, I, 1288, et in *Cod. diplomat. Lubecens.*, I, pars 1ª, 44. Adsunt duo exemplaria, unum cum aurea bulla, alterum cum cereo sigillo.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Preclara fidelium nostrorum obsequia manifestis indiciis operum comprobata tanto debemus libentius munificentie nostre gratia

(*a*) Erravit prorsus scriptor, ut videtur, italus qui litteram initialem per *A.* loco *H.* (*Heinricus*) expressit.

(*b*) Sic, sed ut supra legendum *Wasserburg*.

prevenire quanto celsitudini nostre grata exhibentur pariter et accepta. Nolumus enim a mercede repellere a quibus servitia recepimus fructuosa nec benemeritos sine condigne retributionis vicissitudine preterire. Universis igitur imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum quod fideles nostri burgenses de Lubeke quoddam privilegium, eis a domino quondam imperatore Friderico avo nostro memorie recolende indultum, per Johannem filium Volquardi canonicum Lubicensem, Willielmum filium Bertholdi et Johannem dictum de Brema burgenses Lubicenses, fideles nostros, nostre celsitudini presentarunt, humiliter supplicantes ut privilegium ipsum et ea que continentur in ipso sibi suisque successoribus confirmare de nostra gratia dignaremur. Cujus privilegii tenor talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Dignitatis nostre ratio deposcit ut quotiens ortam inter fideles nostros discordiam intelligimus, nostra eam mediatione precidamus, ne qui unius parent voluntati, eos contingat per dissentionum fomenta distrahi. Cum igitur fideles nostri comes Adolfus de Scowenburch et comes Bernardus de Racesburch causam agerent adversus burgenses nostros de Lubeke super terminis et usu finium suorum, nos partes in presentia nostra constitutas diligenter audivimus et intellecta litis materia, pro bono pacis inter eos fideliter conservando, predictos comites reverentia veritatis et rata pacti conventione induximus quod uterque jus quod ipse petebat in manu nostra resignavit; et nos illud consensu eorum predicte civitatis habitatoribus tradidimus sine aliqua deinceps perturbatione possidendum. Sunt igitur hii termini usibus ejusdem civitatis nostre auctoritatis dono assignati : a civitate versus orientem usque ad flumen Stubinize et Stubinize supra usque in Radagost; a civitate contra meridiem usque ad stagnum Racesburgense et stagnum supra usque ad Racesburch; a civitate contra occidentem usque ad flumen Cikinize et Cikinize supra usque ad stagnum Mulne. Intra hos terminos habebunt omnes civitatem nostram Lubeke inhabitantes, cujuscumque fuerint conditionis, omnimodum usum viis et inviis, cultis et incultis, aquis et piscibus, silvis et pascuis, sive navibus sive

plaustris opus sit ad exportandum. Hec a comite Bernardo de Racesburch nobis resignata civibus nostris donavimus. Similiter comes Adolfus in manu nostra resignavit et nos ipsis civibus nostris tradidimus usus et commoditates terminorum subscriptorum : a civitate sursum usque ad villam Odislo, ita quod in utraque parte fluvii Travene ad duo miliaria usum habeant nemoris tam in lignis quam in pratis et pascuis, excepto nemore quod est assignatum cenobio beate Marie. Insuper licebit ipsis civibus et eorum piscatoribus piscari per omnia a supradicta villa Odislo usque in mare, preter septa comitis Adolfi, sicut tempore ducis Heinrici facere consueverunt. Habebunt etiam omnimodum usum sylvarum Dartzchowe et Cliuz et Brotne ut tam igni necessaria quam navibus sive domibus aut aliis edificiis civitatis sue utilia ligna in eis succidant absque dolo, ne videlicet idoneas et utiles sibi naves passim et sine necessitate vendant et alias fabricent vel ligna deferant aliis vendenda nationibus. Preterea pascent porcos suos, pecora quoque seu jumenta per totam terram comitis Adolfi, ita tamen quod porci seu pecora possint ipso die redire a pastu in marchiam unde mane exierunt. Insuper oportunitatibus eorum acquiescentes, omnia jura que primus loci fundator Heinricus quondam dux Saxonie eis concessit et privilegio suo firmavit, nos etiam ipsis concessimus, patronatum videlicet parrochialis ecclesie beate Marie, ut mortuo sacerdote cives quem voluerint vice patroni sibi sacerdotem eligant et episcopo representent. Ad hec ut cum mercibus suis libere eant et redeant per totum ducatum Saxonie absque hansa et absque theloneo preter Ertheneburch, ubi V denarios de plaustro solvent, hoc addentes quot plaustra illuc transduxerint pro quibus theloneum supradictum dederint, si infra annum et diem redierint, tot plaustra libere sine theloneo reducent; et quicumque ipsorum super causa quacumque conveniatur, per omnes imperii nostri fines et per ducatum coram loci illius judice se expurgabit absque captione, secundum jura jamdicte civitatis. Preterea omnia civitatis decreta consules judicabunt; quicquid inde receperint, duas partes civitati, tertiam judici exhibebunt. Pro pace alicui confirmanda lucrum quod inde provenit medium solvatur civibus, reliquum judici. Si quis autem questus emerserit per causam actoris, tertiam partem judex, ter-

tiam actor et tertiam civitas habebit. Insuper quicquid lucrum provenit de judicio, civitati debetur medietas et alia judici. Et si quispiam mortuus ibi fuerit et forte heredem non habuerit, omnem hereditatem et supellectilem ipsius annum et diem integraliter in domo in qua moritur reservandam censuimus, nisi forte aliquis ei proximus intra tempus denominatum adveniat qui hec jure civitatis obtineat; si vero intra tempus istud nullus proximorum suorum venerit, quecumque hereditavit regie potestati solvantur. Rutheni, Gothi, Normani et cetere gentes orientales absque theloneo et absque hansa ad civitatem sepius dictam veniant et libere recedant. Item mercatores cujuscumque regni, cujuscumque civitatis, huc veniant, vendant et emant libere, tantum theloneum debitum solvant, de fertone IIII denarios, de mille marcis non amplius. Si quis vero transfretare voluerit, quotcunque var habuerit, de quolibet det XV denarios, et si nullum habuerit et comedit proprium panem, det V denarios, et quotcunque var habuerit pro quibus theloneum dederit, si redierit infra annum et diem, de tot liber erit. Argentum quoque in eadem civitate si quis cambire voluerit, in quocunque loco se ei oportunitas obtulerit, libere cambiat, si non id ante domum monete fuerit. Consules autem hanc de nostra donatione prerogativam habeant ut tociens in anno monetam examinent quotiens velint; et si monetarius offenderit, emendet, et quicquid de emendatione provenerit, medium civibus, reliquum regie potestati cedat. Insuper confirmamus eis speciali dono ut nulla persona alta vel humilis civitatem prefatam intra vel extra in terminis suis, edificiis seu munitionibus preoccupet, sed si quis marchiam suam quocumque modo obstruxerit, in terra vel in aqua auctoritate nostra freti evellant et marchiam suam expediant. Quicumque etiam spatia civitatis per occupationem edificiorum usurpaverit, si pulsatus fuerit, LX solidos componet. Cives vero jamdicte civitatis nullam expeditionem ibunt, sed civitatem suam defensabunt. Item si aliquis de ipsa civitate alicubi pulsatus fuerit de sua libertate, ubicumque pulsetur, ibi sola manu libertatem suam obtineat. Si quisquam extraneorum superveniens aliquem civium de sua libertate pulsaverit, civis vicinior est ad obtinendum suam libertatem sola manu quam extraneus ad ipsum

convincendum. Si vero quispiam de terra ipsorum aliquem de libertate pulsaverit, et pulsatus probare poterit quod anno et die in civitate sine pulsatione substiterit, pulsatus evadit. Et quoniam predictorum civium nostrorum jus in nullo diminui per nos volumus, sed in omnibus prout oportunum esse viderimus augmentare, nostra auctoritate superaddentes concedimus eis ut usque ad locum ad quem in inundatione ascendit fluvius qui Travene dicitur, eadem qua et intra civitatem fruantur per omnia justicia et libertate. Usque ad terminos pontis etiam eadem qua et in civitate ut diximus, eos uti volumus justicia et libertate. Hiis omnibus dilectis burgensibus nostris concessis et collatis, singulari quadam gratia ipsis adhuc concedimus ut quicquid infra civitatem sui juris in posterum emendare valuerint, sine tamen prejudicio nostri judicis, emendare non obmittant. Ut igitur hoc nostre concessionis privilegium ipsius nostre civitatis incolis ratum et inconcussum in perpetuum permaneat, hanc eis cartam nostre ymaginis impressione roboratam donari mandavimus, imperiali statuentes auctoritate ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, hoc nostre majestatis beneficium corrumpere audeat vel ei quolibet modo contraire. Quod qui facere presumpserit, quingentas auri libras pro pena componat, mediam partem fisco nostro, reliquam vero incolis ipsius civitatis persolvendam. — Hujus rei testes sunt Conradus Moguntinus archiepiscopus, Wichmannus Magdeburgensis archiepiscopus, Hartwichus Bremensis archiepiscopus, Adelhogus Hildensemensis episcopus, Bertoldus Nuwenburgensis episcopus, Martinus Misnensis episcopus, Bernhardus dux Saxonie, Otto marchio Misnensis, marchio Dedo, Conradus prepositus Goslariensis, Bernhardus burcgravius Magdeburgensis, Gevehardus frater ejus, comes Sigebodo de Scartvelt, comes Burchardus de Waltingerode, Hugo de Warda, Tiemo de Coldiz, Hermannus advocatus de Lubeke, Godefridus advocatus de Staden, Giselbertus de Warendorp, Walvericus Sosatienensis, Bernherus de Ertheneburch, Wizo, Eyko, Egenolfus, Godefridus de Suttorp, Syfridus Struve, Lubertus, Berngerus, Esico de Bardewic et alii quamplures. — Signum domini Friderici Romanorum augusti invictissimi. (*Monogramma.*) — Ego Johannes imperialis aule

cancellarius in vice Conradi Maguntine sedis archiepiscopi Germanie archicancellarii recognovi. — Acta sunt hec anno dominice incarnationis M°C°LXXX°VIII°, indictione VII, regnante domino Frederico Romanorum imperatore augusto, anno regni ejus XXXVII, imperii vero XXXV. — Datum apud castrum Liznich, XIII kalendas octobris, feliciter. Amen.

Nos autem predictorum burgensium Lubicensium, fidelium nostrorum, devotis supplicationibus benignius inclinati, considerantes quidem ipsorum devotionem et fidem quam ad nostram habere celsitudinem dignoscuntur, necnon grata et accepta servitia que progenitoribus nostris et nobis devote semper exhibuerunt et que culmini nostro poterunt de bono in melius in antea exhibere, predictum privilegium et que continentur in ipso, sicut superius scriptum est, jamdictis burgensibus, fidelibus nostris, et eorum successoribus in perpetuum de nostra gratia confirmamus; statuentes et presentis privilegii auctoritate firmiter injungentes ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, predictos burgenses fideles nostros et successores eorum de suprascriptis omnibus temere perturbare seu molestare presumat. Quod qui presumpserit, in sue temeritatis vindictam, preter prescriptam penam, quinquaginta libras auri puri componet, medietatem camere nostre, reliquam passis injuriam persolvendam. Ut autem hec nostra confirmatio rata semper et inconvulsa permaneat, presens privilegium fieri et bulla aurea typario nostre majestatis impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis et Lando Reginensis archiepiscopi, . . . Curensis episcopus et abbas Sancti Galli, . . . Cicensis episcopus, . . . Brixinensis electus, Jacobus Taurinensis, M. Ymolensis et . . . Brixiensis episcopi, L. lantgravius Thuringie, Albertus dux Saxonie, Raynaldus dux Spoleti, H. magister domus Sancte Marie Theotonicorum in Jerusalem, Azo marchio Estensis, comes S. de Vienna et frater ejus, comes . . . de Queureberc et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis. (*Monogramma.*)

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense madii, quartedecime indictionis, imperante domino

nostro Friderico secundo, Dei gratia Romanorum imperatore, semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, anno Romani imperii ejus sexto, regni Jerusalem primo et regni Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Parmam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, V[olquino] magistro domus militiae Christi in Livonia et fratribus ejusdem omnes possessiones et jura, quae a Livoniensi et Lealensi (Oesel) episcopis in partibus illis juste possident et in futurum justo titulo poterunt adipisci, in perpetuum confirmat, eisque insuper donat quodcumque genus metalli in terra sive super terram in eodem districtu poterit inveniri.

Apud Parmam, maio.

(Inedit. in archivo Berolin., ex libr. copiali ordin. Theuton., sec. XIII. — Memorat. autem ap. NAPIERSKY, *Index corp. Hist. diplom. Livonie, Esthonie, Curonie*, t. II, p. 275, ex HIARN's collect., p. 134-136.)

Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus, Jherosolime et Sicilie rex. Licet ordo sit diverse religionis per mundum et unusquisque Altissimo serviens studeat omni tempore servicium impendere sibi gratum, licet eciam favore imperialis clemencie hujusmodi viris religiosis liberaliter teneamur adesse; hiis tamen largius debemus porrigere manus nostras qui non solum contra invisibiles, sed eciam adversus visibiles hostes nostros pro fide Christi et religione christiane fidei exaltanda cotidie dimicare conantur, pro Christo animas et pro Dei fidelibus exponendo personas. Inde est igitur quod notum esse volumus universis fidelibus nostris per imperium constitutis, tam presentibus quam futuris, quod V. venerabilis magister domus milicie Christi in Livonia et fratres ejus fideles nostri per Johannem Volcardi canonicum Lubicensem, Wuilelmum filium Bertoldi et Johannem dictum de Brema burgenses et nuncios Lubicenses, fideles nostros, cel-

situdini nostre humiliter supplicarunt ut quod propter paganos vicinos valdeac prope se positos et pro speciali defensione quorundam hominum regionis illius de novo in Christo credencium, benignitatis nostre subsidium erat eis plurimum oportunum, omnes possessiones et jura que a Livonensi ac Lealensi episcopis in partibus illis juste possident et in futurum justo titulo poterunt adipisci, ipsis confirmare, et quodcumque genus sive materiam metalli sub terra sive super terram in districtu et terminis a predictis episcopis concessis de cetero poterunt invenire, quod ad imperialem cameram nostram pertinet vel pertinere posset, sibi cunctisque eorum successoribus de speciali gratia nostra concedere et donare in perpetuum dignaremur. Nos igitur considerantes agones quos memoratus magister et milites Christi fratres sui frequenter sustinent pro fide Christi, et quam sint eciam necessarie vires eorum ad confortandos in religione christiana et defendendos eos in partibus illis qui ad fidem catholicam sunt de novo conversi, pro reverencia Dei et intuitu retributionis eterne, necnon et pro remedio divorum augustorum parentum nostrorum recolende memorie et conservatione salutis eterne, supplicationes predictorum magistri et militum Christi misericorditer admittentes, omnes possessiones et jura que a Livonensi et Lealensi episcopis in partibus illis juste possident et in futurum justo titulo poterunt adipisci, ipsis in perpetuum confirmamus. Preterea memorato magistro et ejus fratribus gratiam facere specialem volentes, de habundantiori benignitate et liberalitate nostra concedimus et donamus eis cunctisque successoribus in perpetuum ut quodcunque genus sive materiam metalli sub terra sive eciam super terram in districtu et terminis supradictis de cetero poterunt invenire, quod ad imperialem cameram nostram pertineat vel pertinere posset, sine contradictione qualibet accipere debeant et habere ad usum proprium et utilitatem domus eorum. Ad hoc itaque perpetuo et irrevocabiliter conservandum, imperiali sanccimus edicto ut nulla omnino persona, alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, contra hujus concessionis et confirmacionis nostre tenorem memoratum magistrum et milites Christi fratres ejus ac successores eorum super predictis omnibus offendere de cetero, perturbare seu

molestare presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostram et penam quinquaginta librarum auri puri se noverit incursurum, medietatem camere nostre, et reliquam medietatem passis injuriam persolvendam. Ut autem presens concessio, donatio et confirmatio nostra robur obtineat perpetue firmitatis, presens privilegium inde fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Albertus venerabilis Magdeburgensis, Mediolanensis et Lando Reginus archiepiscopi, Curensis episcopus et abbas Sancti Galli, Cicensis, Hildensemensis, Jacobus Taurinensis, M. Ymolensis episcopi, Hermannus venerabilis magister domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum in Jerosolima, langravius Thuringie, dux Saxonie, Renaldus dux Spoleti, comes de Vienna, comes de Queurenberch, comes de Eversten et fratres ejus, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Jerosolime et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo sexto, mense maii, quarte decime indictionis, regnante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Jerosolime et Sicilie rege, imperii ejus anno sexto, Jerosolime primo, regni vero Sicilie vicesimo octavo, feliciter. Amen.

Datum apud Parmam, anno, mense et indictione prescriptis.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Ludewici Lantgravii Thuringiae, confirmat venditionem praedii in Ruldehusen a Diterico de Ruldehusen monasterio Reinhardsbornensi factam. Apud Parmam maio.

(Memorat. in *Thuringia sacra*, p. 211, ex diplom. Reinhardsb. chartulario, nunc apud Gotham asservato. Adest altera copia seculi XVIII apud Wolfenbuttel, ut monet Boehmerus.)

Datum apud Parmam, anno [dominice incarnationis] MCCXXVI, mense maii, quartedecime indictionis.

Apud Parmam, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, Vallumbrosanam ecclesiam cum omnibus ecclesiis Vallumbrosanae congregationis ubilibet positis in protectione sua speciali recipit, eique generaliter confirmat privilegia ab avo et patre suo jamdudum concessa.

(Edidit LAMI, *Delic. erudit.*, tom. III, p. 252, et *Monum. eccles. Florent.*, tom. I, p. 474.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex. Licet gratie imperialis benignitas singularis fidelibus et devotis suis favorabilem exhibere se debeat, illis specialiter favorabilior esse tenetur qui mundanis voluptatibus abdicatis omnino soli servitio illius celestis principis adhesisse noscuntur, quem adorant et metuunt reges terre et de prudentia ejus fastigium tanti nominis ac dignitatem adsumunt. Inde est igitur quod notum esse volumus universis fidelibus nostris per imperium constitutis tam presentibus quam futuris quod frater Benignus venerabilis abbas monasterii Vallisumbrose, devotus noster, per nuncium et monachum suum fratrem Jacobum duo privilegia, unum videlicet Friderici imperatoris recolende memorie quondam avi nostri et aliud Henrici tunc regis et imperatoris quondam pie recordationis patris nostri unius per omnia ejusdemque tenoris, nostre celsitudini presentavit, in quibus vidimus contineri qualiter predicti avus et pater noster Vallumbrosanam ecclesiam cum omnibus monasteriis Vallumbrosane congregationis ubilibet positis sub sua protectione receperant, statuentes ut nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, nulla civitas, nulla persona parva vel magna, ecclesiastica vel secularis, predicta monasteria inquietare audeat vel eorum possessiones vel reliqua bona auferre, minuere vel quocumque modo vexare presumat, sed cuncta que eisdem

monasteriis oblata sunt vel offerri contigerit vel aliis quibusque modis juste acquisita sunt vel in futuro acquisierint, libera et quieta servorum Dei servitiis et utilitatibus subjaceant. Preterea imperiali auctoritate concesserunt et confirmaverunt eidem Vallumbrosane ecclesie et ejus monasterio, salva in omnibus imperiali justitia, quecumque juste possident vel in futuro possessuri sunt, ut nulla potestas, nulla civitas nec Florentia nec alia fodrum aliquod vel districtum vel aliquam exactionem a rusticis vel conversis prefatorum monasteriorum exigere vel accipere presumat, penam centum librarum auri purissimi transgressoribus imponentes. Unde memoratus abbas celsitudini nostre humiliter supplicavit ut predictum monasterium Vallisumbrose cum omnibus aliis monasteriis suis sub speciali gratia et protectione nostra recipientes, predicta privilegia avi et patris nostri recolende memorie confirmare in perpetuum de nostra gratia dignaremur. Nos autem in operibus misericordie et pietatis prefatum avum et patrem imitari volentes, et considerantes etiam religionis observantiam et vitam laudabilem memorati abbatis et fratrum suorum, pro remedio progenitorum nostrorum et conservatione salutis nostre supplicationes ejus favorabiliter admittentes, monasterium ipsum cum omnibus monasteriis sibi subjectis et eorum bona sub speciali protectione nostra recepimus, et dicta duo privilegia et quecumque continentur in eis auctoritate imperiali perpetuo confirmamus, statuentes ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis, monasterium ipsum Vallisumbrose vel quodlibet monasteriorum suorum et eorum bona contra presentem confirmationem molestare in aliquo seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram et penam quinquaginta librarum auri, preter penam in privilegiis jam memoratis expressam, pro tante temeritatis audacia se noverit incursurum; medietatem camere nostre et aliam medietatem passis injuriam persolvendam. Ad hujus itaque confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Albertus Magdeburgensis et Lando Reginus archiepiscopi, Curiensis episcopus et abbas Sancti Galli, Cicensis episco-

pus, . . . Brixensis electus, Jacobus Taurinensis, M. Imolensis et . . . Brixiensis episcopi, L. landgravius Thuringie, Albertus dux Saxonie, Rainaldus dux Spoleti, H. magister domus Theutonicorum Sancte Marie in Hierusalem, Azzo marchio Estensis, Comes G. (*a*) de Vienna et frater ejus, comes de Quevreberte et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris, semper augusti, Hierusalem et Sicilie regis.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXXVI, mense maii, XIV indictione, regnante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore, semper augusto, Hierusalem et Sicilie rege, anno imperii ejus sexto, regni Hierusalem primo, regni vero Sicilie XXVIII, feliciter. Amen.

Data apud Parmam, anno, mense et indictione prescriptis.

In civitate Parmae, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, communitatem Astensium qui remissionem delictorum implorarunt et mandatis suis parere annuunt in gratiam suam reducit, poenasque et banna in eos propter inobedientiam prolata revocat.

(Memorat. ap. Molina, *Notiz. storiche della città d'Asti*, t. II, p. 153, ex chartulario, ut videtur anni 1292, quod nunc in Bibliotheca universitatis Taurinensis, testante Bethmanno, asservatur.)

Datum in civitate Parme, anno dominice nativitatis MCCXXVI, mense madii, XIV indictione.

Laterani, [maio vel junio.]

Honorius papa Friderico Romanorum imperatori scribens vehementer de ipso conqueritur quod Ecclesiam Romanam diffamare

(*a*) Legendum autem *S.* (*Sifridus*).

nitatur, cujus beneficia erga ipsum diffuse enumerat; contra autem, violentias ejus erga episcopos regni, perfidiam erga Thomasium de Celano caeterosque comites, ingratum in socerum ipsius animum, patrimonii beati Petri iniquam aggressionem exprobrat, monens ne illum prospera seducant et a debita devotione removeant.

(Edider. RAYNALD., *Annal. Eccles.*, ad ann. 1226, § III et seqq. — LUNIG, *Cod. Ital. diplomat.*, t. II, p. 867. — F. HAHN, *Collect. monum. vet. et recent.*, t. I, in *Thomasii Capu. Dict. Epistol.*, p. 294-305. — Correctius autem LA PORTE DU THEIL, *Notices et extraits des Mss. de la Bibl. Roy.*, t. II, p. 258, ex codice Colbert., nunc 5696, quem etiam contulimus cum altero codice, ibidem, *anc. fonds latin*, n° 8604, fol. 5 v°, 8 r°.)

Honorius, etc., Friderico Romanorum imperatori, semper augusto et regi Sicilie, etc. Miranda tuis sensibus nostra venit epistola ut scripsisti, sed mirabilior tua nostris. Sane si nostre pagine verba justo librasses examine, si litteram ad rivalem sensum, postposito conjuge, non traxisses, interpretis non suspecti judicio invenisses in illis unde spirituali patri teneris et matri. Tue quidem tenor epistole continebat quod preter omnium opinionem et consilia principum, ut tuis verbis utamur, te invenerimus ad nostra beneplacita paratum, ita ut nullus predecessorum tuorum nullis retroactis temporibus recolatur adeo Ecclesie fuisse devotus ut tu. Sed de principibus tuis non aliter ex hiis verbis informabimus animum quam probabilis credulitas habeat facti experimento probata. De quibus Apostolice Sedis constantia recte opinionis judicium sinistre suggestionis instancia non mutabit, cum facta preferenda sint dictis et certa prejudicent positivis. Ecce de archivo ecclesie publica monimenta prodeunt, que singulorum pene omnium principum munita sigillis (1) opinionem repudiant quam forte videris ingerere contra illos, eo quod verisimilitudo non tales et tantos viros patitur excellentie tue dedisse

(1) Alludit papa litteris principum imperii datis Frankenfort in solempni curia, 23 aprilis 1220, quas supra ad suum locum edidimus.

consilium contrarium scripto tui et ipsorum signato signaculis. De predecessoribus autem tuis si aliquid certius majorum dedisset expressio, metiremur in illis quid in te sperare possemus, quum si ad proximos sanguinis scribentis referatur intentio, modicum devotionis sufficiet ut eos comparatione precedas, si tamen comparatio gradum inveniat ubi vix pervenit positivus. Quod si ad illos predecessores intellectum patiaris extendi, qui fide preclari, charitate ferventes, devotione sinceri, sibi et subditis proficientes, verbo pariter et exemplo Ecclesiam multis libertatum privilegiis muniverunt multarumque largitionum liberalitate ditarunt, illis si placet in hiis se magnificentia tua non preferat, sed consideret potius si affluentia talium illorum metas attingas. Discutiat, quesumus, viri prudentis ingenium si merito tibi titulum multe devotionis assumas, dum beneficia matris Ecclesie revocare conaris in dubium, tanquam si possent unius inficiatione celari que multorum notio publicat, et singularis assertio redderet ambigua que multorum notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species qua beneficia percepta negantur, aliquid turbationis consuevit afferre, sed illa majoris doloris habet aculeos qua in bono malum presumitur et odium in dilectione notatur. Circa tutelam quoque tui a clare memorie Constancia imperatrice regina Sicilie Apostolice Sedi relictam, a beneficiorum gratia excipis quod tutele sit debito satisfactum, eo quod fas inducebat ut fieret et nefas si deficeret notaretur. Verum cum nullus necessitatis articulus tunc urgeret Ecclesiam ut in te qui omni eras suffragio destitutus onus non leve susciperet tutele, susceptio que a gratia sumpsit exordium habere te debuit de prosecutionis debito non ingratum, saltem ut tutrici notam non solum suspecte, sed etiam fraudulente administrationis conareris impingere, dicens quod Ecclesia nomine defensorum hostes immiserat palliatos, qui ad perdendam animam pueri festinarent et pupillo suo eriperent regnum pariter et coronam. Habebat preterea diffamationis adjectio quod quem tutrix Ecclesia debuit promovere dejecit, erigens in sede paterna hominem alienum qui non contentus imperio ad regnum nichilominus aspiravit. Et quidem non id habuit hactenus tua confessio, non id continebat usque nunc tuarum series litterarum quibus post Deum totum ascribebas matris Ec-

clesie studio, totum attribuebas ejusdem tutricis laboribus quicquid eras et etiam quod vivebas. Unde igitur tam contraria istis, tam novella processit opinio? Unde presumptio tam adversa et tam repentina prorupit? Si enim frequens missio litterarum comitem conscientiam mittentis habebat, cum nulla subsecuta sit causa nove scientie nec scientia nove cause, cur calumpniose impungitur quod evidentia facti non patitur? Cur sub quodam involucro duplicitatis infertur quod rei simplicitas non admittit? Quod si scripta premissa erant destituta credulitate scribentis, tua circumspectio colligat que de istis illatio subsequatur. Suntne ista subsidia que promittebas Ecclesie si necessitas immineret? Estne retributionis effectus quem offerebas si gravamen occurreret? Non id mater expectavit a filio, non id tutrix expectare debuit a pupillo. Ha Deus! que in tali filio spei reliquie aliis relinquuntur, si mater tam diligens desperare cogatur? Ha Deus! que in tali pupillo fragmenta favoris ceteri colligent, si tutrix tam utilis jaculis detractionis impetitur? Ha Deus! quot et quantos labores amisit Ecclesia, si palmes quem multo sudore plantavit et coluit in amaritudinem vitis convertitur aliene, cum sit minoris dispendii fructus nullos producere quam nocivos! O quam uberes lacrymas, quam amaras felicis recordationis Innocentius papa predecessor noster multoties pro te fudit! O quanta sollicitudine laboravit ut te a nocentium eriperet manibus et insidiantium laqueis liberaret et quasi de mortis faucibus extorqueret! Ecce quid retributionis eidem imperialis excellentia affert! Ecce quid regalis magnificentia recompensat, dum pupilli vite insidiator occultus dicitur et bonorum tacitus spoliator! Recogita, fili karissime, et intra claustra tui pectoris frequenti meditatione revolve quam parvum, quam depressum te ille summus pontifex post obitum matris accepit, quam grandem quamque promotum in sua morte reliquit. Porro, ut credimus, tenelle infantie nondum fines attigeras cum impius ille Marcualdus, tui nominis detractor perfidus avidusque tuorum invasor, regni Sicilie metas aggressus et utrasque manus invasionis extendens montem Cassinum obsedit et insultibus multis impetiit, exercens sui robur exercitus ad speratum exterminium captionis. Sed in hoc Ecclesie sollicitudo non defuit que per duos cardinales cum multis militibus et

expensis non modicis efficacem manum auxilii porrexit obsessis, vires invasoris debilitans et conatus invasoris elidens. Cumque obsidionis exitus insultantis non responderet affectui et prorogata spe defensionis, ad alios resistendi vigorem [et] animum resumerent convicini, se iniquus ille in Siciliam transtulit ut si ibi de persona regis desiderii sui finem attingeret, ad regni fastigium sine difficultatis obstaculo perveniret. Sed nec ibi protectionis solite dexteram tibi subtraxit Ecclesia, mittens illuc bone memorie Cynthium tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem, nobili viro comite Jacobo (1), consobrino predecessoris nostri predicti, multis associato militibus in tui subsidium nichilominus destinato. Alius etiam cardinalis tibi postmodum adstitit deputatus, qui tuis utilitatibus non remissus ibi diem clausit extremum, consequenter alio substituto ut sollicitudinis debite plenitudo circa persone tue custodiam non deesset. Interea Diopuldi malitia longe lateque diffusa sic se per Apulie partes extenderat ac terre Laboris, tantumque receperat incrementum quod obtenta de nobili viro Petro quondam comite Celani victoria (2), pro majori fere parte homines regionis suo applicabat arbitrio suoque dominio addicebat, in aliquos sicut poterant resistentes eo crudelius debacchando quo minus de paucorum et humilium timebat repagulo, qui de majorum et sublimium viribus triumpharat. Cumque in partibus illis non haberet Ecclesia quem erigeret contra illum multosque sumptus amiserit in hominibus regionis, que pro te jam fecit expensas multarum milium unciarum, recepto ad opus tui a nobili viro Gualtero quondam comite Brennensi fidelitatis debite juramento, ipsum misit in regnum ut per eum elati cornua confringeret inimici. Numquid huic commissum fuit perdere puerum? numquid fuit huic creditum spoliare pupillum? De throno Dei judicium prodeat et virtus Altissimi rectum judicium operetur, si adversus Ecclesiam tuam excellentiam decuit talia credere, si debuit ex hiis incerta credulitas in

---

(1) Agitur de Jacobo *Consiliari* dicto, Andriae postea comite. Cf. volumen primum, *passim.*

(2) Scilicet mense junio 1200, ut in praecedenti volumine diximus. De his omnibus, cf. ibidem, *passim.*

partum prodire hujusmodi, ut verbis et scriptis exposita authenticis in publico compareret. Sed forsan hoc divina providentia voluit ut habeatur in posterum cautela securior ex proviso. Circa hominem si quidem alienum quem in patris tui sede, si tamen sedes patris dici debeat que non successionis, sed electionis jure defertur, erectum fuisse per Ecclesiam predixeras, tua utinam adversus Ecclesiam substitisset inventio, eo quod veritas negata de publicis minus reliquit fidei de occultis. Nullum enim angulum latet imperii quod, imperatore Henrico defuncto, quidam Philippo duci Suevie, quidam Ottoni postmodum imperatori divisis voluntatibus adheserunt. Et licet ille Philippus nomen tuum primo pretenderit, ad se postmodum convertit negotium, sic illud, succedentibus prosperis, suis utilitatibus applicans, quod jam de jure non dubitabat imperii, sed spem ad occupationem regni Sicilie prorogabat, Lupoldum quondam Wormaciensem episcopum ad hoc mittens. In hiis etiam tuo subsidio apostolice Sedis providentia non defecit, sed illi per memoratum C. cardinalem et nonnullos vasallos Ecclesie resistens in Marchia, conatus contrivit adversarii et interdictus est aditus et ad primos regni fines accessus. Predicto tandem Philippo sublato de medio, Ottoni quem omnium principum roborata consensibus presentabat electio, nec expedivit nec licuit diadema imperii denegare : qui procul dubio, ut scripsisti, subito factus ingratus tergum, non faciem vertit Ecclesie, immemor preceptorum (*a*), et quamvis eam multis provocaverit offensis, dissimulabat eas utcumque misericordis Ecclesie patientia consueta. Sed postquam ad tuam prorupit injuriam, in te quasi in pupillam oculi tactum contrarium ferre non potuit, multas vias excogitans quibus pleno remedio suo posset subvenire minori. O quam proximus eras periculis! O quam paratus ad casum! Quapropter invocavit Ecclesia illius auxilium qui superbis resistit et dat humilibus gratiam, qui ventis et mari imperat et cessat tempestas, qui deponit potentes de sede ac ponit humiles in sublimi. Invocavit etiam principum corda fidelium, pusillos et magnos sollicitans ut ei ad tui relevationem collapsi manum porrigerent adju-

(*a*) Ap. La Porte du Theil *receptorum*, subaudita voce *beneficiorum*.

tricem. Obstitit tandem divina potentia ingrati conatibus, faciens in te cum Ecclesia signum in bonum ut elato cadente tu surgeres et potente debilitato tu posses. Arguit enim eum sua malitia, suaque aversio increpavit quoniam justo Dei judicio propria perdidit qui avare cupiverat aliena, et tu cui regni tui vix extrema remanserant, illius omnino imperium obtineres. Hec itaque salutis remedia cum auxilio principum, divine Providentie virtute preambula, tibi providit mater Ecclesia; talia beneficia puero contulit et adulto. Quid ultra tibi facere potuit et non fecit, de contingentibus nil omittens et ea etiam ad que non tenebatur adjiciens? Miramur etiam quod in hiis tuos labores commemoras dicens te dubii casus facta secutum, qui vocatus ad certa, laborantibus aliis, in labores alterius introisti, metens que non seminasti et recolligens que procul dubio non sparsisti. Denique in defuncti non fatigata personam, nostram tua non preterivit invectio, minus diligenter considerans quod nos qui predecessori nostro quoad utilitates tuas affectione plenaria succedentes ad tui consummationem honoris patenter adstitimus et potenter, nostro in multis detraximus ut tuo adjiceremus honori, facti quodammodo fame nostre prodigi, tue parci. Sed pro istis ac aliis hoc nobis retributione respondes quod dicis jus regni Sicilie in electionibus prelatorum, sicut asseris, debitum ex antiquo, nostris constitutionibus minorari. Verum si scripta tua et genitricis tue manu sollicitudinis revolvisses, si sanctorum etiam patrum constitutiones adverteres, non culpares Ecclesiam circa defensionem ecclesiastice libertatis, cum non debeat de justicie persecutione morderi qui contendere nititur de abusu. Asseris nos insuper preter formam communiter requisitam, te inconsulto quibusdam regni ecclesiis prefecisse personas vacantibus; sed que sit illa forma nescimus, que profecto minus esset informis per quam apostolice Sedis judicium ex tue voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus promovere suspectos, dum tamen non ultra notam suspicionis extendas quam rationis tramites patiantur. Tarentinum post hec archiepiscopum quem apud te quasi a summo gratie in profundum odii casus repentini mutatio sic dejecit ut qui paulo ante quasi cor unum et anima una cum principe censebatur, subito proditor, subito fur, subito tui nominis et

sanguinis dictus sit obtrectator, non excludimus a responso; mirantes quid in illum ultionis expetas quem per bonorum subtractionem suorum et interdictum sue sedis accessum contra fas et licitum tui prosecutor arbitrii jam puniisti, pena preveniente judicium et executione non expectante libellum. Sed forsan est qui dicat quod dum sua placuisse creduntur, ipse displicuisse videtur. Cathaniensem quoque episcopum non duximus omittendum, cujus prodigalitate totum regnum dicis esse corrosum; si tamen in totum processit corrosio, unde tot tibi remanserunt corrodende reliquie. Huic si merces laboribus, si fructus servitiis, si meritis premium responderet, aliud pro certo deberet recipere quam solvatur; pro quo quid nobis apud Ferentinum, quid fratribus nostris apud Sanctum Germanum magnificentia tua promiserit non ignoras. Deinde Cephaludensis episcopi, contra quem sanguinem occisorum asseris ad nos de terra clamare, nec vita nec spoliatio sub nube tegitur, ut de ipso post restitutionis debitum justitie satisfiat; nec movemur (*a*) si super hoc ad lacrimas et querelas tuorum fidelium forte sicut asseris movearis, dum modo in illum qui suo domino stat aut cadit processeris (*b*) ad vindictam, primum ad castrum ecclesie et bona ejus manu occupationis extenta quam querelam relatio justa perferret ad examen judicis competentis. Quapropter non inferas ut apud nos ille meruit, unde apud te demeruisse videtur. Sed tamen non ignoras quod si pro justitia spoliate stetit ecclesie, licet apud te demeruisse credatur, apud nos qui sumus et esse tenemur justicie zelatores, sibi meritum comparavit. Tandem concussis columpnis Ecclesie, prelatis videlicet, inferioris gradus et ordinis clericos rigor tui gravaminis atterit, et quasi aliorum velis supplere defectum, pretendis negligentiam prelatorum, licet superioris sedis non desit auctoritas, que crimina diligenti examinata judicio et judiciali examine cognita tanta censura percellit quod pene inflictio culpe interdicit exemplum et vindicte severitas esse poterit aliis limes offense. Quia vero Dei deesse cause non possumus nec debemus, super omnibus istis et aliis contingentibus ecclesiasticam libertatem, sic divina suffulti potentia debitum nostri pro-

(*a*) In Codice 5696, *non miramur;* sed minus recte.

(*b*) In Codice 5696, *non processerit:* locus mutilus, ut monet La Porte du Theil.

sequimur officii quod Deo pro posse satisfacientes et homini, in hoc gerimus utiliter negotium nostre salutis et tue, cum deferre homini contra Deum presertim in talibus sit nocere ac parcere sit sevire. Manus enim misericordium mulierum filios occiderunt et decoxerunt; sed habet vera dilectio plagas suas que dulciores fiunt cum amarius inferuntur. Adjecisti preterea quod post reditum tuum in regnum Sicilie, redintegratis juribus tuis pro temporum varietate dispersis et exclusis rebellibus, dicis ecclesiam contra matris officium suspectos filios receptasse. Et quidem de jurium redintegratione gaudemus : et utinam redintegrantis affectio sic debitis contenta fuisset limitibus quod justicia recuperationis in suis in alienis ad usurpationis injuriam non transisset; quia preter id quod in die novissimo districti judicii ratione reddetur, consummari felicibus substantia non consuevit eventibus, augmentis non aggregata legitimis, quinimo grandis acervus inficitur partis adjectione corrupte. Super exclusis responso supersedere possemus, nisi alicujus judicio crederetur retardatum silentium repetitam justificare querelam. Sed ut videmus, quod respondentis hactenus dissimulatio distulit, nunc extorquet instantia conquerentis. A memoria quoque tua excidisse non credimus quod comiti Thomasio, Raynaldo de Aversa (1) et fautoribus eorumdem, antequam castra que viribus obtinere nequiveras resignarent, inter alia que publica sunt et authentica conventione notata, venit expressius personarum securitas in promissum, et ut id majoris firmitatis robur haberet, nos et universos fratres nostros affectuose rogasti per nuntios et litteras speciales in testimonium conservatas ut Romana Ecclesia super se confidenter reciperet ac secure quod inviolabiliter promissa predictis attenderes et plenarie conservares. Sed utrum verbis facta responderint fidesque promissis, plus quam deceat Sedis apostolice et excellentie imperialis honorem, afflictionibus publicis et penis manifestis exponunt nonnulli de memorati comitis fautoribus, quorum multos post speratam de securitate fiduciam dedisti exilio et quosdam ignominiosa morte

(1) Ii sunt Thomasius de Celano, comes Molisii, et Raynaldus de Aversa sororius ejus. Vide supra, p. 356 et seqq.

dampnasti. Proinde possumus non immerito formidare ne nostra patientia in predictis vere patientie nomen amiserit et effectum. Quare non credas id oblivioni esse relictum, licet sit hactenus dissimulatione suspensum. Sed quid in similibus pro te inferiores promittere debeant, de specula poterunt eminenti recipere speculum et exemplar. In quo quantum auctoritati Sedis apostolice sit detractum, que ipsos ad precum tuarum instantiam sub sua securitate recepit, satis intelligunt qui rem sciunt. De comite vero Matheo (1) quem apud te in subtractione suorum Terre Sancte servitium, crucis et crucifixi reverentia non defendit, comiteque Rogerio (2) quondam capto ut nosti et postmodum liberato ut scimus, et quibusdam aliis qui ad Urbem et loca confinia a persequentis facie confugerunt, de cetero conquiescat conquestio principis excellentis, ne siccam stipulam persequi et contra folium quod a vento rapitur suam potentiàm monstrare videatur. Hoc quippe ex Julii Cesaris gestis non elicis qui Domitium pene avidum et venie contemptorem vite servavit invitum et Metellum (*a*) se gladiis offerentem ira tanti principis reputavit indignum. Certe in Israelitico populo civitates erant refugii, et urbem ad refugium christianus populus non habebit? David recursus erat oppressis, et summus pontifex, magni David vicarius, avertet faciem suam ab afflictis? et utique, cum per illos nulla tibi molestia inferatur et tuis, nisi velis id dumtaxat ferre moleste quod vivunt. Ad hec de egregio viro socero tuo, si ad nostram pervenisset notitiam quod de hiis que tibi facere debuit omisisset, nostra eum non preteriret monitio, quem tibi desideramus acceptum et te illi potissime gratiosum; in quo movet multorum corda miratio quod cum alii

(*a*) In Cod. 8604, *Mercellum*, male.

---

(1) Hunc esse suspicamur comitem *Macé d'Alesne* (*de Alesina?*), de quo supra, p. 1, not. 2. Memoratur apud TUTINI, *De contestabili del regno*, p. 30, instrumentum quo Matheus Gentilis Dei et regia gratia comes Alesinae et Civitatis, capitaneus et magister justitiarius Apuliae et terrae Laboris, donationem a patre suo Berardo et a fratre suo Thomasio ecclesiae Apostolorum Bartholomei et Jacobi factam confirmat: « Anno dominice incarnationis MCCXX, regnante domino nostro Federico, etc.; regni ejus anno XIX (*sic*), mense januarii prima die intrante, indictione VIII. » Cf. etiam p. 168, not. 1.

(2) Scilicet Rogerius de Aquila, comes Fundanus. Vid. supra, p. 393 et 427.

consueverint crescere ex affinitate majorum, iste non sine multorum scandalo, non sine Terre Sancte dispendio, non sine tui nominis lesione decrevisse videtur. Et quidem hiis similia magnificorum principum gesta non continent, sublimium mores ignorant et liberalium largitas non acceptat. Non sic illius terre procuratur utilitas, non sic ad ejus subsidium bellatores strenui advocantur. Super quo tibi onera gravia et importabilia nos asseris tuis humeris alligare que digito nostro movere nolumus, non attendens quod jam pluribus annis elapsis ultro te ipsis oneribus subjugasti, spontaneus in Theotonia signum crucis assumens; non attendens quod in crucifixi gerendo negotio onus non leve tulit Ecclesia in ecclesiasticorum decimatione proventuum, non attendens quod per fratres nostros et alios predicatores multi potentes et nobiles, magni et parvi, se crucis obsequio devoverunt. Pro mercatoribus autem Romanis excellentie tue frequenter scripsisse meminimus, sicut dicis; sed cum per hoc jus suum non assequantur ut asserunt, non debet illis in sua justicia ecclesiastica censura deesse. De vassallis quoque Patrimonii de quibus prout placuit scripsisti, quid juris imperiali excellentie competat tuorum et tui predecessoris privilegiorum inspectio protestatur. Quod si preter debitum a nobis in illis, aliud pro Terre Sancte subsidio petiisses, sicut decuerat, formata petitio ad exauditionis gratiam introisset. Provideas tamen ut advocatie vocabulum frequenter tuis litteris repetitum tua si placet non protrahat interpretatio in abusum. Quum enim advocatus Ecclesie idem intelligi debeat quam defensor, si defensoris omittis officium, nomen improprie retines advocati : quod satis in Arquata et castris aliis quorumdam nostrorum fidelium ostendisse videris, que detines contra justitiam occupata post illatam violentiam, post commodum possessionis adeptum, factus de petitore possessor et offerens conquerentibus de te jus in tua curia redditurum. Super quo si qua nova jura sunt condita, in publicum prodeant, cum idem non patiantur antiqua. Quia vero non est abbreviata manus Domini adeo quod non possit sublimitatem incurvare potentum et altitudinem humiliare virorum, nunc cum felicium tuis votis successuum splendor illuxerit, in sereno humilitatem non deseras quam in nubilo pretendebas. Speramus itaque quod principis tam discreti memoriam

nunquam sic ad exanitionem deducet oblivio, ut omnino in vitium ingratitudinis incidat quod reprehendit in emulo, et culpam quam dampnat in hoste committat. Non ergo seducant te prospera quem instruxisse debuerunt adversa, cum fuerit Pharaonis pincerna notatus eo quod succedentibus prosperis sui est oblitus interpretis, et lex nobilitatis id habeat ut nobilium mentes excelsa non elevent et infima non demittant. Quapropter, fili karissime, probatis apostolice Sedis affectibus nullius suggestio te seducat; que nisi obstaculum nimie indevotionis impediat, a te dexteram beneficiorum non subtrahet et ubera dulcedinis non abscondet, cum non sit verisimile quod animi ferventis affectum ab illo de facili velit avertere quem multo sudore fovit impuberem multaque sollicitudine promovit adultum (1).

Datum Laterani. . . . .

---

(1) Post has litteras *asperas*, ut verbo Riccardi utamur, Fridericum tunc negotiis Lombardiae implicitum pontifici morem gessisse monet Raynaldus, ex ejusdem Riccardi testimonio. Responsivam quoque habet codex principis Fitaliae apud Panormum, unde rubricam ex notitia ab Agnello edita, p. 10, hic exhibemus. « Responsiva epistole *Miranda* per quam cedit imperator Romane ecclesie et cardinalibus, et sic cedendo eis dicit se vincere. Sacros apostolice Sedis apices, etc. »

